ANDREÆ COZZOLINII
EXERCITATIONES
MISCELLANEÆ

Ubi tum plurimarum vocum etymis ac ſignificationibus, tum Auctorum locis lux ab Oriente aſſunditur.

NEAPOLI MDCCLXXI.

Ex Typographia VINCENTII URSINI,

SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO.

Quispiam forte mirabitur, quin imo me actum agere autumabit, siquidem ego post curas, & labores tot, tantorumque virorum tum ad verborum originationes, tum ad eruditionis, sive philologiæ campum spectantes tiro adhuc prodire audeam. Etenim sat in hoc ludo spectati Scaligeri, Salmasii, Martinii, Vossii, Bocharti, atque nostrates Mazochii, aliique, quorum nominum indicem texere perlongum esset, adeo omnia lustrarunt, ut nihil nobis, in quo exerceremur reliquisse, videantur. Verum tam longe abest, ut hujusmodi nota mihi inurenda sit, ut semper potius ab eorum consilio abhorruerim, qui alterius scripta exscribentes quandoque κατὰ λέξιν, *aut vi, vel ne vix quidem facie immutata evulgare minime dubitant. Porro apud me isthæc vicit sententia, quod hi non modo rem litterariam non augere, sed etiam omnem omnino aditum litteris intercludere videntur. Hinc ego, ut huic malo mederer, si quid inter legendum ab Eruditis animadversum occurrit, stilum vertere festinavi, ne easdem merces obtruderem.*

Heic apte cadit reddere rationem, cur id opusculum, qualecumque sit, Lexici instar non concinnaverim; id autem me ex industria fecisse fateor. In more enim positum est Lexicorum fabricatoribus, undequaque, si forte quid pulcrius micat, compilare, & corradere, adeo ut plagii criminis accusari perbelle ament. Contra mihi ea semper mens fuit, & consilium, primo ne quid nisi alieno ore indictum in medium afferendum esset, secundo ne in immensum moles operis excresceret, ut adjumento, non jacturæ foret rei litterariae; tertio denique ut facile esset lectori librum volvere; nemo enim, si lexicum confecissem, ne veloci quidem oculo percurrere laborasset, cum lexica sint ideo comparata, ut, si quid difficultatis occurrit, consulantur. Ego vero ne lectori fastidio essem, singula in hoc libro ita disponere studui, ut exer-

citationum nomine donari mereretur. His animadversis ad varias hominum de etymologiis querelas gradum faciamus.

Et sane est quoddam genus hominum, quod unice λόγῳ *se præditum jactat, quodque fere prorsus* ἐτυμολογικὴν *respuit, &, si placet, etymologicae rei navantes haud secus atque insani apud ipsum audiunt, eo quod falsa,* ἀσύστατα, *& quae nullius usus sunt, prædicant. Sed contra hujusmodi homines testes innumeros, & patronos advocare possem, nihilo tamen secius ex ipsa natione Logicorum unum Keckermannum seligere placet, qui sit instar omnium. Is l.* 1. Systemat. Logici *sect.* 11. *c.* 1. *disputans de etymologiis, haud eas despectas habet, sed plane in* veras, *&* apparentes *dispescit.*

Quod si quis adhuc urget, atque etymologias in universum ridet, imperitum profecto se prodit. Etenim linguarum tantum Orientis hospiti, aut qui eas vix primoribus, ut dicitur, labris gustaverit, nullum etymorum palatum esse potest. Sed quo magis quis linguas Orientales callet, eo magis inde deducta genuina etyma, non ad lubidinem efficta ad miraculum deperit. Demum si quibusdam Neotericis Etymologi temere ludibrium debent, hoc responsum habeant, me non dedignari eruditissimorum virorum Vossii, Scaligeri, Salmasii, aliorumque, quos etiam hac in re specimen dare non pœnituit, vestigia, quantumvis longe, sequi. Si quis vero horum virorum nonnulla etyma, dummodo haud præoccupato animo judex sedere velit, cum nostris componet (absit verbo invidia) veriora, & longe iis excellere nostra offendet. Id non meo ingenio, quod sentio, quam sit exiguum, sed industriæ potius, ac labori diu exantlato tribuat, cum hoc saxum, ubi subsecivarum horarum otium nactus fui, plurium annorum curriculo volvere non destiterim. Hæc illis celeberrimis viris nihil aliud sunt, nisi perexigui nævi, qui illorum labores non aliqua macula aspergunt, sed potius venustatem, & dignitatem conciliare videntur. At hæc παρέργως; *ad propositum revertamur.*

Et quidem primo etymologiæ accusantur falsitatis, nullam ob aliam caussam, nisi quod tanquam falsæ nonnullis in universum respuuntur. Verum sagaci viro, hisque litteris exculto opus est odorari rem, & curvum dignoscere recto; nempe apparentes

a ve-

a veris. *Sæpe fateor equidem Eruditos turpiter erraſſe ob prurientem lubidinem nova cudendi etyma. Sed heic mecum advertant velim, quod in rimando etyma non opus eſt, ut vox derivanda ſive Græca, ſive Latialis ſit ſimillima alicui vocabulo Orientali, quod tamen diſcrepantem habet ſignificationem. Hinc, ſi lexis Orientalis conſtet totidem litteris, & altera ſignificantia polleat, omnino hoc etymon falſitatis teſſeram præſefert. Etenim vocabula hominum commercio haud levem mutationem patiuntur variis de cauſſis, & potiſſimum propter diverſum* τρόπον *proferendi. Quare apud Græciæ populos tanta litterarum mutatio nata, & tot dialecti pullularunt.*

Adde quod ea etyma longe aliis præſtant, quæ non ab alia cauſſa, aut adjuncto aliquo, ſed ab fere ipſis rei viſceribus ſunt petita.

Neque etymologiarum uſus infructuoſus, neque ipſæ in univerſum vanæ accidunt. Sed antequam id demonſtrare aggrediar, ſunt quædam veluti fundamenta jacienda. Sermo Hebræus fons unus omnium princeps, unde voces ſimplices aliarum linguarum derivantur; non enim primigeniæ voces ſunt αὐτόχθονες. *Quadere vide quæ p.* 173. *diſſeremus.*

Hic ſane fons ille Heden, qui in quatuor capita dividitur, & quatuor terrarum plagas ſuis oſtiis irrigat. Inde Chaldæi, Arabes, ipſa Græcia, Latium, aliique populi edocti ſunt loqui, uti integro noſtro opere demonſtrabitur, & quandoque etiam Scriptorum teſtimonio, qui pleraſque voces & Græcas, & Latiales plagis Orientalibus tribuunt.

Sed ad rem deveniamus. Haud raro etymi beneficio novam vocis ſignificationem comparari compertum eſt, adeo ut, etiamſi hujuſmodi origo audiat falſa, attamen hinc certe fructus, qui ſane non eſt exiguus, percipiatur. Id potiſſimum ex Heſychio diſcere quis poterit, qui aliquando quibusdam vocibus Græcanicis certam ſignificationem appingit, quæ, cum in præſenti Scriptores lateat, atque ea vox illo ſenſu obſoleta ſit, niſi lux affulſiſſet ab Oriente, veluti falſa habita fuiſſet. Huc igitur referas, quæ p. 21. *de voce* ἄγον, *& p.* 22. de agone, *&* agonia *diſputabimus.*

Demum orientalium originum adminiculis adjuti minime

 reji-

rejicimus quasdam germanas Græciæ , vel Latii voces , neque apud Scriptores ſemper ab incuria Librariorum interpolatas pronunciamus, ſed caſte, integreque poſtliminio donamus. Id perſpicere licet ex voce Sar *pro* piſce, *p.* 16. Cæſar *pro* elephante 201. *ſeq.* Ἀστάνδης *pro* nuncio 157. Netos 195. *ſeq.* Bacis 196. *utroque* Taurum *deſignante* , Cothon , *atque ipſa Hebraea voce* חוז *pro* portu 32. συανία *pro corrupta* , *&* *voce nihili* ϑυανία 91. עברה abara *apud Hebræos pro.* βάρις *apud Græcos* 35., zura *pro* ſemine *apud Afros* 63. βέκκος *pro* pane *apud Phrygas p.* 50. Mæſon 55. Solis menſa 56. *& ſeq. de quibus ob inſcitiam linguæ Orientalis falſa commenti ſunt Grammatici. His omnibus, aliiſque vocibus, de quibus paſſim in noſtro opere, & de quarum veritate deſperatum erat , ſine ope etymologiarum ab Orientis fonte deductarum neque* γνησιότης, *neque genuina ſignificatio vindicari potuiſſet.*

Poſtremo reſtat , ut brevi quædam de litterarum permutatione addamus. Voſſius diligenter undequaque omnia collegit, nos iisdem calculum adjicimus præter ea , quæ paſſim in opere, atque in præſenti adnotamus , quamvis adhuc alia addenda , ſive mutanda forent.

Nam Conſonantium commutationem præcipue nimis laxam, & generalem crepat , idcirco illa mutatio duriſſima ſæpe , ejuſque etyma evadunt. Quamobrem ea tantum exigenda, quam adamuſſim ἀναλογία *poſcit.*

Sed antequam opus aggrediamur , ne pœniteat pauca in anteceſſum delibare. Porro ubi derivantur voces , nulla vocalium Hebraicarum ratio habenda, ſed dumtaxat conſonarum , & fere quae radicales *nuncupantur. Id multiplici nomine ſuadetur , atque eo potiſſimum , quod cum vocales ab Maſoretis Hebræis vocabulis ſubjectæ ſint , ita ut aliquando una , eademque vox tot diſſidentes lectiones pariat , nulla alia mutatio magis , quam vocalium apud populos viguit , & præſertim apud Græcos , quibus tot variantes dialecti , quod ad vocales potiſſimum ſpectat, fruticarunt. Idem apud Latinos obtinuit , quod ex Voſſio , aliiſque Grammaticis , & præcipue ex Claudio Lancellotto in nova Linguæ Latinæ Methodo diſcere licet. Neque apud Italos id inſolens ; quibus etiam vocales invicem adhibentur, & convertuntur. Porro* a, *&* e *mutuo uſurpantur, ſic* danajo, *&* denajo, parrucca,

rucca, & perrucca, grave, & greve, guarire, & guerire: e, & i denanzi, & dinanzi, degnità, & dignità, degradare, & digradare, deliberare, & deliberare, Demonio, & Dimonio, denominare, & dinominare: e, & o devere, & dovere: i, & o dimani, & domani, dimestico, & domestico, debile, & debole, dimando, & domando: i, & u; ferita, feruta, pentito, pentuto; *atque o & u. Quadere adeundus Tom. II. Grammatices Italice redditæ laudati Auctoris, quæ vulgo Portus-Regii appellatur in* Tractatu de litteris.

Quod ad Græcos, & Latinos attinet. Imprimis Hebræorum ו Vau *varias subit apud utrumque populum vices. Plane apud Græcos, & Latinos valet perinde, atque apud Hebræos, qui pro* u, *atque* o *designando adhibent. Sane* ו *versum in* u, *quemadmodum sæpe factum comperimus.*

Hinc ex אור or rivus *fluxit* Urium *fluvius; de quo Plin. l.* III. *c.* I. Interfluentes Luxia, & Urium. *Ex* קורה cora trabs *fit* curis hasta *p. 99. ex* אובל ubal *forte* Umbro, *p.* 193. *ex* קור *forte* κρουνὸς 182. corrugus *ex* חרוץ carutz: *ex* רמח romac rumex 89. *ex* חור cor culus *p. 136. ex* גלום galom galumma 148. *ex* חור cor cunio 166. *ex* מרך morec Murcia *p. 99.*

Sæpe in o *abit. Hinc ex* אור, *seu* אר or, & חזיל *ortum* Horisius 189. *ex* אר or *ipso* Ollius 191. 192. *ex* יאר ieor Vior 193. *ex* אור or lumen *Orion: ex* חולל colel cola saltatio 109. *ex eodem* אור or olus 61. *ex* עוץ ὤον 41. *ex* חוז cothon 32. *ex* קור cur *per metathesin* κρόκη 148.

Ita apud Latinos. Apud Græcos in υ *transit. Hinc ex* חור κύαρ 181. *ex* בוש βύττος 132. *ex* גו γύιον 133. *ex* חול κύω 136. *ex* הורה ὕδω 101. Βυῤῥὸς *ex* בור *p.* 120. *sicuti ex* בוץ Byssus: *ex* חוש κυκύω, & κόκυ *p.* 8. *geminata voce, atque in* κόκυ ו vau *functa est vocalibus* o, & u: *ex* החוש ὠκὺς *p.* 8. *ex* תירוש *fit* τρὺξ: & θορύξις 47. *ex* לובים λίβυες υ *transposito*, ὕλη *ab* חורש 65. *Ex* צור *apud Græcos fluxit* σύραξ, & σόρπη; *nempe* υ, & ο *vice functus est p.* 90. μῦθος *ex* מוצא *p.* 105. κηρὺξ *ex* כרוזא *p.* 110. *Adeas insuper quaeso p.* 123. *Ex* פול *fit* πύανον, *quod idem est.*

B & S *sæpenumero in* ψ *apud Græcos defecere. Ad rem ex* באש *ortum* ψώα *p.* 12. *Nec non* פ, & צ *in* ψ *quoque mutantur. Hinc ex* חצף ἄψα *p.* 8. *ex* הציף Hypsa *apud Latinos* 189.

C & S,

C & S, *quod æquivalet* שׁ ſcin, *perſæpe in* X *abeunt*. *Sane ex* אשה iſca *factum* uxor; *ex* השם aſcem axo; *ex* דשן deſcen lix; *ex* ראש roſc rix 150.: *ex* תירוש tiroſc τρύξ & θορύξις *profecta*: *necnon* S & G *in* X *verſum*, *ideo ex* השנא iſga, *ſeu* aſga ἀύξω *p.* 8. *Ex* השקה Oxus 192. *Ex* הזכיר ἄξιος *fluxit*.

ע *diverſis mutationibus afficitur*. *Hinc aliquoties in* S *diſcedit*, *quemadmodum ex* עקרב hacrab *fit* ſcorpio, *ex* עב ſab *ſeu* עוב ſub ſubices, *vel* ſubex *inuſitatum*; *ex* עגיל hagil σίγλαι *Heſychianum*. *Ex* עקל σκολιός 113.

Haud raro in χ, & K, & C *apud Latinos evadit*. *Ex* צפרדע tzapardeach *fruticavit gr.* βάτραχος 164. *ex* צער tzachad σάχω 139. *in* K, & C. *Ex* בעיר behir βῆκα, & βήκη 205. *ex* עיר κιών, & cillus 209. *ex* פעל facio.

Multoties eadem littera commigrat in G. *Huc referas*, *quæ p.* 11. *hac de cauſa congeremus*: *quibus adde* γρηγορέω, *quod manavit ex* עיר gur gur, *quod idem ſonat*, *geminata voce*, *quemadmodum ipſi Hebræi hanc lexin duplicant*, ἐγείρω vigilo *p.* 72. Γεγώνω *ex* ענה gana *p.* 110. *Ex* צעיר σήγωρ *p.* 130. *Ex* מעצר magiſter *p.* 180.

In F: *hinc ex* עצרת *ortum* feſiæ *p.* 23. *ex* עין fons *p.* 180.

In V: *ex ipſo* עיד *fluxit* vonte, & Divona *p.* 180. *ex* עקר vacerra *p.* 235. *ex* עץ vitis *fluxit*, *ſive* frutex, *ſive* herba, *ſive* arbos. *Eamdem mutationem ſubeunt* ח, ה, & א. *Sane* ח *abit in u*: *ex* חשח vaſcus *p.* 57. *ex* חפש vafer *p.* 235. *in* F; *ex* חורש foreſtum *p.* 65.

Hanc quoque mutationem patitur ה. *Quare ex* העיר hegir *exſtat* vigilo *p.* 72. *ex* הטה vito *p.* 139. *ex* הקיר Vacca *p.* 93. *ex* הזיל *factum* Vitis, & Viſtillus *flumina ibidem*.

Saepe in f; *ideo ex* הוה *exſtitit* fuo *p.* 128.

א *in H*, *ſeu F*, & *V*. *Ex* אב haba, & *dein* faba *p.* 61.

In V: *ex* איש vis vir; *vide* & *p.* 64.

Id ſane nulli dubium, *quin ita ſit*: *nam hujuſcemodi litteræ ſpiritus audiunt*, & *plerumque æque*, *ac digamma Æolicum valere compertum eſt*.

Jod (י) *in* ו *perſæpe abit*. *Ex* ירא vereor, *ex* יאל volo (*niſi eſſe mavis ab* הואל) *p.* 18. *ex* ישן vetus *emerſit*. *Id moris profectum ab Hebræis*, *apud quos Jod cum Vau alternis mutantur*.

Qua-

Quadere consule Grammaticos. Demum צ *aliquando æquivalet* τῷ ζ *Græcorum; quandoquidem vix figura inter se discrepant. Quare sicuti Z, ita* & צ *variis mutationibus obnoxia est. Nimirum in d, t, s, c. apud Latinos, & Græcos, apud quos etiam in* ξ *convertitur. Procul dubio ex* צע *fruticavit* ἀδὰ, ἰτέα, ἰσύα *de quibus p. 59. &* ὕσιον *p. 62. Ex* צפה διφάω *p. 118. Ex* צואר δέρη *p. 133. Ex* צפחת δέπας *p. 123. Ex* צרה δίζω, & ζητέω *p. 118. Ex* מועצות *ortum &* μῆδος, & μῆτις *ibidem. Ex* צור *factum* τείρω. *Ex* צוף Sapo.

Hinc facile captu est Vossium haud rectam viam inivisse; ideoque falsum. Porro in de permutatione litterarum de T agens quod scilicet abjicitur in initio, *ibi hæc quoque accommodat*: Huc etiam pertinet, quod Hebræorum צ, quod valet TS, vel TZ, pronunciarunt veteres abjecto T, nam a צור *tsor*, tum est τύρος, tum *Sarra*; siquidem eadem est *Sarra* ac *Tyrus*; unde Poëtis idem sunt *Sarranum ostrum*, & *Tyrius murex*. Sed & qui Arabice, *Tzophi*, nobis sunt *Sophi*. Ea vox, ut scribit Jos. Scaliger, significat puræ religionis hominem &c. *Verum ipse sibi refragatur. Nam ex eodem* צור *deducit* Tyrus, & Sarra. *Quare id non alia de causa evenire fateri oportet, nisi quod ea littera, modo in T, modo in S, modo in alias simillimas, uti* D, *commigrare assolet.*

Mutatur in C; ideo ex חוץ *factum* vicus *p. 43. Ex* מצער mizar *exstat* μικρὸς *apud Græcos p. 16. Hoc adeo veritati fultum, ut* צ *in* ע, *quod in G, & C aliquoties abit, sæpicule versa fuerit apud Chaldæos, uti pag. 8. & 49. affatim ostendetur.*

Ipsa צ *alias in* χ *discedere videtur. Ad rem ex* צולע *ortum Gr.* χωλὸς; *ex* צב *fortasse* χάμψαι *p. 69.*

In ξ *versa quoque: ideo ex* עצור ἀξίνη *ortum, ex* אצל ἐξ, *seu* ἐκ *p. 5.*

In ST, seu TS. Ex צור στόρθη, & σύραξ *constat p. 90. Ex* צר στενὸς. *Vide* Astapum, Astaboram, Astusapen *p. 186.*

Ex צהר stella, ster *p. 66. ex* יצר iastar *ortum* instar *p. 13.*

In SS. Ex חץ ὕσσος: *ex* אצל ἆσσον *p. 7. Ex* ערץ aratz ἀράσσω.

Id argumenti permultis aliis exemplis confirmari posset. Ipsissimis mutationibus afficitur Hebræorum ז z, *ac* צ. *Hinc sæpe in T, C, D, & S concedit, aliisque vicissitudinibus objecta est; quæ cum in hoc opere prostent, haud opus eandem crambem recoquere.*

Sane

Sane apud Chaldæos ז *in D mutatur ; quare ex* זבח *fecerunt* דבח deba sacrificare , *unde* libo *fluxit apud Latinos*; *ex* זוב ; דוב *ex* זחל *est* ; דחל *ex* זכר דכר ; *ex* זעך *factum* דעך ; *ex* זרוע *emersit* דרע.

Scin ש *in T mutatur . Quare vide quae de hac re p.* 10. 135. *& alibi delibabimus* . ח *in* X , *seu* K , *vel* C *Latinorum aliquando transmutatur . Ex* תהום *fluxit* χαμαὶ , *ex* תהו chaos , *quemadmodum Mazochius , & nos sæpe id arguimus* . ק *in G , & X . Ad rem ex* קרב *factum* χέιμπτω *p.* 137. *ex* קרב gereb gremium *p.* 137. *ex* קין γένυς *p.* 88.

Quidquod ceteræ Hebræorum litteræ perinde , ac Latinorum , & Græcorum in sui similes , & affines (quæ mutatio facillima , familiaris , & vera , non autem dura) fere ubique transeunt , cum in aliam linguam transmigrant , uti B *in* P , M , V , Φ , *& contra* P *in* B, *aut simile* , D *in* T , *&* R , L *in* N , *&* R , G *in* C , *quorum exempla passim præsto sunt , & innumera . Quod si vero Hebræa elementa in alias litteras alterius fortasse soni , & non ejusdem labii mutantur ; idem dictum habeas de litteris Hebræis , quod de Græcis , & Latinis tradit Vossius , & quia de harum litterarum mutatione fusius ipse egit , idcirco ea in medium producere , supervacaneum fore censeo .*

Postremo alia adjicere præstat , quæ in rem sunt . N נ , *& J* י *Hebræorum frequenter vocibus excidunt ; idque jure defectivis* Pe-Nun , Pe-Jod *accidit ; neque exemplis opus ; nam in confesso apud omnes est . Non infrequens quoque geminatio litterarum occurrit , quæ ex Daghes forte paritur ; sæpicule N inseritur , quod eadem causa nascitur . Hæc quam maxime breviter attigimus ; ut harum litterarum mutatio magis magisque firmaretur .*

Præterea juvat advertere apud Hebræos esse litteras hehemanticas, *seu* vehemanticas , *eo quod hisce litteris* והאמנתי *constant , quæ addi , ubi res poscit , vocabulis solent . Itaque , cum* ἁπλῶς *non sint semper* radicales, *cum in principio , tum in fine adponi , & detrahi commode possunt , quoties ab Oriente vocabula deducuntur .*

Quare de istis præfari opportunum censui , ut horum studiorum sive obtrectatores , sive cultores , haud temere , sed secundum certas leges ; atque ἀναλογίαν *hasce litterarum commutationes fieri intelligant .*

EXER-

EXERCITATIO I.

C A P U T I.

P*Ræpositio* a, *seu* ab, *atque* ob, *unde fluxerint secundum Scaligerum. Quid senserit Vossius. Ubi* a, *ubi vero* ab *adhibendum. Id moris repetitur a Græcis. Derivatur a præpositione Hebræa* ב be, *seu* abe. *Hebraicum* be *non solum* de, ex, in, ob, *verum etiam* a, ab, *ἀπὸ designare exemplis ψαμμακοσίοις evincitur. Quid apud Oseam* latro foris. *Ab ipso* be, *seu* abe *factum quoque græcum ἐπὶ, & latinum* ob. Ante, *ἀντὰ ab hebræo* עמת. *Hinc & gr. μετὰ.* De, *& διὰ ab* אוד. Ἀνὰ *ab* על, *quod idem valet*, L *in* N *versa. Hinc quoque ἄνω.* Κατὰ, *& κάτω forte a* תחת tacat. Ex, *graecum ἐξ, seu ἐκ ab* אצל, etzel. Ἄνευ, *& latinum* sine *ab* אין hen. Χώρις sine *ab arabico* gaira, *quod idem sonat*. Secus *ab* שכן. Ultra, *seu* uls, *ab hebræo ipso* הלאה ola, *seu* ula. *Notatur Vossius qui ab* ollus *ducit*. Cis *a* חוץ foris, extra. *Etiam* cis *denotat* extra, *&* citerior *est* ulterior. Clam, *seu* calim *non a* כלא arceo, *sed a* עלם galam, latitavit, occultum fuit. Cælo *venit a* cædo *secundum Vossium*. Celo *vero* occulto *a* כלא. *Hinc ducit Cl. Mazochius; at* cælo *derivat a* כרה cara, *seu* כרת carat. *Somnia.* Celo *abscondo a* כחד cihed, *quod idem valet*. Cælo *hinc dictum, quia notat* scindi, abscindi. Condo, *unde* abscondo *ab ipso* כחד cihed, N *inserto. Inde græcum κεύθω, κυνθάνω.* Cælo *vero ἀμέσως a* קלע, *quod idem est omnino.* Palam *vel a* פלא admirabilem esse, *vel a* פנים panaim, *quod est* ante, coram, in conspectu. Tenus *forte ab* אצל etel, L *in* N *abeunte.* Ἐπιπολῆς in superficie *ab ἐπὶ fortasse, &* פני pene, facies, superficies.

HASCE exercitationes aggressuri, id moris religiose servare studebimus, ut, quæ aliis insederit sententia, prius, dein nostram proponamus. Id autem eo consilio, ut cuique legenti veluti in tabulis cuncta exhibeantur, & per se facile quisque ex iis verum eruat. Atque ne moremur tua tempora, præsto est Vossius, qui & suam, & aliorum referens sententiam in hunc modum de origine præpositionis *a*, *ab*, disputare auspicatur. *A præpositio fit ab integro* ab, *qua ratione* e *fit ab integro* ec. *Veteres enim ut ex antiquis & libris & lapidibus apparet, scripsere* ecsero, ecfari, ecsequor . . . Ab *vero simili apocope recisum ex ἀπὸ abjecta ultima, ac tenui in mediam conversa; quomodo ab ὑπὸ est* sub. *Ac Cæsar Scaliger de caussis L.L.*

C. XXXIV. censet ob *itidem venire ab* ὅπȣ *id est* ubi , *vel* ὅπως *h. e.* quomodo. *Sed recedit nimis significatio, ut potius videatur esse ab* ὑπὸ, *quod interdum* διὰ *h. e.* propter *significat : vel ab* ἐπὶ, *quod sæpicule per* ob *exponitur. A præpositione* ab *per paragogen litteræ* s *fit* abs, *similiter, atque Græci ab* ἐκ *fecere* ἐξ. *Nam* s *in duplici continetur. Imo Latini ab* ec *fecere* ecs, *&* ex. *Sed de* abs *dissentit Festus cum ait :* Abs præpositio a Græco de[illegible]citur ἀψ. Significat autem retractionem in partem posteriorem. *Sed sive* ἀψ *valet* ὀπίσω *h. e.* retro, *sive* πάλιν, ἐκ δευτέρȣ, rursum (*utramque significationem Hesychius agnoscit*) *longius abit utraque notio ab ea, quam* abs *possidet. Sed* ἀψ, *ab* ἀπὸ *venire, planum est. Nam quod retrocedit, id ab aliquo abit.* Hactenus Vossius. Antequam germanam, & γενίκην originem investigemus, sunt quædam digna, quæ notentur. Porro solemne est Latinis præpositionem *a* adnectere vocibus, quæ incipiunt a consonante, ut *a milite*, *a Pompejo*, & *ab* iis, quæ a vocali; idque ferme statis legibus. Hoc quidem Græcis Latini referunt acceptum. Hi enim adhibent ἀπὸ, cum sequitur consonans, ἀπ', seu ἀφ', quando proxima vox incipit a vocali. Jamvero quod attinet ad veriloquium, haud animus intra græcanica claustra consistere acquiescit; sed utramque vocem & latinam, & græcam optimo jure ab archetypo fonte hebræo nempe derivare fert, atque gestit; scilicet ab illa particula ב, quam præfixum Grammatici nuncupant; rectius tamen ego præpositionem ἁπλῶς, seu præpositionem suffixam vocarem (ne Grammaticis videar ducere potius ; quam sequi funem) utpote quæ præpositionis vice latissimo sensu fungitur. Fit autem ἀπὸ ab orientali ב, a hehemantico præposito, unde הב emergit, quod translatitium est, & *be* in affinem Π versa. Heic interea παρέργως animadvertatur velim magis adcedere hebrææ voci τῷ הב *abe*, seu *ab* vocem latinam *ab*, quam græcam ἀπὸ, ut pluribus aliis accidere solet. At, inquies, qua ratione, modoque ab hebraico הב *abe* extunditur græcum ἀπὸ? Rem sic conficiam. Antiquitus non solum ἀπὸ, sed & ἀπαὶ in usu erat; unde quidem hujus vocis græcæ cum hebræa amica conciliatio planius apparet: iccirco haud falso suspicari licet initio tantum ἀπαὶ, & ὑπαὶ adhibuisse Veteres, postea vero ἀπὸ; præsertim cum apud Homerum, aliosque priscos occurrat. Huc spectat illud, quod *ape* in veteribus Glossis vertitur παρὰ, quod idem est ac ἀπαὶ scilicet *ab*, non vero *apud*, uti vertit apud Calepinum Facciolatus. Sed hanc præpositionem derivandam ab hebræo fonte sagacius subodoratus est nescio quis apud Schrevelium : licet falsus est, eo quod ducit ab אב *pater*, *inventor*, *principium rei*. Etenim mire discrepat præpositio a nomine; dein significatio diversa est, atque longe petita. Restat demum, ut utramque vocem nempe ב, & ἀπὸ eadem vi pollere demonstremus.

Et re quidem vera hebraicum ב non solum significat *ex*, *de*, *ad*, *cum*, *ob*, *super*, *contra*, *per*, & trite *in*, ut apud vulgus Grammaticorum prostat, verum etiam *a*, *ab*, Græcis ἀπὸ. Hinc II. Reg. c. XIV. v. 13. Vulgata habet: *Interrupit murum Jerusalem* בשער Bescaar *a porta Ephraim* עד שער ad scaar *usque ad portam anguli*. Et quidem recte, prout sensus, atque illarum præpositionum ב *Be*, & עד *ad* vis, ac potestas postulat; potissimum cum præpositio-

ſitiones *a*, & *ad* ſibi invicem reſpondeant, cum præferunt motum a loco ad locum, ut in Grammaticis eſt. Hujus autem rei huc exempla afferre nil juvat. Hinc cum LXX τὸ *Be* verterint ἐν *in*, generalem hujus vocis ſignificationem reſpexiſſe minus accurate heic, uti ſæpe in multis locis LXX conſueviſſe Eruditi oſtendunt, liquido comperimus. Noſtræ conjectationi bene concinit Arabs: hic enim pro בשער habet *men bab* ſcilicet *a porta* commodum judicans eamdem vim inhærere hebraico *Be*, atque arabico *men* h.e. *a*, *ab*, *ex*, quæ eadem, ac מן hebraicum. Syrus: *men tharao*, h. e. *a porta*. Hoc quoque deflexum ex hebraico מן, atque ex שער, chaldaicum תער, unde ſyriacum *tharao*. Itaque Arabs, & Syrus vim vocis τȣ̃ *Be* perſpectam habentes, *men*, ſeu מן reddere rati ſunt. Verum multo luculentius Oſee c. VII. ubi Vulgata habet: *ſpoliavit latro foris*, juxta hebræum בחוץ *bachutz*, h. e. κατὰ λέξιν *a foris*, nimirum *externus*; ſcilicet Reges Aſſyriæ Phul, Salmanaſar, aliique, qui more latronum Iſraelis regionem invadebant. Perperam vulgo redditur *foris*; etenim ambiguum eſt utrum τὸ *foris* pertineat ad latrunculum, qui ſpoliaturus Iſraelem advenerat ex peregrinis regionibus, an ad Iſraelem, quaſi illa *foris*, h. e. extra Urbem, & circa ejus territorium ſpoliata fuiſſet. At contra per noſtram expoſitionem omnis nodus expeditur. Peropportune Plin. l.XVII. cap.24. ait: *In ulcus penetrat omnis a foris injuria*; i.e. omnis externa injuria. Adhæc Gen.XLIV. v. 12. juxta Vulgatam; *incipiens a majore uſque ad minimum*; hebraice בגדול החל ובקטן כלה ſcilicet, a majore incœpit, & in natu minimo deſiit. Interea advertas parumper velim particulam *Be* in eodem allato loco fungi vice præpoſitionis τȣ̃ *ab*, & *in*: LXX habent; ἀπὸ τȣ̃ πρεσβυτέρȣ ἀρξάμενος, ἕως ἦλθεν ἐπὶ τὸν νεώτερον; nimirum illud *Be* verterunt ἀπὸ *a*, & ἐπὶ *ad*. Heic quoque Samaritanus pro בגדול *bagadol* Arabs, & Syrus vertit *a majore*. Exod. cap.VII. 17. prout Vulgata habet: *in hoc ſcies, quod ſim Dominus*: LXX ἐν τȣ́τῳ γνώσῃ: hebraice: בזאת תדע; rectius tamen redderetur: *ab hoc ſcies*, *diſces*; juxta illud Maronis, *crimine ab uno diſce omnes*. Numer. XXXI. v. 26. *tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine uſque ad pecus*: LXX λάβε τὸ κεφάλαιον. . . ἀπὸ ἀνθρώπȣ ἕως κτήνος; Hebr. שא את ראש מלקוח השבי באדם ובבהמה, ubi reddi & poſſet *ab homine*, *&* *a pecore*; ſcilicet eodem pacto utrumque *Be*; prout tamen in præſenti exſtat in Bibliis hebraicis, in quibus occurrit quoque *Vau* copulativum. Ceterum ſi alterum *Be*, *ad*, *uſque ad* vertere in animo eſt, ſicut LXX, & Vulgata, etiam retenta particula copulativa *Vau*, haud abnuo. III. Reg. IV. juxta Vulgatam: *ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*: hebraice ועד האזוב אשר יצא בקיר, nimirum *uſque ad hyſſopum*, *quæ egreditur*, *exit a pariete*; ut apud Terentium Andr. I. 3. *egreditur ab ea* i. e. de domo ejus: & apud Cicer. de clar. orat. *egredi a propoſito*. Hæc eo ſunt allata exempla, quo oſtenderem, *egredi de pariete*, prout Vulgata vertit, eſſe idem, atque *a pariete*. Nam idem Tullius, qui dixerat *egredi a propoſito*, loco, quem paulo ante citavimus, in ep. 16. ad Attic. l. XIII. ait: *egredi e villa*; & Cæſ. l. I. B. C. *egredi ex Caſtris*. Idque eo factum, quod *de* ſæpe ſignificat *a*, *ab*. Sicuti illud Cicer. pro Corn. *Audivi de parente meo*

puer. Præterea denotat etiam materiam, unde aliquid compactum, ut apud Ovid. Met. I. v. 127. *De duro est altera ferro*. Idem dicendum de præpositione *e*, *ex*; etenim Tullius nullo adhibito discrimine, inquit *percontari a peritis*, & *ex quadam anicula*. Neque res aliter cessit hebræis, apud quos non solum *Be* exprimit *de*, *ex*, æque ac præpositio *ab*, sed etiam *e*, *ex*, pro designanda materia, ex qua aliquid fit; ut Exod. XXXVIII. 8. *Fecit labrum æneum* . . . בּמראת *e speculis*. Et Lev. VIII. 32. *Quod superest* בבשר *de carne*: Exod. XII. 43. *non comedet ex eo*; atque in hisce, aliisque similibus locis denotat materiam, unde quid fit, quare rectius *de*, *ex*, quam *ab* vertere quisque compos mentis mallet. Verum hæc hactenus de significatione τῦ *Be*; licet sunt & alia quoque exempla, quæ eandem vim habere τῷ *Be*, atque *ab* ostendunt, brevitatis tamen gratia missa facimus. Insuper eosdem natales repetit ἐπὶ, *ob*, ac ἀπὸ, nempe a *Be*. Ad rem vocula hebræa significat *in*, *a*, *ab*, *de*, *ex* uti supra allata exempla ostendunt, & *super*, ut Is. XXI. 13. *Onus* בערב *super Arabiam*. *Ob*, Gen. XXIX. 18. *serviam tibi septem annis* ברחל *ob Rachel*. *Contra*, Gen. XVI. 12. *Manus ejus* בכול, *contra omnes*. *Ad*, ut Os. XII. 7. *ad Deum tuum* באלהיך *reverteris*. *Cum*, uti בנו *nobiscum*. Item *per*: Jos. XI. 12. *jurate mihi* ביהוה *per Dominum*. His præjactis pronum intelligere erit, cur ἀπὸ non modo *a*, *ab*, sed *de*, *ex*, *propter*, *ob* quoque notet; & ἐπὶ non solum *in*, *super*, *ob*, *contra*, *de*, *e*, *cum*, sed etiam *inter*, ut quoque ב notat. Inde demum *ob* venit; cui accedit, quod sicut *ob ante* designat, ut *ob oculos*, ita & *Be*, ut Gen. XVIII. & XXXII. *si inveni gratiam in oculis tuis* בעיניך, seu potius *ante oculos tuos*; ideoque LXX verterunt ἐναντίυ σῦ *ante te*. Jos. XXIII. 13. eodem pacto habetur *& sudes in oculis vestris*. Quod adeo verum est, ut Exod. c. XXXIII. v. 12. Vulgata illud בעיני exposuerit *coram me*, LXX παρ᾽ ἐμοί; & v. 13. *& inveniam gratiam ante oculos tuos*; quod antea, & alibi *in oculis tuis*, dixerat. Hinc Deuter. XXIV. v. 1. *non invenerit gratiam ante oculos ejus*. Igitur etiam *ante* signat. Inde demum descendit & ὑπὸ *a*, *ab*, *propter*, *in*, *per*, quæ omnia & hebræa vox præstat. Adhæc sunt & alii loci, in quibus *Be* ponitur pro *ante*: II. Samuel VI. v. 22. *humilis in oculis meis* בעיני; potius *ante oculos meos*.

Age porro pergamus. Ut vero brevitati consulamus, præter præpositiones, alia quæ peculiarem sibi locum exposcerent, huc quoque compulsa per saturam præstabimus. *Ante quidam κατ᾽ ἀνάστοιχον dici censent ab ἄρτι, id est nunc, vel paullo ante. Scaligero de causs.* L. L. *cap. CLV. fieri placet ex* am, *&* te *syllabica adjectione: quæ &* in tute. *Sed significatio repugnat, quia* am *est* circum. *Itaque omnino est ab ἄντα, quo, eapse significatione, usus aliquoties Homerus*. Hæc de origine exhibet Vossius. Sane *ante*, & ἄντα suum genus jactant ab Oriente; nam profecta ab hebreæo עמת *umat*, seu *amat*, dumtaxat *M* in *N* versa, quam mutationem translatitiam esse abunde evincit Vossius in de permut. litt. Vox vero *amat* non modo sibi adrogat significationem τῦ *secundum*, *juxta*; verum etiam τῦ *e regione*, *ex adverso*, *contra*: præsertim si ipsi alia vox præeat, quæ præpositionis vices gerit nempe ל *le*.

Exem-

Exempla ſunt ὅσα κόνις, idcirco huc ea omnia congerere ſuperſedeo; tamen amatoribus harum cupediarum pauca ſeligam. Ezech. III. 8. לעמת פניהם LXX vertunt, κατέναντι. Sic quoque Exod. XXV. 27. לעמת המסגרות ſcilicet *ex adverſo*, *e regione clauſuræ*. I. Reg. VII. 20. מלעמת *e regione*. Sam. II. 16. 13. atque alibi eodem modo accipitur. Hinc ex eodem עמת *umat*, ſeu *amat* ortum ducit μετὰ, quod ſæpe ſonat κατὰ, & σὺν. Hac quippe interpretatione voculam hanc donarunt LXX. Quamobrem Exod. XXVIII. 27. לעמת מחברתו *contra conjunctionem ejus*, Seniores habent κατὰ. Lev. III. 9. לעמת העצה Vulgatus habet *cum renibus*; LXX σὺν ταῖς ψόαις. Ezech. I. 7. לעמת, Senes habent σὺν, nempe σὺν αὐτοῖς. *De*, & Græcum διὰ unde profecta, nullus, quod ſciam, antehac aperire laboravit præter quam Cl. Mazochius, qui ducit a chaldaico articulo ד *de*. Sed quid affinitatis intercedat inter articulum, & præpoſitionem, haud probe intelligo. Quare ſanius autumo derivari poſſe ab orientali אוד *od*, quod κυρίως videtur denotare *cauſam* rei. Hinc אודות *odot* exponitur *cauſa*, *gratia*, *occaſione*. אל אודות *ob cauſas*. Inde Geneſ. XXI. 11. Vulgatus habet *pro filio ſuo*, & LXX περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Quamvis iſtud περὶ heic apud LXX videtur eſſe idem, ac Latinorum *de*. Exod. XVIII. 8. על אודות ישראל, Vulgatus reddit *propter Iſrael*. LXX ἕνεκεν. Num. XIII. 25. *Hal Odot*, Vulgatus habet *eo quod*, LXX reddidere διὰ. II. Sam. XIII. 16. *Odot* ſcilicet *cauſæ*. Judic. VI. 7. *Hal Odot madin*, *ſuper cauſas Madian*. Sane hæc veriora mihi videntur, quam quis ſibi animo fingere poſſit. Nam Latinis præpoſitio *de* etiam ſignificat *propter*, *ob*. Hinc illæ locutiones *qua de re*, *hac de re*, *multis de cauſis*, in quibus *cauſam* indigitat. Apud Terentium Eun. III. 2. 4. *Ecquid nos amas de Fidicina iſthac*. Ἀνὰ deſignat *per*, *in*, *apud*, *cum*, *adverſus*, prout vulgo exponitur. Haud ἀπροσδιόνυσον erit derivare ab על *al*, ſeu *hal in*, *per*, *cum*, *ad*, *apud*, *ſecundum*, *contra*, *adverſus*, dumtaxat verſa *L* in *N*; quam mutationem ſæpe uſuvenire pluribus confirmat Voſſius. Ab ipſo על, quod etiam deſignat *ſuper*, *ſupra*, profectum ἄνω idem. Quod ſane noſtrum veriloquium magis, magiſque ſuadet. Κατὰ *adverſus*, *ſub*, *in*, *per*, unde κάτω *infra* forte venit ab תחת *tacat infra*, *ſub*, *propter*, *pro*, abſciſſa priore *T*. *Ex* venit ab ἐξ ſeu ἐκ. Ἐξ vero factum vel ab אצל *etzel de*, *apud*, *juxta*, צ in ξ, vel κ verſa. Sane aliquando videtur induere eandem ſignificationem, atque ἀπὸ, ſeu מן. Sæpe ubi adjunctum אצל, & מ ſignificat ἀπὸ. Hinc LXX qui ἁπλῶς *etzel* reddidere παρὰ, μετὰ, πλησίον, I. Sam. XX. 24. מאצל; & I. Reg. XX. 36. pariter tranſtulerunt ἀπὸ. Cæterum cum græcanica vox etiam *extra* denotet, unde ἐκτὸς, ἔξω, fruticare videtur ab חוץ *hoz* idem, tantiſper emollita vocula. Ἄνευ valet *ſine*, *abſque*. Heic autem ſi a Græculis ejus originem quæres, operam, & oleum ſine controverſia perdes. Porro profectum ab orientali lingua, quæ ipſos fugit, nempe ab אין *en*, ſeu *ain*, quod exponitur *non*, *nihil*, *nullus*, *nemo*, & cum מ, & ב ut מאין, & באין eſt *ſine*, *abſque*. Hoc adeo certum, ut ex eadem voce *en* ad Latinos fluxerit *ſine*, mutata א, quæ ſpiritus eſt, in *S*. Χωρὶς etiam *ſine* valet, haud ἄτοπον puto, ſi deducatur ab arabico *gaira*, quod idem ſonat, *G* abeunte in X.

Se-

Secus πλησίον scilicet, *prope*, *juxta*, unde *secundum*, suam originem jactat ab hebræo שכן *sacen Vicinus*. *Ultra* unde dictum sit, ita διὰ βραχέων aperire satagit Vossius: *Ultra ab uls, quo usus Cato, & Pomponius de origine juris, uls Tiberim. Uls vero prius fuit ultis, unde ultra, ut a cis citis, citra. Videtur autem uls esse ab ollus pro ille*. Hæc Vossius de ejus origine. Commodum *ultra* cum veniat ab *uls*, atque hocce vocabulum vetustatem sapiat, nullus dubito, quin ab הלאה *ola*, seu *ula*, quod ipsissimum est, descenderit. *Cis* exponitur *ab hac parte*, atque opponitur τῷ *ultra*, *trans*. Non abnuerem, si quis duceret ab orientali חוץ *coz*, seu *cuz foris*, *foras*, *extra*, quod profecto non abs re esse videtur; nam quæ videntur citeriora nobis, sunt *foris*, *extra* præ nobis. Quadere asseverare ausim apud Latinos utraque significatione pollere. Hinc *citra* apud Columellam II. 8. ubi ait: *Citra Calendas Octobris*, exponitur *extra*. Sueton. in Aug. c.XLIII. *Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum advectum esset, id extra ordinem publicare*. Sed id liquido constat ex loco Valerii M. l.VIII. c.7. cum inquit: *Citerioris ætatis metas Chrysippi vivacitas flexit*; nimirum ad ulteriorem ætatem pervenit. Videsis Facciolatum. *Clam*, atque ἀρχαϊκῶς *calim* adhibitum, ducitur a quibusdam ἀπὸ τοῦ כלא *arceo*, *prohibeo*. Sed temere; etenim primo quod attinet ad significationem, discrepant: deinde littera *M* in hac voce est radicalis (liceat uti hoc vocabulo), idcirco satius esse reor derivare a עלם *galam latitavit*, *occultum fuit*, & in hiphil *abdidit*, *celavit*, G in C versa; quod a nobis passim ostendetur. *Celo*. Cælare, & celare *sic Nonius distinguit, quod hoc sit* tegere, & abscondere: *illud* insculpere. Cælo *puto esse a* cædo. *Nam D, & L sæpe commutantur: ut ab Æolico* Ὀδύσσης Ulysses. *Conjectabam etiam, ut ab* ustum *est* ustulo, & *a* postum, *unde* repostum *pro* repositum; *est* postulo, *sic a* cæsum *fuisse* cæsulo, & κατὰ συγκοπὴν cælo. *Ac sic quoque fuerit a cædendo*. Ita heic Vossius. At in voce *celo* hæc habet: *Celo est occulto a Chaldaico* כלא, *quod Hebræis* כלל. *A* כלא *est* κλείω *claudo*. *A* כלל *est vetus calim, pro quo postea clam*. Cl. Mazochius haud secus rem expediri posse credidit, ubi ait: *Celo i. e. occulto est a* כלא *cala, quod est prohibere, a quo fit celo. Nam celare illum de illa re (sæpe enim hoc modo construitur) quid est aliud, quam illum illius rei notitia prohibere? At caelo i. e. scalpo videtur esse a* כרה *cara fodere, aut* כרת *sculpere, cælare; R de more in L verso*. Haec doctissimus Auctor. Verum cum non animus mihi, non mens contendere cum biga hominum Vossio nempe, & Mazochio, queis quando sæcula invenient pares? iccirco rem ἁπλῶς aggrediar. *Cælo* insculpo ἀμέσως fit ab קלע *cala insculpsit*, *incidit*, *cælavit*. *Celo* vero occulto fieri credo ex Hebræo כחד cihed *celavit*, *abscondit* commigrante *D* in *L* quod esse verum apud omnes omnino exploratum est. Ab ipso *cihed*; quod in Niphal significat *excindi*, *succindi* venit *cædo*. Condo. *Condo* (*unde abscondo*, & *recondo*) *est a cum*, & *do*, *quasi simul in interiorem locum do, ut Festus; ait eaque ratione & do in abdo usurpatur*; ait Vossius. Ast dubio procul descendit ab *cihed celavit*, *abscondit*, tantum intrusa *N*; quod esse familiare nemini non notum; vel a Niphal *niched*. Ab eadem voce *cihed* plane pullulavit græcum

χεύθω, & χευθάνω, dumtaxat *D* in Θ verſa quod idem valet. *Palam* vel a פלא *pala admirabilem eſſe*, vel potius a פנים *panaim facies*, quod loco adverbii ſeu præpoſitionis ſignificat *ante*, *coram*, *in conſpectu*. Id etymon eo arridet magis, quod M τῦ *palam*, quae littera *radicalis* eſt, etiam continet. *N* vero converſum eſt in L. *Tenus uſque ad* fortaſſe factum ab אצל *etel juxta*, *apud*, *L* in *N* abeunte. Ἐπιπολῆς *in ſuperficie* forte ortum a פני *pene ſuperficies N* in *L* verſa, & ἐπί.

CAPUT II.

AC *ab* הכ. Ἄγχι *ab* הגיש agghis. Ἆσσον *ab* אצל eſſel, *ſeu* aſſel. Σχεδὸν *a* גש vicinus. *Hinc* γείτων. Αἰβοῖ *forte ab* אבוי aboi. Αἰανὸς *ab* אנינה anina, *ſeu* און on. Ἄψα *ab* חצף aſap. Ἄφαρ *ab* צפר zaphar. Εἶθαρ *ab* חיש his. Ὠκὺς ἀπὸ τῦ החוש. *Ex eodem fit* תהש, *unde* ταχὺς: *& deperdita* ח θοός. Velox *a* בהל viel, *ſeu* biel. *Hinc* βαλαιόν. Ἀμύω *ab* המהר amiar. Κυκύω *venit a* חוש cus, *ſeu* cis. *Inde profectum* κόκυ. Ἅμα *ab* עם im, *ſeu* am. Ὁμῶς *ab* המון amun. Ἰαύω *ab* יאחר. Moror *ab* מאחר. Commorare *quid apud* Terentium. Κεῖμαι *a* קום cum: *unde &* jaceo. Supare, *&* ſupus, *a* שפל Ἵζω *ab* הציח iziach. Scamnum, ſcabellum *a* שב ſcab. Stabilis, ſtabilio *ab* הציב. Ταπεινὸς *a* שפל. Ἅπαξ *ab* הפעם apaam. Ἄψ *a* השוב aſub: *atque hinc* ὀπίσω. Retro *ab* אחרית aharit. Βεῖ, βειάω *ab* אביר abir. Bris, *unde* Britomartis *virgo dulcis apud Cretenſes*, *ab* ערב areb. Αἱμύλος *ab* הלהם alaam. Αἰκάλλω *ab* חלק calah: *hinc forte* mulceo *natum*. Clemens *a* חמל camal. Γλυγὺς *forte a* ענוג ganug. *Hinc* התענוג, *unde fortaſſe* dulcis. Suavis *a* שעה. Ἕνεκα *fortean ex* יען jacan. Ἑξῆς *ab* אצל etzel. Ἔτι *ab* עוד od. Ἔμβας *ab* אבל abal. Ἔσορα *ab* ἐς, *atque* ὁρα, *quod ab* אחור aor. Αὖ *ab ipſo* aor. Χθὲς *a* קדם chedem. Πρωῒ *ab hebr.* zapar. Heri *ab* אחור aor. Fors *a* פור Fur. Fi *ab* ῦ *Ariſtophaneo*. Puteo, *&* πύθω *ab* באש beas. *Hinc* ψώα, pus, *&* fœteo. Ἔωλος *ab* אלח.

AC forte venit ab hebræo הכ *ac* ex כ *ſicut* adverbio ſimilitudinis, cum revera vox latina *ac æque*, *ſimiliter* valeat. Ἄγχι prope, cujus originis altum ſilentium apud Grammaticos, recta venit ab Hebræo הגיש agghiſc ex נגש naghaſc *acceſſit*. Ἆσσον idem, atque ἄγχι, ἐγγὺς, πλησίον ſonat. Si apud Grammaticos hujuſce vocis originem quærere allabores, fruſtra eris. Porro id profectum ab oriente, cujus genuina origo erit ab אצל etſel, ſeu aſſel *prope*, *juxta*. Et quoniam צ modo in *Z*, vel *S* abit, modo in *TS*; ideo ex ipſo *etzel etſel*, ſeu *eſſel* factum latinum *juxta*, *juxtim*, quod etymon inde omni jure deductum, quovis pignore certare auſim. Hinc plane friget Voſſius in hujuſmodi originatione derivans a *jugo*, pro *jungo*. Nam, ait ille, *quod alteri*

juga-

jugatur, *sive jungitur*, *id juxta illud esse dicitur*. Σχεδὸν *prope*, unde σχέδιος vicinus derivatur apud Eustathium, aliosq. a σχέω, vel ἔχω. Sed invitis Musis. Nam ab orientali שכן *sacen vicinus* N. desciscente in D. cujus mutationis vadem do Vossium, qui in de permutatione litt. exempla suppeditat. Γείτων *vicinus* venit ab גיש *gas accessit*, *propinquavit* ex נגש *nagas N* exciso de more defectivorum Pe-Nun. Αἰβοῖ idem est, atque οἴμοι, nempe *hei*, *heu*; videtur esse ab אבוי, quod ipsum sonat. Sane αἰβοῖ vox est saepe *dolentis*, *querentis*; uti apud Aristophanem αἰβοῖ πάλας, haud secus, atque אבוי, quod Pagninus, Junius, Piscator, Castalio *interjectionem*, seu *voculam querentis* esse uti *oi*, *heu* tuentur. Id adeo verum, ut utraque vox iisdem elementis constet. Αἰανὴς, seu αἰανὸς exponitur *gravis*, *acerbus*, *luctuosus*, θρηνητικός, & αἰνὲς *dirum*, *lamentabile*; derivantur vero ab αἶ, αἶ. Sed ipsi Graeculi, immane quantum inter se discrepant. Nam Sophoclis scholiastes ex αἰανὸς factam αἶ contra contendit. Profecto utrumque proficiscitur ab hebraeo אנינה *anina*, seu און *on planctus*, *moeror*, *luctus*. Αἶψα *statim*, & *celeriter* redditur, atque ab ἅπτω ducitur. Verum orientalis vox est, fluitque a chaldaico חצף *asap acceleravit*, *S* & *P* in Ψ commutata. Ἄφαρ *statim*, *continuo* ab ἅπτομαι non desunt, qui derivant. Sed facile descendit a צפר *Zaphar maturavit*, *properavit*, *volavit*, quod chaldaice esset *aphar*, nam צ vertunt in ע, uti ex עץ factum אעה, ex צמר est עמר, ex צלע est עלין numero plurali. Εἶθαρ idem fluxit ab חיש *is cito*, *celeriter*, *S* in *T* controversa. Ὠκὺς *celer* factum ab החויש *acus*, *festinavit*, *acceleravit*. Ex ipso חויש *cus* exstat תחש, unde ortum ἀμέσως ταχὺς *celer*. Necnon ex eodem vocabulo profectum est θοὸς *celer*. Velociter, & velox unde sunt derivata ita Vossius: *Velox proprie de navibus dicitur*, *si recta est Prisciani sententia in* IV. *ubi de nominibus in* ox *agens*, *ait* a voco vox, a velum velox. *Ac similiter Papias*. *Aliis a* volatu *dici videtur*, *quasi* velox. *Primae tamen syllabae modulus refragatur*. *At cum vello* (*unde quidam originem arcessunt*) *nullam habet significatio affinitatem*. Huc usque de origine Vossius. Sed ejus origo missis Grammaticorum fabulis oritur ex chaldaico בהל *Biel*, seu *viel acceleravit*, *festinavit*, unde בהילו *veilu celeritas*, nam *B*, in *V* abire verissimum est. Hinc ex eodem *beilu celeritas*, & *biel celeravit*, & *terruit*, *turbavit* fluxit Βαλαιὸν, quod exponitur *velox*, *magnum*. Ἀμύω est *propero*, *festino*, si fides Suidae. Plane profectum ab hebraeo המהר *amiar*, quod idem est (*a* hehemantica praemissa). Κυκύω exponitur *accelero*, fit a חויש *cus*, seu *cys*, quod idem est; C geminata. Hinc fit & κόκυ, quod Atticis est *celeriter*. Ἅμα exponitur *una cum*, *simul cum*, atque aliquoties ἁπλῶς *cum* sonat, ut ἅμ' ἐμοὶ apud Aristophanem, quod Latinis *mecum*. Sane profectum ab hebraeo עם *im*, seu potius *am*, etenim prior littera est ע *Ain*, quod *cum* indicat. Hinc עמי *immi mecum*; quod adeo certum est ab hebraeo descendere, ut ex eodem fluxerit quoque ὁμοῦ, quod designat *una cum*, seu *cum*, & attice *prope*; quandoquidem hebraeum *im* non solum *cum* significat, verum etiam *prope*, *juxta*. Ὁμῶς vero *similiter* posset deduci ab המון ex *temuna*, *similitudo*.

Morot

Moror, & *Mora* unde dicta, age videamus. *Mora*, ait Vossius, *pro ἀναβολῇ sive dilatione ac cunctatione, venit a μέρω divido: quia morantes tempus intervallis trahunt ac dividunt. Vel a Græco μονὰ, quo mansio, moraque in loco aliquo significatur.* N *mutatum in* R, *ut in aliis multis, quemadmodum ostensum in crissare*. Hæc de origine Auctor. At Cl. Mazochius opinatur esse a מהר quod *videtur non tantum pro festinando, sed & pro contrario positum apud antiquos Italiæ colonos, sicuti* חטה *hathah & peccare, & sanctificare significat*: ejus verba sunt. *Quamquam possit & ab* עמר *deduci, absorpta gutturali, & verso* D *in* R *Tyrrhenico*. Verum isthæc etyma, absit verbo invidia, partim falsa, partim dura, partim longe petita. Itaque rectius ego deducerem a מאחר, quod derivatur ab אחר *moratus est*, non quo tantis viris fucos facessam, sed quia inde verius fluere videntur. *M* tamen hehemantico, seu participiali, ut ita loquar, præmisso. Videtur quandoque positum pro *impense delectare*, uti apud Horatium de art. poet. v. 321.

Valdius oblectat populum, meliusque moratur.

Quod Itali *trattenere*, ait Facciolatus. Haud dissimili modo *commoro* apud Terentium Phorm. act. 1. sc. 2. ubi ait:

Virgo ipsa facie egregia; quid verbis opus est?
Commorat omnes nos.

Ἰαύω, *moror, commoror* manavit ex יאחר, quod ab אחר *ahar, moratus est*. Κεῖμαι *jaceo, situs, positus sum* venit a קום *kum stetit, exstitit*. Hinc quoque ex eodem יקום fluxit *jaceo*. Sane si signi ficatio τῦ κεῖμαι, *jaceo*, & τῦ קוא *Kum* probe conferatur, unam eandemque esse fateberis. *Supare*, si credere Festo haud gravabimur, sonat *jacere*; & *Supus* idem ac *supinus*. De hujus vocis origine ita Vossius: *Supinus ab antiquo suppus, sive supus. Veteres enim non geminabant consonas. Supus vero vel est a supare, quod est jacere, prout Festus exponit: vel potius a Græco ὕπτιος, ejecto* τ. Quam originationem ex Festo mutuatus est. Sed cum *supus*, & *supo* sint voces quæ magnam antiquitatem redolent, haud immerito suspicari possumus ortas esse ab Orientali שפל, quod Hebraice, & Chaldaice est *humiliari, deprimi, humile, dejectum, depressum esse*, quod idem, ac *jacere*; hinc שפלה *planities, locus humilis, depressus*. Ad rem *jaceo* tum accipitur pro *situm, positum esse*, & dicitur de aliquo loco, tum translate pro *dejectum, abjectum* esse. Ὕπτιος vero forte fluxit ex ipso השפיל *ispil* ab שפל *humilis, depressus, dejectus* per metathesin, & ש in τ abeunte. Ἵζω *sedere facio* factum vel ab הציח *iziah*, quod exponitur *stravit, stratum posuit*, vel ab אצל *azel seponere, reponere*. *Scamnum* idem ac *Subsellium, cathedra*, uti docet Juvenalis Scholiastes ad Sat. VII. A *scamno* fit *scamellum*. Hinc Glossæ Cyrilli: ὑποπόδιον, *scabellum, subsellium, scamellum, suppositorium*. Commode autem *scabellum* reor venire ἀμέσως a שב *scab*, unde שיבה *sciba sessio, residentia* ex ישב *jascab sedit, consedit*; *Jod* evanescente de more, ut etiam pueris notum, *B* vero in *M* conversa. *Scamnum* vero venit ab ipso שב *scab* versa tamen *B* in *M*, atque addito *N*. Ceterum te monitum volo, nihil referre, utrum statuas ex ipso *scamnum* factum *scamellum*, & dein *scabellum*, eo quod facillima, & mutua erat permutatio τῦ *B*,

& *M*. Etenim uno, eodemque ovo prognati; nempe ex ipso שב *scab*. *Stabilis*, & *Stabilio* Vossius arcessit a *stando*. At mihi non displicet deducere ab הציב *istib*, seu *stab* (abscisso Jod de more) *statuit*, *stabilivit*. Unde exstat מצב *statio*. Unde *Stabiæ* urbs. *Tapinosis* ταπείνωσις a ταπεινὸς *humilis*, *non assurgens e terra* verissime factum ex Hebraico שפל *sapel humilis* eodem sensu; hinc Ezech. XII. 6. שפלת קומה *humilis statura*. Adhæc sicuti ταπεινὸς accipitur translate uti pro *vili*, *abjecto*, ita שפל apud Hebræos. Exempla sunt sexcenta. Hinc LXX τὸ שפל *sapel humiliari* reddidere ταπεινόω, & *sapel humilis* transtulere ταπεινὸν. idque ferme ubique. In adducta voce tamen *S* in τ, & ל in *N* conversa sunt. Apud Chaldæos potissimum in more positum ש Hebræorum in ת commutare, uti תור unde *taurus* ex שור, תרע, unde θύρα ex שער, תקל ex שקל, תלת ex שלוש, תם ex שם. Id adeo certum.

Ἅπαξ *semel* venit ex הפעם *apaam vice simplici* Gen. II. 23. זאת הפעם *hac vice*: Num. XXIV. 1. כפעם בפעם *sicut vice in vicem*. Ἄψ *retro*, unde ἄψ ἰέναι est *reverti*, & *rursus* dictum ab Hebræo השוב *asub reverti*, *regredi*; & sæpe numero ἁπλῶς tamquam adverbium positum significat *rursus*, *denuo*, *iterum*. Gen. XXVI. 18. *Et reversus est Isaac*, *& fodit*. LXX ἁπλῶς habent: Καὶ πάλιν Ἰσαὰκ ὤρυξε. Num. XXXV. 32. *ad revertendum habitatum*, habent; τοῦ πάλιν κατοικεῖν. Deuter. XXX. 3. LXX habent; καὶ πάλιν συνάξει σε, pro *& reducet*, & *congregabit te*. Idque ex innumeris aliis Scripturæ locis arguitur. Hinc liquidum, quam false Vossius duxerit ἄψ, uti supra vidimus, ab ἀπό. Ex eodem השוב *asub*, metathesi quoque adhibita, videtur ortum ὀπίσω *retro*. Hic autem *retro*, unde manavit, restat inspiciendum. *Retro a* re, *præverbio loquelari*, ait Vossius, *nisi hoc ab illo esse malis*. *Priscianus in fine quartidecimi libri*: Re *videtur a* retro *per apocopam factum*, *sicut & ipse sensus manifestat*. Respicio, retro specio; reverto, retro vertor; recurro, retro curro. *Vel ab hoc natum est adverbium*, *quomodo ab* ex extra. *Eadem pene apud Alcuinum legas in Grammaticis*. *Omnino autem posterius malim*: Retro *vero dicitur*, *quasi* reitero: *ut omnino posterius sit*, *quam* re. Hæc de origine Vossius. At ut vero vultu loquar, isthæc sunt meræ Grammaticorum quisquiliæ. Nam *retro* caste, integreque venit ab אחרית *aarit*, *posterius*, alternante *R*, quod est ab אחור *aor posterius* & *retro*, dumtaxat principe syllaba absorpta. Idque haud novum est, sed adeo tritum, ut nihil supra. Βρῖ scilicet *ἄγαν*, βριάω *robustus sum*, βριαρὸς *robustus*, *validus* veniunt ab אביר *abir*, *robustus*, *fortis*, littera principe א elisa; quamvis βρῖ posses per metathesin ducere ab הרבה *arbe multum*, *plurimum*, dummodo βρῖ haud contractum ex βριαρὸς credas, sed primigeniam vocem. *Bris* denotat *jucundum*; si fides Cornuto: unde etiam *Briseida* quidam dictam volunt, quia fuerit *jucunda* Achilli. Hinc ortum vocabulum *Britomartis*, de quo ita Solinus cap. 11. *Cretes Dianam religiosissime venerantur*, *Britomartin generaliter nominantes*; *quod sermone nostro sonat virginem dulcem*. Porro cum *bris* designet *dulce*, *jucundum*, & neque in Latio, neque in Græcia radices habeat, necesse est, ut ab Oriente devenerit. Sane ope metatheseos venit ab Hebræo ערב *areb dulcis*, *jucundus*. Quare doleo Bo-

Bochartum Geogr. S. col. 743. dumtaxat alteram vocis partem derivasse ἀπὸ τῦ מראת *marath* apud Arabas *mulier*, sed τῦ *Brito* nullam habuisse rationem. Id adeo constat, ut & Hesychius doceat, βριτὺ γλυκὺ Κρῆτες. Αἱμύλος *blandus* est ab הלחם *alaam blandiri*, sicuti vulgo exponitur. Αἰκάλλω *blandior* frustra a Graeculis derivatur ex κάλλος, aut aliunde; nam per metathesin ἀμέσως venit ab חלק *alac*, & in hiphil החליק *eelic blandiri*, seu ipsum αἰκάλλω. Ab ipso חלק præposito מ fit מחלק, unde *mulceo* defluxit. Neque istud abs re esse reor.

Clemens si Grammaticis aures præbemus, dicitur quasi *colens mentem*, aut *clarus mente*, vel denique *clinans mentem*, uti credit Vossius. Sed hæc omnia fabulæ. Etenim fit ab חמל *camal*, quod idem est, transposita τῦ *L* ante *M*; & חמלה *cemla clementia*. Γλυκὺς *dulcis* a ענג *ganug* idem, ע in *G* versa, & נ in L abeunte. Noli hasce mutationes litterarum mirari. Nam ex עומרה factum *Gomorra*, ex עמיר *mergæ*. Neque desunt inter Eruditos, qui veluti *G* proferre amant. Hinc ע *Ain* Arabum cum puncto superius infixo profertur, *GH*. Ab ipso ענג *ganag* est תענוג *taanug* delicium, unde ortum latinum *dulcis*, *T* in *D* abeunte, & *N* in *L* versa. Atque hocce etymon minus durum, quam illud quo ducitur a γλυκὺς, *suavis*, *dulcis*, *jucundus* exponitur. Itaque natales suos habet a שעה *sava*, quod *oblectavit*; unde שעשע idem, atque etiam *Sciscim oblectationes*, *deliciæ*. Unde fortasse vulgare illud *scioscia*, cum popellus crocitando usurpat *core di scioscia*. Ἕνεκα, seu εἵνεκα per metathesin ab יען *jacan*, quod *propterea* exponitur, ע vero in *C* commutata. Ἑξῆς exponitur *deinceps*, *ordine*, atque ὁ ἑξῆς *proximus*, *sequens*. Opportune autumo fluxisse ex Hebræo אצל *etzel*, *Tzade* in ξ cedente, quod valet, *juxta*, *prope*, *penes*. Hinc LXX reddidere παρὰ, πλησίον, μετὰ. Ἔτι *adhuc* forte emollitum ex עוד idem, *D* in *T* conversa. Ἔμβας exponitur *tamen*, πάντως, *omnino* est deductum ab ipso Hebræo אבל *abal*, quod exponitur *at*, *sed*, *imo*, *verumtamen*. Apud LXX ἀλλὰ, καὶ μάλα, ναὶ ἰδὲ, ναὶ ὄν redditum; quæ sane quam maxime accedunt græco ἔμβας. At quomodo ex אבל *abal* factum ἔμβας, accipe. Consonæ geminari assolent, ut in confesso apud omnes est; hinc fit *abbal*, & quoniam *B* in *M* commutari facillimum est, prior *B* in *M* conversa est, atque addita terminatione græca, ecce tibi in promtu Ἔμβας. Ἐσόρα est *retro*, atque mihi videtur constare ex duabus vocibus nimirum ex ἐς græca præpositione, atque ορα, quod inusitatum. Hoc autem vocabulum est ab Hebræo אחור *aor retro*. Atque his nodis extricandis impares essemus, nisi lux ab Oriente affulsisset. Αὖ *rursus*, & *retro* omnino contractum ex ipso אחור *aor*, seu *aur* (nam ו modo *V*, modo *O* sonat). Hebræum *aor*, seu *aur* non solum significat *retro*, sed etiam *posterius*, & *postremo*, quod aliquo pacto facit cum αὖ, prout indicat *rursus*, *denuo*.

Χθὲς vulgo redditur *heri*, & χθεσινὸς *hesternus* profectum ab Orientali קדם *kedem pridem*, *ante*, quod ex *Chadam*, quæ vox in universum notat *tempus quod præcessit*; versa *D* in ϑ. Πρωῒ *mane*, *tempestive*, *praemature* factum ex צפר *zapar maturavit*, *festinavit*, & צפירה *zepira matutinum tempus*, *mane*, truncata principe syllaba. Ab ipso צפר non inconcinne duci potest πρόκα-

sta-

statim, *continuo*. *Heri*, unde sit profectum, miserandum in modum digladiantur Grammatici. At non multum a veritate nos aberrare puto; si derivare ab אחור *haor* haud indignabimur. Porro אחור est *posterius*, *retro*, itaut *heri* sit, quod *posterius*, *retro* est; quemadmodum ex חדם *ante*, *pridem*, quod fruticat a חדם *cadam* *antevertit*; *præoccupavit*, χθὲς apud Græcos fluxisse paullo ante ostendimus. *Forte* dictum a *fors*; quæ differt a *fortuna*, quia fors casus est, fortuna ipsa Dea, uti admonet Nonius. Hinc Priscianus ait: *Fors quidem*, *forsan*, & *forsitan dubitandi sunt*. *Fors vero eventus*. Profecto *fors* manavit ex Orientali פור *fur*, seu *for* (nam ו, ut sæpe monui, utrique æquivalet). Huic vocabulo subjecta est notio τῦ *fortis*. In rem cadit quod Facciolatus pronunciavit: *Forte adv. per avventura*, τυχὸν, *fortuito*, *casu*, *&* *veluti per sortem*. Adeo nostra origo confirmatur. *Fi vox est*, *qua fœtida abigimus*: ita Interpretes ad Plaut. Cas.III.*6.7*. *Fi*, *Fi*, *fœtet tuus mihi sermo*. Eadem alii Lexicographi. Verum licet isthæc expositio non improbatur, tamen nostram conjecturam in medium proferre arridet. Etenim ista vox non solum videtur adhibita, quo fœtida abigantur, sed etiam quo exprimatur ille sonus, quem quis olfaciens edit, cum spiritum scilicet naribus trahit. Fortasse sumta ab græcanico ὖ, ὖ, quod usurpatum a quodam apud Aristophanem in Pluto, qui carnes suillas intus esse subodoratus, olfaciens edit hunce sonum ὖ, ὖ, ὖ duodecies; verso tamen spiritu aspero in Digamma, nempe *F*, & *Υ* in *I*, eo quod veteres Latini respuebant potius, quam adhibere amabant, & non nisi sero invectum apud illos. Ceterum etiamsi prior expositio vera sit, tamen inde origo repetenda. *Puteo*, & *putor*. *Puteo a* πύθω, *a quo ipso fit putreo*, *inserto R*, *ut a* φλέγω, *flagro*. Ait Vossius. At juvat advertere πύθω innuere *putrefacio*: Verissime cum *puteo*, tum πύθω quod est *putrefacio* conficiuntur ab Orientali באש *baas fœtuit*, & *putruit* versis *B* in *P*, & *S* in *T*. Hinc nimirum ex *baas* ortum græcum ψῶα *fœtor*, B & S in ψ *conversa*. Necnon inde fluxit *pus*, & Græcum πύος. Denique ab ipso באש manavit *fœteo*, quod vidit & Cl. Mazochius, & quod nemo si sapit damnare audeat. Ἕωλος exponitur *hesternus*, atque dici ajunt *de cibis*, *qui in sequentem diem relicti saporem*, *ac vim suam amittunt*. Hinc *rancidum*, *marcidum* significat & *vetus*, *obsoletum*. Perbelle effingitur ab אלח *alah*, unde נאלח *neelah fœtidus*, *putidus*, *rancidus factus fuit*. Quod sane etymon rem acu tangere videtur.

CA-

CAPUT III.

Græcum εἰ, *& latinum* si *ab Oriente petenda*. Ἵνα ab יען. Instar *ortum repetit ab Oriente*. Μὰ, & μὴ *profectum ab Hebræis*. Μάλα *a* מאד. Μὲν *ab Hebraico* amen. Minor *unde secundum Grammaticos?* Μείων, minor, *&* μινύθω *a* מעט. Μόγις, μόγος *ab Hebræis orta*. Necesse *ex* חשה, *unde* χατέω. Πάλιν *ab* חלף. Pe *&* φι *a* פי. Perperam *a* פרפר. *Vossius notatur*. Πλὴν, satis, Συχνὸς, Πυκνὸς, Πίτανα *unde veniant?* Turma, τύρβη, ὄχλος, Γογγύρα, Copia, Θαμὴς, Ἀέξω *ab Oriente ducta*: Buo, Βύω *a* בעה. Galba *a* חלב, *unde* λίπος. Magnus. *Unde ducit Vossius, & Mazochius*. Magnus, *&* μέγας, *seu* μεγάλος *a* מגדיל. Μικρὸς *unde?* Sollus. *Quid de hujus vocis origine senserint Vossius, & Mazochius*. *Oritur a* שלם. Σαυλὸς, Ἥσυχος. *Orientis plagæ sunt*. Sedo, *&* sedeo *a* שות. Λωφέω, *&* κηλέω *ab Hebræis sunt*. Sedulus, *&* strenuus *quo pacto fiunt, ab* שדד. *Quid* κυρίως strenuus *designat?* Semper *ab* ἀμπερές. Volupe *a* בל. Volo *ab* יאל. *Hinc* λῶ, *&* θέλω. Βούλομαι *forte a* בל. Cupio *a* חפץ. *Hinc* Opto, *unde &* ποθέω. Ἱμείρω *ab* חמד. Amo, Ἔρως, ἀίτης. *Eorum origo*. Μῖσος, Αἰτία, Ὅσιος, Πρέπον, Μῦσος *unde derivata?* Pejus, Ἀγαυὸς, Τέλος, Γαυσὸν. *Horum etymon ab Oriente derivatum*.

EI' *si* omnino cusum ab Hebræo אם *im*, quod tantumdem valet. Heic autem animadvertere ne pigeat, quod sicut אם non solum significat *si*, sed etiam *an* interrogativum, atque alias significationes adoptat, ita etiam græcum εἰ valet *si*, *an*, aliaque, itaut si conferantur inter se dicendi formulæ, quæ occurrunt apud Hebræos, & Græcos, unum idemque esse liquido appareat. *Si* vulgo dicitur ab εἰ præmisso S; sed fortasse verius factum ab Hebræo שׁ *se*, quod decurtatum ex אשר, quod *si* etiam significat. Ἵνα est idem atque ὄφρα forte componitur ab יען *iaan eo quod*, *propterea*. *Instar*, *instaris dici credidit Probus*: *Sed esse nomen* μονόπτωτον *rectius censet Charisius l.* 1. *& Servius* 11. *Æn. Eo similitudinem significari scribit Augustinus lib. de arte Grammatica. Ac similiter Gloss. vett. in quibus exponitur* ὁμοίωμα, ἀποικόνισμα. *Negat Servius in II. & IV. Æn. instar recipere præpositionem. Interea &c.* Hæc Vossius. Itaque *instar* cum κυρίως notet *similitudinem*, arcessas profecto ab Orientali יצר *iatzar formavit*, *finxit*, unde הצורה *atzura forma*, צ *tzade* in S & T versa, & N inserto, quod nasci solet ex Daghesc more Chaldaico. *Ma*, unde *ma dia*, *per Jovem* desumtum a græco μὰ δία, qui est græcus jurandi ritus cum in affirmando, tum in negando. Usus Petronius in fragm. Trag. c. 52. Burm. *Syrum histrionem exhibebat, concinente tota familia, ma dia perite, ma dia*. Itaque cum μὰ ἁπλῶς, & μὰ δία adhibeatur in juramentis, & affirmando, & negando, dubio procul fluxit ex Hebræo אם *im* per metathesin.

thesin. Hinc ortum alterum græcum *μὴ*. Sane Hebræum *Im* idem omnino sonare videtur: nam in Psalmis jurando adhibetur, & omnino negat. Exempla hujusce significationis vel apud fabricatores grammaticarum, quæ innumera sunt, facile offendes. *Μάλα valde;* næ tu a vero non aberras, si hujusmodi voculæ originem inter Hebraica quæras; fit enim ab מאד *meod*, seu *mada* (dummodo τῦ א *a* aliquam rationem habere velimus) quod idem valet, commutata D in L, cujus exempla mutationis huc afferre & grave est, & supervacaneum, cum tam multa sint, ut stomachum moveant. *Μὲν quidem* est ab Hebræa voce πολυθρυλλήτῳ אמן *amen*, quod fit tantum truncato א. Sane אמן *ναὶ*, & *ἀληθῶς* valet. Hinc quod Matthæus dicit *ἀμὴν*, id Lucas IX. v. 27. dicit *ἀληθῶς*. Pro *ἀμὴν* Matthæus XXXII. 36. Lucas XI. v. 51. dicit *ναὶ*, hoc est *certe*, *profecto*, quod idem, ac *μὲν*. *Met* apud Grammaticos est syllabica adjectio. Profecta videtur ex Hebræo מו *mo*, quod apud Hebræos perinde esse nemo unus hujusce linguæ peritus ibit inficias.

Minor, cum nomen est comparativi gradus, si Nunnesium audimus, a μείων minor, inserto N, ut a δασὺς densus. Sed non dubito, quin & minimus sit a μινυὸς, quod Atticum est pro μικρὸς, ut scribit Eustathius. Inde μινύθω minuo, quod a græco μινύθω venit. Nisi & μινύω Græci dixerint, ut arbitror: ait Vossius. Mazochius vero ducit a מנע *prohibere*, & *privare*, *στερέειν* apud Seniores. Verum *μείων minor*, & *μειόω minuo* defluunt a מעט *maat parvum esse*, *minui*, unde N inserto, oritur & *μινυὸς*, & *μινύθω*, quæ quidem vel meo periculo Vossianis & Mazochianis veriora credas. *Μόγις vix & magno cum labore*, & *μόγος labor*, unde *μογέω laboro* exsistit a מגיע ex יגע *iagah laboravit*, *fatigatus est*, & יגיע *labor*. Ab ipso יגע ortum forte *ægre*, atque *æger*, ut proprie sit *lassus*, *fatigatus*. *Μόλις vix* quoque denotat & *μόλος labor*. Utrumque ductum ab עמל *amal labor*, abscissa ע. *Necesse*, *necessum* factum ab נחשה *nicosa* ex חשה *casa necesse habuit*, unde חשחות *necessarium*. Ab ipso חשה *chasa* ortum græcum *χατέω*, *indigeo*, *opus habeo*, quod idem valet, tantummodo versa *S* in *T* quo nihil usitatius. *Πάλιν rursus* forte per metathesin factum ex חלף *halap mutatus*, *innovatus est*, unde חליפה *halipa vicissitudo*, atque *halipot alternatim*, *per vices*, quod non mihi adeo absurdum videtur. *Pe*, & *piam*, ut in *quippe*, & *quispiam* quid sint, & unde profecta, silentio premere amarunt Grammatici. Porro, ni fallor, est adjectio, quæ in aliis quoque vocibus usuvenire assolet. Neque alia videtur ab illa Græca *φι*, & *φιν*, quæ etiam Græcanicis vocibus addere consuevere Poetæ. Haud heic opus exemplis. Ut ad rem veniamus, tum *φι* syllaba paragogica, tum *pe* omnino, & recta derivata ab Hebræo פי *Pi*, & *Phi* (nam Hebraicum פ utrumque valet) quæ sæpe est particula expletiva, seu syllabica adjectio, quæ, si Grammaticis fides, aliquando *modum*, & *æstimationem* designat: proindeque unum idemque erit. Perperam a perperus, *quod Nonius interpretatur* indoctum, stultum, rudem, insulsum, mendacem. *Idem adducit illud Accii:*

Describere in theatro perperos populares.

Sed Noniana interpretatio non satis proprietatem vocis exprimit. Primo enim notat

iat levem, & temerarium: *ut quod sit idem* ac πέρπερος, *quod ipsum dici videtur quasi* περφόρος, ἀπὸ τοῦ περιφόρεσθαι, *quasi* qui, huc, illuc volitet, ac vento quolibet circumagatur. *Confirmantur hæc Glossis Philoxeni, in quibus legitur:* Perperus πέρπερος, προπετής. Perperum (*ita recte emendat Vulcanius*) ἀνάμαρτον. Hactenus Vossius. Heic autem ægre fero Vossium prodidisse πέρπερον dictum quasi περφόρον ἀπὸ τοῦ περιφόρεσθαι. Nam *perperus* unde *perperam*, Græcis πέρπερος nullis ambagibus fluxit ex Orientali פרפר *pirper confregit, irritum, vanum fecit* ex *Pur disrumpi*. Πλὴν *præter* videtur *factum* ex בלי *beli non*, & *præter*, conversa ב in π.

Satis ἱκανῶς, *sufficienter* sine ullo dubio petitum ab Hebræo שדי *sadai sufficiens*, quod ex די *dai sufficiens, satis*, tantum *D* in *T* versa. Hinc LXX mordicus ἱκανὸς verterunt. Συχνὸς *spissus, multus, copiosus* fertur vulgo factum ex πυκνός. Porro πυκνὸς videtur constare ex פש *pas abundantia, multitudo*, ש in K verso. Συχνὸς vero a סך *sac* quod exponitur *turba mixta*. A פש *pas* fingitur Græcum πίτανα, quod idem. *Turma* dicta forsitan a תרבות *tarbut, multitudo, turba*, tantum *B* in *M* mutata. Ab ipso תרבות *tarbut* ortum quoque τάρφος *densitas*, & ταρφὴς *densus, creber, frequens*, ב in φ abeunte. Ὄχλος *turba, multitudo hominum* venit ab Hebræo הקהל *acaal cœtus, congregatio*. Γογγύρω *multitudo* fluxit a גור *gur congregare, coire*, *G* geminata. *Copia* forte profectum a כבד *cobed copia, multitudo*, ב in *P* conversa. Θαμὰ *frequenter, crebro, &* θαμὴς *frequens* seu πυκνὸς *densus, confertus* recta oritur ab Hebræo *atam numerosum esse*, unde עצום *atum numerosus, versa* צ *Tzade* in *T*. Ἀέξω *augeo* conflatum ex השגא *isga*, seu *asga* idem, ש, & ג in ξ conversa. Nam isthæc littera ξ valet *S*, & *G*. *Buo*. Imbuere *est ab antiquo* buo. *Glossæ Isidori:* butum, imbutum, imbuendum. *Sed ut* implere, explere, deplere *in usu sunt, plere autem obsolevit; ita & buere in solis remanserit compositis, ac derivatis. Buere est a* Βύω, *quod est* πληρόω, *quomodo usi Homerus, Aristophanes, alii. Indeque* Βύζω, *teste Etymologo, qui & de ventis dici ait, quando vela implent turgido suo flatu. Nec dubium, quin ab eodem* βύω *sit* βύβα, *quod Etymologus ex Sophrone adfert, atque explicat* μεστὰ, καὶ πλήρη καὶ μεγάλα. *Quare cum* βύω *sit* pleo, *ut veteres locuti; imbuo erit ab* ἐμβύω, *ac proprie erit* impleo. *Sed Latini strictius usi verbo* buere, *&* imbuere *pro implere liquore.* Hæc, aliaque habet Vossius. Porro, cum res ita se habeat, βύω, & *Buo* profecta sunt a Chaldæo בעה *Baa bullas excitavit, ebulliit, bullavit;* & quoniam dum aqua ebullit, & bullas excitat, inflatur, & tumet; hinc Jes.XXX.13. נבעה exponitur, *tumens, inflata*. Quæ quidem haud absunt a veritate. Galba. Apud Gallos Svetonius *Galbas* vocari *præpingues homines* asseverat cap.III. in *Galba* ubi causam investigaturus, unde *Galba* dictus sit, ita refert: *Nonnulli quod præpinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocant*. Idem recenset ex Svetonio Vossius; idem Bochartus tom. II. c. 676. edit. 1707. & col. 1217. atque ducit a חלב *cheleb* id est *pinguedo*, ut *galbanum* ex חלבנא *chelbena*. Ab ipso חלב *haleb pinguedo* truncata priore littera ortum λίπος idem, *B* in *P* affinem abeunte.

Magnus unde sit, audi Vossium, & Mazochium alium alio modo diffe-

ren-

rentes. *Magnus vel a μέγας inserto N, quomodo a rego est* regnum, *a* tego tignum; *vel a μεγάλος extrito* a, *& mutato* λ *in N; qua ratione a γρυλλίζω fit grunnio; & a Syriaco* luz, nux. *Comparativus* major *est omnino a μείζων.* Hæc & alia legas apud Vossium. Mazochius vero in additionibus Vossianis postquam advertit *magnum primaria notione hominibus tribui, ac magnatem notare ea de caussa*, quod *in agnomen sæpe transiit*; contendit *fieri magnus ab Hebræo* השמן (*quod magnatem notat*) *rejecta, quod sæpe fit, priore syllaba*. Verum Cl. Auctor haud persuadebit Eruditis *magnum primaria notione magnatem* designare, atque inde ad res translatum. At hæc originatio quam durissima; quî enim priore syllaba detruncata extundi ex eo potuerit, æque cum ignarissimis nescio. Vossius vero dubitat utrum μέγας, an μέγαλος, unde ipse ducit *magnus*, sit primigenium. Hinc antequam ad originem deveniamus, monere juvat potius existimandum secundum originem, quam mox ex hebræo allaturi sumus, μέγας esse contractum ex μεγάλος, μεγάλος vero primarium; quod licet ipsum in præsenti non sit in usu, tamen ejus vestigia manent in obliquis casibus, & in μεγάλη. Ergo μεγάλος verosimilius reor factum ex Hebræo מגדיל *megadil magnus factus*, quod fit ex גדל *gadal magnum esse*, tantum D in λ versa. Sane *megadil* si invertas in *megalil*, præsto erit μεγάλος, unius litterulæ facta commutatione, quam non esse insolentem æque inter omnes constat, & inter ceteros Vossius ipse in de permutatione litterarum id affatim comprobat. Ceterum, si μέγας contendere velis esse primitivum, erit contractum ex ipso *megadil*, abjecta postrema syllaba: adeo ut pro nostra origine nullus relinquatur dubitandi locus. Μικρὸς *parvus* facile emollitum ex Hebræo מצער *mizar parvum, perexiguum*, nimirum צ in K deficiente. Neque id mirum. Etenim *Z* apud Latinos sæpe abit in C. Quadere consule ipsum Vossium loco citato.

Sollus quid κυρίως designaverit sic tradit Festus: *Sollum Osce totum, & solidum significat; unde tela quædam solliferrea vocatur tota ferrea, & homo bonarum artium sollers, & quæ nulla parte laxata, cavaque sunt, solida nominantur. Sollum* vulgo ducitur ab ὅλον *totum*. Non desunt, qui derivare student ab Hebræo כול *col*, seu כולו *colo totum id* (C in S permutata) inter quos recensendus Vossius, & Mazochius. Sed horum origo nimium dura. Hinc hi quidem, nisi vehementer fallor, videntur non recte de hujusmodi vocula decrevisse. Quid enim impedimento erat, quin *sollum* recta ab Orientali שלם *salem integrum, perfectum, completum* deduceretur, unde etiam *solidus* effingitur? Σαυλὸς exponitur *delicatus, mollis, quietus*, unde σαυλόομαι *delicior, luxu diffluo* gignitur ab שלה *sala tranquillum esse, quiescere*. Ἥσυχος *quietus, sedatus, placidus* omnino fluxit ab השך *asac*, seu *esac* vel *isac* ex שכך *sacac quiescere, sedari*. *Sedo* ductum est ab שות *sut ponere* (T in D conversa) sicut Hebræis quoque verbum *sacac* designat *ponere*, & *ponere se, quiescere*. Latinis haud dissimilis locutio: hinc Virg. l. VII. Æn. ait: *Cum venti se posuere*. Præterea ab ipso *sut* שות *ponere* duci potest *sedeo*; nam שת *nates* notat; haud secus ac Latinis *sedes* sunt *nates*. Λωφάω *interquiesco, cesso* factum ex רפה *rophe* a *rapha cesso, intermitto*; versa *R* in *L*. Κηλέω *per-*

mul-

mulceo, *delinio veluti dictis* est ab Hebræo חלק *calac*, seu in hiphil *echelic emollivit*, *blanditus fuit*, *delinivit*; ultima C abscissa. *Sedulus* quid significat, aperit origo Orientalis. Est Chaldæis שדר *sedar*, unde fit promte dumtaxat *R* in *L* versa. Id adeo verum, ut etiam occurrat השתדל *istaddel* pro *istaddar*. Quare cum exstet שדל *sadel*, inde jure *sedulus* emersit. Vox Orientalis significat *mittere*, sed in Ithpahel est *conari*, *satagere*, *operam dare*. Hinc apud Dan.VI. 14. הוה משתדר *erat satagens*, *sedulus*. Ex eodem autem השתדר *istadar* beneficio metathesis pullulavit *strenuus*: quæ metathesis apud ipsos Chaldæos in hac voce occurrit; nam pro התשדר *itsadar* ajunt השתדר *istadar*. Nunc superest dignoscendum an ad *istadar* rite referatur *strenuum*, scilicet an recte in significantia conveniant. Equidem sic statuo *strenuum* indigitare potius *satagentem*, *sedulum*, *diligentem*, *promtum*, *facilem*, quam *fortem*. Hinc Tullius Phil. II. ait: *ut cognoscerent te*, *si minus fortem*, *attamen strenuum*. Ovidius IX. Metam. *una ministrarum de plebe .... faciendis strenua jussis*. Plin. l. XVII. cap. 15. *Fortissimi viri*, *& strenuissimi milites ex agricolis gignuntur minimeque male cogitantes*. Curt. l.IX. c.1. *Transiliebantque in vehicula strenuo saltu*. Plaut. in Rud. II. 28. *Adolescentem strenua facie*, *rubicundum*, *fortem*. Quibus omnibus in locis, & in isthoc potissimum distinguitur a *forti*, ubi *strenua facie* adolescens, esse videtur *omnia facere*, *aggredi conans*, *facilis*, *promtus*. Litem dirimit Horatius, qui in epp. inertiam vocat *strenuam*. *Semper* unde dictum, nugantur Grammatici. Neque amplector illam Cl. Mazochii deducentis a תמיד, nam longe nimis arcessitur. Igitur verosimilius autumo factum ex Græco ἀμπερές, unde διαμπερὲς *semper*, *perpetuo*, spiritu in *S* verso, uti fieri mos est, *a* in *e*, atque postrema syllaba rescissa. Hanc originationem haud despectam habebunt Eruditi, si sapiunt.

Volup, seu *volupe*, unde *voluptas*, venit a *volo* secundum Vossium, ubi ait: A volendo *est* volup, *seu* volupe. Plaut. Asin. v. 3.

Hem senex si quid clam uxorem suo animo fecit volup.

Ita quoque legit Nonius. Ab Adjectivo volupis, *unde neutrum* volupe, *pro quo &* volup κατ' ἀποκοπὴν *apud Plautum legas*, *est* volupitas, *& per syncopen* voluptas, *ut* a facile facilitas, *unde* facultas. Haec ille. At pace tanti viri dixerim, ex *volo* extunditur *voluntas*, non vero *voluptas*; nam *P* in *volup*, & *voluptas* est littera, ut ita loquar, *radicalis*. *Volupe*, seu *volup* vetustatem redolet, idcirco Etruscam esse vocem suspicor. Factum autem id a Chaldæo בל *val*, seu *bal cor*, *animus*, ita ut *volupe* idem sit, atque *id quod cordi est*, alternante B, quarum prior in V, altera in P transiit, vel ex ילב *ialeb* י in ו mutato, uti fieri sæpe mox ostendam, a לב *leb cor*, *animus*, seu הלב *haleb*, vel *valeb animus*, *cor*, καρδία. Neque id importunum putes; nam ex ipso לב *animus*, *cor* exstant לבבות *lebibot placentæ*; quæ non alia de causa ita dictæ, nisi quia sunt cordi, & impense perplacent, uti ipsæ placentæ a *placeo* nuncupatæ. Amplius ex נלבב fit תלבב, unde venit τέρπω *delector*. A *volup* dictam esse *voluptatem*, jam vidimus, *volup* vero non a *volo*: at istud unde prognatum, age porro inspiciamus. *Volo pro* cupio (*ut Varro*

 qui-

quidem putabat in quinto de L. L.) a voluntate dictum, & a volatu, quod animus ita est, ut pervolet, quod vult. *Sed est* volo *a* βύλομαι. *Nam vicinus olim sonus litteræ B, & V consoni* . . . . . Βύλομαι *putatur esse a* βῦ *particula intensiva, &* λῶ, *quod* κατ' ἀφαίρεσιν *factum a* θέλω, *uti hoc ab* ἐθέλω. *Quæ tria idem, ac* volo *significant*. *Estque a* λῶ λώϊον melius, *sive* quod malumus. *Aliis placet* βύλομαι *esse ab Hebræo* יאל iael *id est* velle. *Nempe mutato* Jod *in* Vau. Hæc Vossius. Profecto certissimum puto *volo* fieri ab יאל *iaal* eodem י in ו converso; nam id etiam aliis vocibus usuvenit, uti ex ירא *jara* emersit *vereor*. Λῶ ex ipso יאל factum Jod evanescente, sicuti accidit Defectivis Pe-Jod. Inde etiam ה heemantico præmisso fit θέλω. Βύλομαι, seu inusitatum Βύλω non absurde duceretur a Chaldaico בל *bal animus, cor*. *Cupio* ducit Vossius a חבב *amare, diligere, cupere*. *Unde Arabicum* חב *amor, cupido*. At si a me originem exspectas illud efferam a חפצ *capaz voluit, optavit, cupiit*, idque verius cum ob significationem, tum ob ipsum etymon; nam nulla heic permutatio. Μάω *cupio*, seu *vehementer cupio* unde derivandum, Græculis aqua hæret. At procul dubio ab Orientali מאוה *maava cupivit, expetivit*, repetendum est. *Opto* non factum ab ὄπτομαι *video*, uti quidam somniarunt apud Vossium, sed ab חפץ *hapatz*, quod idem est. Adhæc ab ipso *hapatz* abscisso ח, quæ est spiritus, fit ποθέω, quod idem valet. Ἱμείρω similiter *cupio, desidero* conflatum ab Hebræo חמד *amad* idem *D* in *R* conversa. *Amo, amor*. Si varias hujus vocis originationes legere aveas, & tibi otium erit, adeas Vossium Edit. Neapolit., apud quem & Mazochianas origines habes. His si aliquantulum addere licet, factum ego existimo ex אהב *aab amo*, & אהבה *aeba amor* dumtaxat *B* in *M* abeunte; qua litterarum commutatione nihil solemnius. Ἔρως *amor* missis Grammaticorum deliriis deflexum ab Hebræo הדוד *adod*, seu *edod* D in R conversa, uti alias ostensum, quod *amorem*, & *dilectum* etiam exprimit. Ex eodem הדוד *adod* etiam ortum αἴτης Theocriti, quod est *qui amatur amore venereo*. Id eo potissimum quod videatur vox exotica, unis Thessalis usitata.

Μῖσος *odium*, & μισέω *odi* fluxit ab Hebræo משנא *mesana odio habens* ex שנא *odi*. Αἰτία *culpa, crimen* pullulat ab חטא *ete peccatum* ex חטא *peccavit, erravit*. Ὅσιος *sanctus* liquido videtur profectum ex חסיד *asid sanctus, justus*. Πρέπον *decorum*, & πρέπω *decorus sum* derivatum a פאר *peer decoravit, ornavit*, & *ornatus, decus*, alternante π. Μῦσος *scelus* omnino fluxit a מזמה *mesma* idem, altero M exciso, vel a זמה *sima* idem metathesis ope. *Pejus, pessimum* ducitur apud Vossium a *pessum*. Sed non inepte duci posset a Chaldæo באש *baes malus esse, videri*, unde באושתא *beusta maligna, pessima*, *B* in *P* conversa. Ἀγαυὸς *superbus, præclarus* omni jure venit ab הגאה agaa *altum esse*, & *superbire, excellere*. Τέλειος *perfectus* a τέλος. Τέλος vero *finis*, & τελέω *perficio* sine dubio profectum a שלם salam *perficere, absolvere, complere*, & *persolvere, rependere*, ש in *T* versa, uti ex שור factum תור, ex שקל תקל, & שם תם atque sexcenta id genus. Γαυσὸν *tortuosum* venit ab עקש *agas perversus, qui recta non incedit via*. Hoc etymon veritatis notis insignitum, eo potissimum quod Galenus asserit hanc vocem

cem non esse usitatam Græcis, quamvis utatur Hippocrates, proindeque exoticam, seu Orientalem. Verum hæc hactenus; ad jucundiora festinemus.

EXERCITATIO II.

CAPUT I.

Agon quid significat. Unde ducit Vossius. Notatur ipse, & Rhodiginus. Quid ἀγόνος? Ἀγόνων Χοῶν nulla mentio in S.Litteris, neque apud LXX; Quis Suidæ Theologus? *Ἄγον τὴν ἱέρειαν apud Pergopolitas auctor Hesychius. Assignatur germana origo. Unde ἄγων cum* certamen, *tum* circus, *seu κύκλος. Quid de τȣ͂* agon *origine scripserit ἀκριβὴς Mazochius. Ἑορτὴ hebrææ originis est. Indidem ortum* otium. Feriæ *dictæ ab ἑστιᾶν secundum Vossium. Pro* ferias fesias *usurpasse Veteres tradit Velius Longus. Quare pro* festas fesias *legendum recte monet Vossius. Ejus origo orientalis.* Orgia. *Multiplex hujus vocis etymon secundum Servium. Traditur vera origo. Θύω hebraicos repetit natales.*

A*Gonia, hostia, ut est in Glossis quæ Isidori nomine circumferuntur. In iisdem est,* Agonei, victimæ. *Ubi* agones *scribendum, patet ex loco Varronis, quem mox ponam. Glossæ Philoxeni:* Aglonia (*lege Agonia*) ἱερεῖον. *Eædem:* Agonalia, *&* Agonaria, θυσεῖα. *Ubi lege,* θυσία. *Quamquam* Agonalia *non tam sunt sacrificium ipsum, quam dies festi, quibus sacrificatur ab eo, qui principem tenet locum in civitate. Auctor Festus. Et ante eum Varro lib. V. de L. L.* Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quod interrogatur princeps civitatis, & princeps gregis immolatur . . . . *Ex hoc autem loco colligo, voluisse Varronem, dies hos ab agone id est victima, κατ' ἐξοχὴν dictos* Agonales. *Aliter tamen Festus, cum scribit:* Agonias hostias putabant ab agendo dictas. *Et postea.* Agonium putabant Deum dici præsidentem rebus agendis, Agonalia, ejus festivitatem. *Sed omnino melius Varro. Verum unde* agon? *A Græcis puto, sed hi strictius usi. Nam Suidas auctor est, ἄγονα vocari τὰ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς χεόμενα, eamque & causam esse, cur ἄγονα dicerentur: atque hac significatione ἀγόνȣς χοὰς legimus apud LXX interpretes: ut etiam Cælius Rhodiginus observat lib. X. cap. III.* Ita Vossius de *agonis* origine, & significatione, qua denotat *hostiam*, seu *victimam*. Sed falsus omnino Vossius. Ab ovo rem exordiar. Suidas hæc habet: Ἀγόνων χοῶν, ὁ θεολόγος φησὶ. τȣτέστι τῶν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς χεομένων, καὶ διὰ τȣ͂το ἀγόνων. καὶ ἀγονία, ἡ ἀφορία. τὴν ἄρτεμιν μηνίσαι. καὶ μετελθεῖν δικάσασαν αὐτὸν γῆς ἀγονία. Quod ita vertitur apud Suidam Aemilii Porti: Ἀγόνων χοῶν. *Sterilium,*

lium, nullosque fœtus producentium, ac irritarum *libationum*, *Theologus dixit hoc est illarum* libationum *quæ mortuis funduntur*, ac libantur. Inferiarum, quæ defunctis fiunt, *ac proinde nullos fructus producentium*: at irritarum, quod mortui nihil sentiant, nullamque gratiam hominibus tales honores habentibus referant. Et ἀγονία vocatur *ipsa sterilitas*, ob quam nulli fructus, nullæ fruges in agris producuntur. Ut ajunt *Dianam iratam fuisse*, *& ipsum terræ sterilitate*, *persequi statuisse* i. e. ulcisci merito statuisse sterilitate agris immissa. Hinc Cælius Rhodiginus l. XVIII. (non vero X. uti citat Vossius) cap. 3. ait: *Agonia est Græcis ἀτεκνία καὶ ἀγεννησία id est liberorum, & generandi exsors facultas*. *Unde apud Aelianum* . . . . καὶ ἣν ἀγονία, καὶ μὲν τοὶ, καὶ γυναικῶν . . . . *Ceterum & in sanctis quandoque litteris observasse videmur ἀγόνους χοὰς pro iis, quæ vita functis prolibantur: quorum esse sterilitas agnoscitur propria*. *Nam & γῆς ἀγονία dicitur nonnumquam in veteribus libris*, *quam sæpe numinis incusserit indignatio*. *Quod sicubi ἀγώνια scriptum invenias*, *tunc quæ ad ludos & certamina spectant significantur plane*: *quoniam & epitaphii leguntur agones*, *&c.* quæ sane concinunt verbis Suidæ.

Sed res accuratiori trutina examinanda, ut curvo rectum dignosci queat: Atque ita rem omnem ordine pandam. Quemadmodum ipse Vossius tradit, *agon* nihil aliud est, nisi *hostia*, aut *festi dies*, in quibus sacrificium peragebatur. Heic autem miror, derivasse ab ἀγόνος quod revera est *sterilis*, sicuti ipsa res loquitur. Hinc Hesychio ἀγόνος est ἄτεκνος, ἄσπορος. Verum ut suam fulciat sententiam, assumit, sed falso, Suidam auctorem esse ἀγόνα vocari τὰ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς χεομένα. Nam in integro Suidæ loco, quem modo produximus, nihil horum occurrit, & ne colligi quidem potest. Etenim locum Suidæ ἁπλῶς introspicienti patet τὰ χεομένα nempe ἐπὶ τοῖς νεκροῖς, referri ad χοάς. Sane id firmatur ex eo quod χοὴ *libatio* descendat ex χέω *libo*; & τὰ χεομένα ἐπὶ τοῖς νεκροῖς nihil aliud audiunt, nisi ἐξήγησις τῶν χοῶν, quod quoque perspicitur ex voce τουτέστι *hoc est*. Denique Rhodiginus *in sanctis litteris* occurrere ἀγόνους χοὰς, & Vossius *apud LXX* libere pronunciat, atque asseverat, sed nullum locum uterque assignat. At apud Seniores dumtaxat usurpatum bis ἀγόνος Exod. XX. 3. 26. οὐκ ἔσται ἀγόνος οὐδὲ στεῖρα. Deuter. VII. 14. οὐκ ἔσται ἐν ὑμῖν ἀγόνος. Sed τῶν χοῶν nulla mentio, ac ne γρῦ quidem. Huic forte errori ansam præbuit Suidas, qui a Theologo affirmat adhibitas hasce voces nempe ἀγόνους χοάς. Sed hic Theologus non alius a Gregorio Nazianzeno, qui, quemadmodum in ejus vita scribit Gregorius Presbyter, solus post Joannem Evangelistam Theologi nomine insignitus. Res comperta lippis, & tonsoribus. Quod vero sub nomine *Theologi* non delitescat Joannes Evangelista, sed potius Nazianzenus, id sane probat quod τῶν ἀγόνων χοῶν apud illum, ne vola quidem, aut vestigium: contra apud hunc nostrum occurrat mentio in Orat. XL. εἰς τὸ ἅγιον Βάπτισμα p. 646. (edit. Paris. Ann. 1600.) *ubi baptismum dicit non solum vivis prodesse, sed & mortuis*, *quippe quibus sit* δεξιὸν ἐντάφιον, ἐσθῆτος λαμπρότερον, χρυσοῦ τιμιώτερον, τάφου μεγαλοπρεπέστερον, Ἀγόνων χοῶν Εὐσεβέστερον. Sicuti apud Suidam

dam Kusterus habet ; qui etiam pressius ita Suidam ad verba ; Ἄγονων χοῶν vertit: *Sterilium libationum . Sic (Gregorius Nazianzenus) Theologus appellatus eas libationes vocat , quæ mortuis funduntur . Et ἀγονία sterilitas agrorum.* Dianam iratam esse , & terræ sterilitate eum juste punire .

Antequam vero rem , quæ maximam exposcit indaginem , expediamus , haud par est Mazochianum hac super re indictum etymon sinere , ac prætorire . In additionibus Vossianis , de hac voce in hunc modum habet : *Agonia , & agonium quocumque significatu accipiatur vix est , quin , utpote sacra, Tusca sint nomina , & radices in Orientis linguis habeant . Hebraice , & Chaldaice* אגן agan , pelvim, craterem , phialam *significat ; inde credo factum , ut* Agonia hostiam *significaret ; quia nulla sine his sacris vasis hostia sacrificabatur . Adhæc Chaldaicum* אוגנא ogona , circulum , orbemque *designat ; &* אגניא aganja , fossam *sive* lacum *notat , sed proprie rotundum ad imitationem craterum rotundorum , docente R. Davide . Ex quo intelligis primariam radicis hujus notionem fuisse rotunditatem ; ex qua sequebatur , ut & crateras rotundos , & fossas rotundas eadem vox notaret . Hinc assequimur , cur* Agonium *& ludum , & locum ludorum significaverit ;* Quia (*inquit Festus in* Agonium) locus , in quo ludi initio facti sunt , fuerit sine angulo ; *putat enim dictum Græce , ἀγώνιον i. e. sine γωνία h. e.* angulo . *Atqui id uti dixi Hebraicæ , & Chaldaicæ originis erat ; a quibus linguis , & ad Tuscos , Latinosque vox Agonium , & ad Græcos* Ἄγων *manavit , apud quos notante Eustathio , ἄγων inter cetera κύκλον* significat . *Hinc* circus Flaminius *dicebatur etiam* Agon , *uti notat H. Stephanus in* Ἄγων . Hæc ἀκρίβειαν auctoris arguunt , at veritatem non assecutus , eo quod non ex visceribus rei originem arcessere studuit . Id infra magis patebit ex nostro etymo.

Verum quidem est ; hanc vocem non esse peculii latini , neque græci , uti sibi falso in animum induxit Vossius , sed plane orientalis . Id autem haud veritati absonum, atque firmis innititur tibicinibus . Etenim hujus rei certos nos facit Hesychius , qui prodidit: Ἄγον ἐν Πέργῃ τὴν ἱερείαν οὕτως καλοῦσι : nimirum *apud Perges Urbis Pamphyliæ cives* , ἄγον fuisse τὴν ἱερείαν . Hanc vocem antea *Sacerdotem* , *Antistitam* interpretabar, quemadmodum vulgo ex Lexicis constat ; idcirco pro τὴν ἱερείαν , τὸ ἱερεῖον satius legendum rebar . Sed id noli audere ; non enim medicas manus Hesychio adhibes , sed ipsi vim infers . Itaque cave putes, apud Hesychium τὴν ἱερείαν designare *Sacerdotem* , seu *Antistitam* . Nam primo diverso pacto utraque vox accentu donata; quandoquidem penultima syllaba in voce ἱερείαν Hesychii accentu acuto instructa est ; contra ἱέρεια h. e. *Sacerdos* accentum acutum in antepenultimam syllabam rejicit . Secundo Hesychius sibi ipse interpres cum in voce ἱερὸς hæc habeat : Ἱερείαν , Θυσίανθῦμα . Heic tamen legendum sejunctim , atque ita interpungendum , ἱερείαν , Θυσίαν , Θῦμα . Scilicet Ἱερείαν esse *hostiam* , *victimam* . Hinc in lectionibus innovandis vellem quosdam paullo modestiores , atque temperantiores . Sane Hesychius nihil aliud sibi vult , nisi hanc vocem unis Pergopolitis usitatam, ceteris Græcis incognitam . Præterea Grammaticorum græca natio eas voces peculiari genti , seu loco tribuere in mo-

more habet, quæ revera orientalis, seu hebrææ originis unice esse possunt. Neque heic quis obtrudat, tum temporis græcum sermonem iis regionibus viguisse. Etenim adhuc veteris sermonis vestigia supererant. Id quidem arguere licet ex quamplurimis vocibus Ægyptiis, quæ mere Hebrææ radicis sunt, sicuti ex בקר *bacis*, seu *bacchis*, ex התור *ator Neton*, sive *Netiron* vel potius *Athyr* alibi, idque passim ostensuri.

Agon autem non tantum hostiam, & sacrificium, verum etiam dies festos, in quibus victima, & hostia mactabantur, videtur significasse. Ceterum quidquid ea de re sit; id innuit hebræa origo, quam mox allaturi sumus. Sane fluxit ex hebræo חג *ag* quod *festum*, *dies festus*, & *sacrificium festi*, seu *hostia*. Quod mirum in modum quadrat significationi, qua *agon*, seu *agonia*, & *agonalia* donantur. Ita apud Latinos. At Græcis non sacrificia κυρίως hinc instituere arrisit, sed certamina sollemnia more, & ætate heroica, proindeque ἀγῶνας illos duxisse credo ab חגג *agag festum celebrare*, *feriari*, *tripudiari*. Perbelle Tertullianus adversus Gnosticos c. 6. agones appellat *contentiosa sollemnia*, & *superstiosa certamina*. Hinc ἀγῶνες ἱεροὶ hoc est *sacri* nuncupati, nempe *Isthmia*, *Nemea*, *Olympia*, *Pythia*, quæ sane in honorem Deorum instituta, & celebrata ætate heroica. Atque unum idemque vocabulum in hunc modum ad Græcos, & Latinos profectum.

Quod attinet ad alteram significationem τῦ ἀγὼν, alia via insistendum. Porro ἀγῶνα veteres Grammaticos interpretari κύκλον eruitur ex Eustathio ad Iliad. VI. pag. 1148. edit. Rom. ubi ait: ἀγὼν γὰρ, φασιν, ὅμιλος, κύκλος, μάχη, ἔρις, ἀγορὰ, συναγωγὴ καὶ ἐπίδειξις. Et apud Etymologum M: Ἀγὼν λέγεται ὁ κυκλοτερὴς τόπος h. e. *Agon dicitur orbiculatus locus*. Hinc non temere est, quod etiam *Agon* diceretur *Circus Flaminius*, teste H. Stephano in Ἀγών. Pronum est igitur, & nihil moratur, quin ἀγὼν ἀμέσως fluxerit ex חוג ug *circulus*, *ambitus*, *circinus*, quod ex חג *ag circinare*.

Ἑορτὴ *festum*, *dies festa*, & *feriæ*. Germanam hujusce vocis originem Græculi cum investigando non essent nescio quas ineptias effutiere. Has, si tibi cordi sunt, legere poteris apud Grammaticos, & Lexicographos. Ἑορτὴ autem, sive ὀρτὴ, quod, utpote Jonicum, & antiquius fortasse erit primigenium, exponitur *festum*, *dies festus*, & *feriæ*. His jactis fundamentis in proclivi est intelligere, cur facile tantum metathesi adhibita manaverit ex hebraico עצרה *atara*, seu *ataret*, quod redditur *festum*, *feria*, *feriatus dies*. Hinc LXX sæpicule ἑορτὴν vertere. *Otium* in antiquis libris, & monumentis per *T* fere exarari auctor Pierius ad Eccl. 1. Virgilii. Eundem scribendi modum Altus Manutius Nepos in Orthographia adprobat. Si origines de hoc vocabulo discere cupis, adeas Vossium, qui eas ad satietatem recenset; & quoniam non tanti sunt, ideo missas facimus. Cognita recta, & genuina scribendi ratione, facillima munitur via ejus originem assequendi. Itaque *otium* sine controversia ducas ab orientali עצרה *atare festum*, *feria*. Sane *feriari* idem est atque *otiari*. Id etymon adeo veritati innixum, ut *otiosus* non modo sit *feriatus*, verum etiam *festus*. Tullius ad Q. Fr. l. III. ep. 8. inquit. *Id perficiam his supplicationum otiosis diebus*.

Ὄχνος

Ὄκνος *ignavia*, *pigritia* forte oritur ex חג *ag feriatus est*, unde *ogeg ferians*, *G* in *K* desinente. *Feriæ*, quomodo prius, & unde dictæ audiamus Vossium in voce *festum* sic differentem: *Ab ἑστιᾷν quoque dictae* feriæ. *Nam prius fuit* fesiæ. *Velius Longus*: ferias quoque non fereas, quoniam apud antiquos fesiæ, non feseæ dictæ sunt. *S in R conversum*, *quomodo ex* asa, & lases, *facta* ara, & lares, *ut testatur Scaurus de Orthographia*. *Pluraque id genus alibi attulimus*. *Festus*: Ferias antiqui festas vocabant; & aliæ erant sine festo, ut nundinæ; aliae cum festo, ut Saturnalia, quibus adjungebantur epulationes ex proventu fœtus pecorum frugumque. *Ubi pro* festas *legere malim* fesias *iis impulsus*, *quae jam diximus*. Hæc Vossius, cujus sententiæ calculum adjiciendum apud me statuo. Nam facillima mutatio τῦ *i* in *t*. Cum itaque Velius Longus obfirmate antiquitus *fesias* dictas testetur, autumo potissimo jure descendere ex orientali עצרה *fesere* quod ipsissimum; ע in *F* versa, quandoquidem (utpote isthaec littera spiritus densus audit) vice digammatis fungitur. Quare quod spectat ad originem, non adsentiendum Vossio, qui sui oblitus ἀσύστατα tradit, ubi ab ἑστιᾷν derivat. Etenim ab ἑστιᾷν ἀμέσως *festæ*, non *fesiæ* emergunt.

Orgia sunt Liberi patris sacra secundum Servium in IV. Æn. ita dici videntur vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς *id est a* furore Bacchantium, *vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν *hoc est* montibus *in quibus celebrabantur*. *Aliis placet esse ab* εἴργω, arceo, *quia non initiati ab his arcerentur*, *vel a* ῥέζω, *cujus præteritum* ἔοργα, *ut ita dicantur quasi* θεῖα ἔργα. Hactenus Vossius. Verum hæc aniles fabulæ. Nam ὄργια apud Græcos cum sint generatim *sacra*, satius arbitror dicta ab orientali voce הרג *ereg*, seu *arega occisio*, *interfectio*; atque id adeo exploratum, ut inde quoque fluxerit *arviga hostia*. Plane nullum sacrum sine hostiis peragebatur. Et quoniam ex הרג ת præeunte fit תרג, hinc etiam profecta θαργήλια judicarim, scilicet sacra in honorem Apollinis, & Dianae, seu festum. Θύω *sacrifico* omnino efficitur ex זבח, seu טבח *tava mactavit*.

CAP.

CAP. II.

ARae *in excelsis locis erectae. Ideo* βωμὸς *Graecis*, altare *Latinis. Id moris ab oriente fluxit. Unde* arae *nuncupatae? unde quoque* ἱράναι *Hesychii? Quid* arae *apud Virgilium. Non esse* crepidines, *seu* eminentias. *Vox* Ἰταλιώτων, *seu certe populorum maritima incolentium.* Βουνὸς collis, & ara *unde domo?* Inchoare. *Quid de hac lexi scripserint Grammatici. Haud* ἁπλῶς ἄρχειν. *Nostra conjectura de origine, & significatione. Quid apud Virgilium incohare aras. Notantur triumviri Servius, Facciolatus, Mazochius. Hic & laudatur.*

NActus mihi videor locum differendi de *aræ* etymo, & significatione. Atque ut res claris argumentis eluceat, altius repetenda. Porro autem hocce vocabulum quippe quod sacrum, quin sit Tuscum, atque ad hos ab Oriente profectum, nullus dubitandi datur locus. Id infra magis magisque evincemus. Apud Orientales sollemne erat in excelsis locis aras, & sacella ædificare. Hinc protritum illud במות *bamot Excelsa*; quo nomine tum montes, & colles, tum sacella, atque altaria in iisdem constituta ab Ethnicis indicantur. Res adeo vulgata in sacris litteris, ut monitore haud egere videatur. Inde nempe ex במה *bama* quod *excelsum*, *sacellum*, *aram* in excelsis exstructam designat, ad Græcos defluxit *βωμὸς*, quod *aram*, & *templum* denotat. Non alia de causa dictum *altare* Latinis. Huic rei suffragatur, & velificatur Festus, cum inquit: *altaria ab altitudine sunt, quod antiqui Diis superis in aedificiis a terra exaltatis sacra faciebant*. Id eo forte consilio factum, ut summam erga Deos religionem, vel Deos in excelsis locis, seu Cælo sedem habere significarent. Unde itaque manavit vox *ara?* Mihi haud dubium, quin sit orta ex orientali הרי *are montes*, seu הר *ar mons*, *montanus locus*, *excelsum*, in quibus locis, utpote quæ Diis proximiora, sacra faciebant: atque inde primitus *ara* appellata. Igitur principio ἀδιακρίτως ea de causa sicuti במה unde *βωμὸς*, ita *ara* nomen, seu significationem sortita. Apposite Hesychius docet: ἱράναι βωμοὶ h. e. *arae*, *& templa*. Sane hæc lexis non aliunde, nisi ab הרר *erer mons*, & quandoque *templum*, seu *habitatio Dei* (versa postrema *R* in *N*) Psalm. enim XIV. exstat: *quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet* in monte *sancto tuo*. Eodemque fortasse pacto alibi adhibetur, & potissimum in Psalmis. Hinc Psal. LXV. *Mons sanctitatis meae*. LXX τὸ ὄρος τȣ̃ ἁγίου μȣ̃.

Ex dictis, atque allato etymo in proclivi erit intelligere, cur Virgil. Æneidos l. I. v. 109. ait,

Saxa vocant Itali mediis, quæ in fluctibus Aras.

Porro advertendum heic *aras* non esse *crepidines*, seu *eminentias*, uti Scaliger, Facciolatus, aliique credidere, sed ipsa *saxa*, seu *scopulos*, ut κυρίως Poe-

Poeta ipse indicat, nam addidit eas summo mari immane dorsum efficere. Denique cum ita ea saxa *aras* Itali vocarint, neque hoc sensu apud alium auctorem illa vox occurrat, puto illos, quos poeta *Italos* nominat, fuisse eosdem, atque Ἰταλιώτας (non Latinos) scilicet fortasse Tarentinos, Tyrrhenos, aliosque vicinos populos, qui ab Oriente hanc vocem acceperant. Adde quod isti erant maritimi. Atque contra vix fieri potest, ut qui mediterranea incolerent, hoc vocabulum isto sensu usurparint, quippe qui res maritimas haud callerent; idcirco ad illos populos maritimos respexisse Virgilius jure videtur. Ceterum haud desunt, qui ex Pomponio Sabino colligunt *Aras* esse insulas communi nomine Ægates appellatas, easque admodum scopulosas, & saxis latentibus circumseptas, ad quas victis navali prælio Pœnis pacem compositam, initumque fœdus, ex quo, uti testatur Servius, ea saxa Italis aras propitias dictas. Verum ut cuique vel leviter attendenti facile patet, Virgilius nihil aliud sibi velle videtur, nisi *saxa*, vel *scopulos*, qui in mediis fluctibus dorsum immane sunt mari, apud Italos vocatos *aras*. Βουνὸς *collis*, *tumulus*, *clivus* & *cumulus*, *acervus*, juxta Hesychium βουνοὶ sunt *arae*. Eustathius hanc vocem Africam esse, atque a Graecis usu receptam vult sub initium Odyss. τ. Scilicet ista vox Orientalis est, & prius significavit *collem* seu *cumulum* alicujus rei, postea vero *arae* significatum sibi adscivit. Etenim haud secus Hebræis במה *excelsum* est, & *ara*: qua de re paulo ante fusius. Venit autem ab Hebraico אבן *eben* seu אבנא *lapis* & *massa* alicujus rei, rejecta principe syllaba. Seu potius ab ipso במה *bama ara M* in *N* versa.

Ut originem, & notionem *aræ* præstiterimus, explanandum superest quidnam designet apud Virgilium *inchoare aras*. Atque ut res magis elucescat, prius vocis origo detegenda. Si Grammaticos percontabimur, omnes ad unum a *chaos* venire inculcant. Adi, ni forte pigeat, Vossium, qui eos omnes recenset auctores. At licet tædet, ac miseret Grammaticorum; tamen haud misericordia dignus Vossius, eo quod Orientalium linguarum, in quibus illi sunt hospites, peritia callet. Vulgo autem *inchoare* est idem atque ἁπλῶς *incipere*, quod Græcis ἄρχειν; atque alia cerebrosa notio huic voci subjecta creditur, de qua infra. Porro *inchoo* haud est vocabulum compositum, atque ἀμέσως venit ab Hebræo, seu potius Orientali חנך *anac*, quod non solum est *initiare*, *instruere*, verum etiam *dedicare*. Id nobis demonstrare pensi duco. Quod attinet ad primum, scilicet quod non semper sit ἁπλῶς ἄρχειν, sed quandoque *instituere*, *imbuere prioribus rudimentis*, seu *docere* facile arguitur ex illo Ciceronis loco de Finibus l. IV. ubi ait: *Natura hominem inchoat, sapientia perficit. Itaque si natura non perficit, certe imbuit, instituit suis principiis, & rudimentis*. Huic loco Tullii lucem affert alter ejusdem auctoris locus eodem l. IV. c. XIII. *Omnis enim est natura diligens* . . . . . . *Quid dubitas igitur mutare principia naturæ* . . . . *ut Phidias potest a primo instituere signum, idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere, & absolvere. Huic est sapientia similis; non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum, hanc intuens debet institutum illud quasi signum absolvere. Qualem igitur natura hominem inchoavit? & quod est mu-*

nus, *quod opus sapientiæ ? quid est*, *quod ab ea absolvi*, *& perfici debeat ? si nihil in eo quidem perficiendum est præter ingenii motum quemdam id est rationem*. Verum, ut id magis planum fiat, advertendum est, Tullium, quod heic dixit *hominem inchoatum a natura*, lib. III. de finib. quoque cap. 3. ait; *eos* (nempe viros) *melius a natura institutos*. Quod vero spectat ad alteram hujusce verbi significationem, operæ pretium est monere, non deesse, qui putant *incohare* quandoque esse idem ac *perficere*. Hinc Servius ad illud Maronis Æneid. VI. v. 252. nimirum

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras
Et solida imponit taurorum viscera flammis:

Adstruit, inquam, Servius esse *verbum sacrorum*, *& inchoare perficere* designare. Præter hocce exemplum aliud Facciolatus affert, quod contendit item significare *perficere*, nimirum Livii l. XXXIX. c. 23. ubi ait: *inchoare initia*. Sed rem secus esse molli brachio posse ostendi reor. Nam primo quod attinet ad Livium facillime alium esse significatum ex ipsius loco quis arguet: Ait enim. *Cum Perseo rege & Macedonibus bellum*, *quod imminebat non unde plerique opinantur*, *nec ab ipso Perseo causas cepit*, *inchoata initia ab Philippo sunt*, *& is ipse*, *si diutius vixisset*, *id bellum gessisset*. Ubi plane *causas unde cœpit bellum*, *& initia belli* intelligit historiographus, uti verba præseferunt, neque lumine, seu doctore egent. Quod vero spectat ad significationem τῦ *perficiendi*, quam huic verbo affingit Servius, inscitia germanæ significationis coactum, atque ad incitas redactum hance notionem huic voci tribuisse apud me statuo. Verum nihil absurdius excogitari posse credo. Nam immane quantum *perficere* ab *inchoare* discrepat, eo quod sunt ἀντικείμενα, uti Mazochius quoque admonet, licet ipse Servii causam suscipit: de quo infra. Hinc opportune Tullius ait in Top. c. 18. *Perfecta anteponuntur inchoatis*. Sed ut γνησίαν vocabuli notionem detegamus, ad originem hebraicam mentem advertamus. Porro cum Hebraicum חנך *anach* non solum *initiare*, uti supra monitum, verum etiam *dedicare*, designat, idcirco heic *aras inchoare*, nihil aliud, nisi *dedicare*. Id suadetur ex ipso fonte Hebræorum, & more. Num. VII. 10. 11. 84. המזבח את הנכת nempe *dedicationem altaris*, quod LXX vertere: ἐγκαινισμὸν τῦ θυσιαστηρίυ. Paral. II. 7. *Mactavit igitur Rex Salomon hostias*, *boum viginti duo millia*, *arietum centum viginti millia*, *& dedicavit domum Dei rex*, *& universus populus*. Ubi Hebraice pro *& dedicaverunt Domum* est ויחנכו את-בית. Dan. III. 2. לחנכת צלמא scilicet *ad dedicationem statuæ*. Heic advertas morem dedicandi non alium nobis exhiberi apud priscos jam inde ab ipsis Hebræis, nisi patratis hostiis, & sacris. Hinc cum ab Hebræis ad Tuscos, aliosque potissimum vicinos populos pleraque, & præsertim sacra fluxerint, facile colligimus eam expositionem, quam supra præstitimus, esse germanam. At licet Mazochius in opere, quod satis prolixum de *sub ascia dedicare* adornavit, fuse de hisce vocibus egit, attamen hæc ipsum origo fugit. Necnon Vir Cl. vindicare Servium inde aggreditur, atque ita purgat, quod sicut *consummare* est idem atque *encæniare; cur non eadem notio etiam τῷ perficio suberit ? Imo prorsus*

sus subeat, *teste Servio;* ait Mazochius. In ora vero ad verba Servii, *Et est Verbum sacrorum*, hæc quoque adspergit; *Verba Servii :* Et est verbum sacrorum, *dupliciter possunt intelligi; sive ut ipsum inchoo encæniandi notione sit verbum sacrorum*, *& in pontificiis libris sic usurpatum*, *sive ut potius* Perficio *pro* encænio *sit verbum sacrorum*, *heic autem* Inchoo *sit positum pro verbo sacro* Perficio; *sive postremo ut utrumque sit verbum sacrorum*. Ceterum pace tanti viri dixerim secundum Servium *inchoo*, non vero *perficio* esse verbum sacrorum, prout ipse verborum sensus pronior præsefert; ait enim Servius loco superius allato: *Inchoat autem Perficit : & est verbum sacrum*. Sane τὸ *verbum sacrorum* refert ad *inchoat*. Num vero *perficio* Servio idem sit, atque *encæniare*, ex ejus verbis laconismo instructis non potest erui, atque potius ne id quidem cogitare videtur. Quod vero Mazochius noster contendit *perficere* esse *verbum sacrorum* ingeniosum oppido quam videtur, & fortasse non temere. Nam *facio*, unde *perficio*, sæpicule *sacra facere* significat, cum apud Maronem, tum apud Tullium: nec non quod caput est, τελέω *perficio*, Græcis etiam usuvenit usurpari de rebus sacris, pro *celebrare*, *agere*, *peragere*, veluti *festum*, *sacra*. Quare apud Gregorium dicuntur *festa* τελεῖσθαι h. e. *celebrari*, *peragi*. Apud Dionysium Areopag. τελεῖ τὰ κατὰ θεσμὸν ἱερόν. Herodianus: πομπὴν μητρὶ θεῶν τελοῦσι Ῥωμαῖοι. Τέλη quoque sunt *sacra*, seu *mysteria*. Hæc vero, quæ caussæ ejus fovendæ accommoda erant, nescio quo fato ipsi exciderint. Atque hæc παρέργως. Sed revertamur, unde digressi sumus. *Inchoare* itaque *aras* apud Maronem esse rectius puto idem, atque *dedicare aram* apud Tullium. Id sane quadrat significationi verbi חנך *anac*. Atque hinc magis patet, cur Servius vocem *inchoare* fuisse verbum sacrorum scriptum reliquerit. Ceterum Cl. Mazochius τὸ *inchoare* esse idem atque *encæniare* affirmat; ait enim postquam attulit verba Servii ad illud VI. Æn. *Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras*, Servii scilicet: *Inchoat autem est Perficit : & est verbum sacrorum :* Mazochius inquam mox subdit: *Ergo* Inchoare, Consummare, Perficere, Dedicare (*sicut &* Fungi *in Ovidio*, *& legibus*) *sunt omnia rei ejusdem synonyma*, *valentque in sacris & sepulcralibus idem quod* ἐγκαινίζειν, encæniare. *Verum non quemcumque* ἐγκαινισμὸν *notant*, *sed eum*, *ex quo res* sacra . . . . *evadebat*. Hæc laudatus Auctor habet pag. 234. Pag. vero 220. ut attulit verba Virgilii Æn. IV. ita commentatur: *Non enim ibi* inchoare *est ordiri altarium exstructionem*, *imo est ea jam perfecta* encæniare (*victimis impositis*) *Plutoni h. e. in ejus cultum*, *& reverentiam* . . . . Denique ita sermonem claudit: *Ergo in sacris auctore Honorato*, *Inchoare illi Deo*, *erat rei usum in illius cultum inchoare : id quod & dedicare cum dandi casu* . . . . . . *dicebatur*. Idem antea tradidit nimirum pag. 140. cap. 1. Postremo ut summam huic rei manum imponam advertere præstat, τὸ *inchoare* adamussim respondere τῷ חנך. Etenim non solum vox hebræa significat *erudire*, *imbuere prioribus rudimentis*, *initiare*, verum etiam *primordia cujusque rei facere*, quemadmodum in concordantiis hebraicis doctissimus Calassius monet. Sane sæpe hebraicæ voces aliis significationibus apud Orientales donatæ fuere, quæ tamen in præsenti desiderantur: illæ vero in cognatis lin-

 guis

guis occurrunt ; quemadmodum sæpe Arabicæ linguæ ope alias significationes hebraicis vocabulis vindicarunt Eruditi , & potissimum Bochartus , Mazochius , aliique innumeri non sordidi auctores . Igitur cum *inchoare* apud Latinos & *incipere* , & *prioribus fundamentis* , *rudimentis imbuere* , *initiare* , *instituere* , & *dedicare* , seu *encæniare* secundum Mazochium ἐγκαινίζειν , sed *ritu sacro* , & ubi de rebus sacris sermo est , designet , atque tantumdem vox hebræa præstet nimirum חנך ; quid in nostra origine & explicatione desiderari possit , non video .

EXERCITATIO III.

CAPUT I.

*C*Othon *portus manufactus , & Insula duplex . Unde dicta secundum Martinium ? Aliunde ducit Bochartus . Sed perperam utrique . Assignatur genuina origo , & significatio ex* חוז *, quod male a quibusdam redditur* terminus *in Ps. CVII. Hebræa vox sonat* portum , *& Chaldaice etiam* regionem , provinciam . *Hinc* Muza . *Et* Zao . *Restituitur ista lexis Plinio . Notatur Gronovius , & Is. Vossius . Ordo lectionis , & dictionum perturbatus .* Besippo *videtur constare ex vocibus , quarum altera* חוף op portus . Ἠϊών littus . *Quid Hesychio* ῥïόνες . Αἰγιαλὸς *item* littus . *Utrumque ab Oriente fluxit .*

COthones appellantur portus in mari interiores arte , & manu facti . *Ita Festus : nisi quod corrupte apud eum* Catones , *pro* Cothones , *legas . Servius in illud I. Æn.*

Hic portus alii effodiunt . . . .

Sic scribit , id est , cothona faciunt : Cothona sunt portus in mari non naturales ; sed arte , & manu facti . Est autem & masculini & neutri generis . Nam & cothon , hujus cothonis facit , & cothonum hujus cothoni . *Quæ frustra in Servio P. Danielis quæras . Onomasticum vetus* , Cotones , λιμένες . *Sed Græcis* κώθων *aliud est . Lacones enim ita* poculum . *Fortasse autem ob similitudinem quamdam ejus vasis vox* portibus *accommoda . Nisi malis, quod Martinius conjectat , utrumque esse a* קטון *, id est* parvum . *Nam* cotona *esse* portum parvum , *&* poculum parvum . Hactenus κατὰ λέξιν de origine Vossius. Sed diversæ originis esse , sicut & dissidentis significationis leviter perstringam . Etenim Κώθων vox usitata Laconibus (uti vulgo creditur) pro *poculo* , quod , teste Athenæo l. VII. Siculi τὸν κωβιὸν nuncupabant ; ut *Cothon* Κώθων *portus* , & *insula* apud Carthaginenses , atque Africanas urbes au-

audit. Κώθων *poculum Laconicum* ortum vel a כד *cad*, quod *cadus*, *hydria*, *D* in *T* conversa; vel rectius a כוס *cos*, quod *calix*, *poculum*, atque ipsissimum Κώθων est, ducere autumarem, dumtaxat *S* in *T* de more commutata: de quo fortasse alias sermo erit. Ceterum licet κώθων secundum Athenæum, & Plutarchum, ni fallor, sit poculum Laconicum, tamen Xenophon agens de Persis ἁπλῶς meminit hujus poculi non tamquam Laconici: ejus verba sunt: φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτον μὲν ἄρτον, ὄψον δὲ κάρδαμον, πιεῖν δ' ἤν τις διψῇ κώθωνα ὡς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἀρύσασθαι. Neque ex Critia, quem adducit ipse Athenæus, aliud eruitur, nisi *Lacedæmonios uti supellectile & instrumentis vitæ minimo pretio parabilibus, & commodissimis. profert exempli gratia calceos laconicos, vestes, & Cothonem. Non est dubium hanc esse Critiæ mentem*. Hæc Is. Casaubonus in Athen. l. XI. Verum licet vas hoc adoptatum sit a Laconibus, tamen vox orientalis; idcirco Xenophon agens de Persis hanc usurpare non dubitat. Κωβιόν interea Siculum merito descendere judicarim ex Hebræo גביע *gabia*, quod *scyphum* significat; *G* in *C* desinente, uti ex גמל *gamal Camelus*, atque ex aliis innumeris exemplis, quæ Vossius in de permut. litt. plena manu profert, discere quisque poterit. Atque hanc vocem præteriens attigi. *Cothon* vero *portus*, atque *insula* cum sit unis Pœnis, atque Afris vox adscita, oportet, ut sit punica, seu Orientalis; quemadmodum mox ostensuri. Igitur perperam *Cothon portus* (vox Phœnicia) dictus a Græco Κώθων, quod illis poculum, ob *similitudinem quamdam ejus vasis* secundum Vossium. Neque sanius derivatur apud Martinium cum *Cothon portus*, tum Κώθων *poculum* a קטן i. e. *parvum*. Nam Κώθων non erat adeo *parvum*, sed forte potius *capacius*, *majus* poculum fuisse suspicor. Hinc Κώθων non solum est *poculum*, verum etiam ipsa *compotatio*, non alia de causa, quam horum poculorum in compotationibus usus esset, ut quæ pocula erant capaciora. Hinc Alexis in ἐριθοις apud Athenæum l. XI. tradit, hoc vas fuisse capax quatuor cotylarum. Denique origines haud magnifacio, nisi ab ipsius rei visceribus arcessantur: nam quæ ab accidentibus, seu adjunctis petuntur, tamquam haud germanas respuo.

Cl. vero Bochartus rem paulo fusius persequitur, atque secus de origine statuit, ubi ait: *Carthaginis tres erant partes;* Κώθων, Μέγαρα, & Βύρσα. *Cothon varie definitur. A Strabone* l. XVII. νησίον περιφερὲς Εὐρίπῳ περιεχόμενον ἔχοντι νεωσοίκους ἑκατέρωθεν κύκλῳ, insula parva, rotunda, euripo circumdata, utrimque habente in orbem navalia. *Portum fuisse muro cinctum, cujus pars una rotunda fuit, altera quadrangula colligere est ex Appiano* (lib. p. 29.) *cujus verba sunt:* Ἐπιχείρει τῶν λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι, portum cothonem nomine est adgressus. Item; ἐνεπίμπρη μέρος τοῦ Κώθωνος τὸ τετράγωνον, incendit partem Cothonis quadrangulam. Item; ἐπὶ θάτερα τοῦ Κώθωνος ἐς τὸ περιφερὲς αὐτοῦ μέρος ἀνελθὼν, ad alterum Cothonis latus, *nempe* ad partem ejus rotundam ascendens. *Et rursus;* ληφθέντος δὲ τοῦ περὶ τὸν Κώθωνα τείχους, occupato muro, qui Cothonem cingebat. *Diodorus l.* III. *pag.* 123. *de portu Charmutha in Arabum Tamudenis:* ἐμφερέστατός ἐστι τῷ κατὰ τὴν Καρχηδόνα λιμένι, προσαγορευομένῳ δὲ Κώθωνι, simillimus est portui Cartha-

thaginis Cothoni nomine . *In margine ex libris ſcriptum* Κάϑων . *Hirtii libro quinto nominatur aliquoties Cothon , non Carthaginis ; ſed Adrumeti urbis Africæ in hoc eodem littore notiſſimæ* . Varus , *inquit* , Adrumeto ex Cothone egreſſus . *Et paullo poſt ;* Reliquæ naves Adrumetum in Cothonem ſe univerſæ contulerunt . *Et rurſus :* navibus onerariis, quæ erant extra Cothonem incenſis , omnibuſque reliquis aliis aut ſubductis , aut in Cothonem compulſis . *Feſtus ſcribit* Cothones appellari , portus in mari interiores arte, & manu factos . *Et in illud Poetæ :* Hic portus alii effodiunt . *Servius ;* id eſt Cothona faciunt . Cothona ſunt portus in mari non naturales , ſed arte & manu facti . Eſt autem & maſculini & neutri generis . Nam & Cothon hujus Cothonis facit , & Cothonum hujus Cothoni . *Vocem Africanam aut Punicam eſſe oportet ; cum neque apud Græcos , neque apud Romanos Scriptores uſpiam pro portu occurrat , niſi quibus locis agitur de Africanis urbibus . Radix* קטם Katam , *vel Phœnicio more* Katham *apud Talmudicos eſt incidere , unde* קטום Katham *inciſus* , *&* קטום Kittum *vel* קטימה Kethima *inciſio . Ita enim apud Arabes , atque hinc in Geographo parte quinta Climatis ſecundi* גבל אלמקטם gebal almokattam *vel* almucattim *potius mons conciſus . Ita* קטום Kathum *vel* Katum *portus erat , ut jam dictum non naturalis , ſed arte humana exciſus. Græcis, qui nullam habent vocem deſinentem in M pro* Kathum *dictus eſt* Kathon , *vel* Kothon *& levicula hac mutatione factum , ut barbara vox Græca civitate donaretur* . Ita Bochartus . Geogr. S. l. I. cap. XXIV. c. 470. Daviſius in comment. Cæſaris de Bello Afric. LXII. *Adrumeto ex Cothone egreſſus :* ait : *Ex portu arte facto ; nam* Cothona ſunt portus in mari non naturales , ſed arte & manu facti . Eſt autem & maſculini & neutri generis : nam & Cothon hujus Cothonis facit , & Cothonum hujus Cothoni . *Verba ſunt Servii ad Æn.* I. 431. Hæc ille .

Quod attinet ad Bochartum, *Cothonem varie definiri* aſſerit, ſed *Cothonem portum* a *Cothone inſula* diſcriminare ipſi haud cordi fuiſſe videtur . Neque idem Daviſio curæ fuit : nam de *Cothone* inſula ne verbum quidem . Chriſtophorus denique Cellarius , uti exſtat in adnotationibus Commentar. Ceſar. de B. A. cap. XXIV. ait : *Portum quemdam* Cothone *ſignificari non dubitatur . Strabo* l. XVII. *Carthagini portum , ſeu navale hujus nominis tribuit .* Ο῾ Κώϑων νησίον περιφερὲς Ε᾽υρίπῳ περιεχόμενον , ἔχοντι νεωσοίκυς ἑκατέρωϑεν κύκλῳ. *Et ſi Servio credimus ad Æneidos* 1. *v.* 427.

Hic portus alii effodiunt . . . .

Carthaginenſes Cothona foſſa utuntur , non naturali portu . Ad hujus ſimilitudinem videntur Adrumetini ſuum portum etiam Cothonem dixiſſe , Cæſar. de B. Afric. c. XXIV. Porro *Cothonem* deſignare apud Afros *portum* extra dubitationis aleam eſt ; ſed utrum κώϑων in loco citato Strabonis ſit *portus* , ſeu *navale* , id præſtat perſcrutari . Totus autem Strabonis locus ita ſe habet : Υ῾ποκείνται δὲ τῇ ἀκροπόλει οἵτε τε λιμένες , καὶ ὁ κώϑων νησίον περιφερὲς Ε᾽υρίπῳ . Quod ita vertere ratus eſt interpres . *Arci portus ſubjacent , & Cothon parva inſula , & rotunda Euripo circumdata ad cujus utramque partem ſunt in orbem navalia* . Heic autem Strabo graves , & non paucos ſcrupulos injicit ,

Pri-

Primo narrat λιμένας h. e. *portus subjacere τῇ ἀκρόπολει*, nempe Byrsæ, quæ in media urbe sita erat; dein adstruere pergit, *Cothonem parvam insulam, rotundam, circumdatam Euripo ad ejus utramque partem habere νεωσοίκους* scilicet *navalia*. Denique quod magis scrupulum auget, est, quod Strabo *portus artefactos*, seu *fossitios* apud Pœnos *Cothones* appellatos non meminit. Ut autem, quantum in me est, huic difficultati occurram, rem ita componere instituam. Α'κρόπολις scilicet *Byrsa* alia est a *Cothone*, quæ νησίον h. e. *insula*, atque partes disjunctæ, ideo λιμένες, qui ὑποκεῖνται τῇ ἀκρόπολει, oportet ut sint *artefacti*, non *naturales*, atque diversi a νεωσοίκοις. Heic autem, antequam ad alia progrediar, non possum, quin perstringam Cellarium, qui loco superius adducto libere pronunciat Strabonem *tribuere Carthagini portum, seu navale* nomine κώθωνα. Nam allucinatus auctor, fortasse ut difficultates, quas supra proposui, dilueret, sed contra accidit. Etenim Strabo ipse ait *Cothonem* esse νησίον h. e. *insulam*, non vero portum, seu navale, ita tamen comparatam, ut ἔχῃ νεωσοίκους. Hi sunt *navalia*, *navium stationes*, ναύσταθμοι, qui differunt a portubus, eo quod illi non semper, & omni anni tempestate non sint malefidi navibus. Hinc *statio* ideo discrepat a portu secundum Servium in 11. Æn. v. 23. quod illa sit, ubi naves ad tempus consistunt, hic vero, ubi hiemant. Alioquin cui bono Carthaginenses effodissent λιμένας, quos *subjacere arci* jam vidimus, si νεωσοίκοι omni tempore id ipsum præstarent? Denique nescio quo fato Strabo tam lævus fuisset, ut non ἁπλῶς fere heic, & presse de more suo rem narraret, & λιμένας, & νεωσοίκους perinde, ac si unum essent, confunderet. Atque in hanc sententiam, utpote saniorem, & verbis Straboni aptiorem descendo.

Contra unum obstare videtur, nimirum, quod, cum λιμένες, & *Cothon insula*, *quæ habebat navalia* h. e. νεωσοίκους secundum Strabonem perinde *subjaceant arci* nempe Byrsæ, iidem videntur esse λιμένες, & νεωσοίκοι, quasi altera alteram vocem interpretetur; eo potissimum quod λιμένας numero plurali æque, ac νεωσοίκους usurpavit. Appianus cum dicat ἐπεχείρει τῶν λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι, h. e. *Aggreditur* illum *ex portubus*, *qui vocatur Cothon*, agit de *Cothone* tamquam *portu*. Cum vero alibi habeat, ἐνεπίμπρη μέρος τοῦ Κώθωνος τὸ τετράγωνον, h. e. *incendit partem Cothonis quadrangulam*; atque alias: ἐπὶ θάτερα τοῦ Κώθωνος ἐς τὸ περιφερὲς αὐτοῦ μέρος ἀνελθών, scilicet *ad alterum Cothonis latus*, nempe *ad partem ejus rotundam ascendens*, alludere ad *Cothona* νησίον, quæ erat *rotunda*, & *habebat navalia*, secundum Strabonem videtur: sed alter Appiani locus nempe ληφθέντος δὲ τοῦ περὶ τὸν Κώθωνα τείχους, scilicet *occupato muro qui Cothonem cingebat*, potius fortasse *Cothonem* utpote cinctum muro fuisse *portum* indicat. Ceterum *Cothon* νησίον potuit esse haud secus, ac portus, eo quod haberet νεωσοίκους, qui haud alii a portubus. Prior tamen sententia magis arridet. Postremo inquirendum restat, utrum ex Strabone colligi possit *Cothones* esse portus *fossitios*, seu *manufactos*. Sane idem eodem l. XVII. paulo post hæc habet: *CXX. naves cataphractas construxerunt*, & *cum* τοῦ Κώθωνος *ostium præsidio occuparetur*, διώρυξαν ἄλλο στόμα (aliud effodere), *unde subito classis erupit*. Porro advertere ne tædeat, non

solum

solum Strabonem , & Appianum λιμένας numero plurali assignasse Carthagini , verum etiam Virgilium . Strabo enim loco superius allato ait : ὑποκεῖνται τῇ ἀκροπόλει λιμένες , Appianus vero , uti supra vidimus , habet : ἐπεχείρει τῶν λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι ; h. e. *aggreditur ex portubus* , *qui vocatur Cothon* . Et Maro Æn. 1. v. 42.

Hic portus alii effodiunt . . . .

Quare hi portus , quos *effodere* Carthaginenses memorat Poeta , artificiales sunt , & videntur iidem , ac illi , quos , λιμένας ἁπλῶς Strabo , & Appianus nuncupat : potissimum fortasse , quod fere semper λιμένα pro *portu artificiali* Auctores usurpasse videntur . Hinc , si divinare fortasse licet , *portus* apud Carthaginenses fuisse *fossitios* videtur Strabo innuere . Postremo utrum *Cothoni insulæ* ex *Cothone* portu , an portui ex *Cothone insula* nomenclatura comparata sit, explanandum superet . Verum secundum nostram originem ab Oriente petitam utramque significationem mutuare hocce vocabulum ostendemus.

Sed tempus est , ut e diverticulo ad semitam redeamus . Pace tantorum virorum dicam , frustra Grammatici , & Vossius , Martinius , Bochartus in ejus vocis origine assignanda insudarunt. Etenim Κώθων ab Orientali חוז *coz*, seu *cot* , de quo infra , ἀμέσως profectum esse clamat . Sed oportet, ut prius genuinam Hebrææ vocis notionem , sicut in me supra recepi facturum , adstruamus . Porro illa vox חוז *coz* , seu מחוז *macoz* , quæ vice simplici occurrit in S. litteris in Ps. 107., seu juxta Vulgatam 106. perperam a quibusdam , & Lexicographis exponitur *terminus* . Primum etenim omnino sensus fert , ut *portus* exponatur , cum in eo Psalmo potissimum de *fluctibus* , & *procellis* agatur ; quas postquam commemorarit Psaltes , addit : *& deduxit eos in portum voluntatis eorum* . Secundum optime Vulgata *portum* , & LXX λιμένα reddidere . Et Chaldæus habet ipsum מחוז, quod etiam *portus* in Polyglottis Waltonianis redditur . Necnon Syrus , Æthiops , Arabs , atque ad unum omnes veteres interpretes *portum* reddidere . Insuper eadem Hebraica vox מחוז fortasse magis patuit: nam Chaldaice significat *terminum*, *plateam*, *regionem* , *provinciam* ; atque inde natum , ut *cothon* & *portum* , & *insulam* designarit , cum & *Cothon* dicta sit insula illa subjecta Byrsæ arci Carthaginis , atque alia insula parva sinus Laconici apud Cytheram insulam . Denique ut magis , magisque ejus notio aperiatur , haud grave erit huc afferre multa nomina Orientalia , quæ sunt unum , atque idem cum hebræo vocabulo . Hinc audi Plinium l. VI. c. 23. qui de illis populis agens , ait : *Est & tertius portus* , *qui vocatur Muza* . Sane *Muza* est αὐτόπατορ hebræum מחוז . Adhæc cum non solum exstet מחוז , verum etiam חוז *oz* , seu *uz* inde quoque fruticat *Zao portus* . Hinc apud Plin. l.III. c. 4. debet legi *zao portus* . Sed de lectione genuina hujus loci adeo certatum inter Eruditos , ut nihil supra . At ne longis ambagibus distineam , brevi illorum sententiam persequar . Harduinus apud Plinium , quem ipse suis notis adornavit , ita habet : *Promontorium Zao ; Citharista portus* . Verum tantus auctor est allucinatus . Nam haud ista comminisci coactus fuisset, nisi ipsum fugisset Ptolo-

mæus : qui scilicet tradit , *Citharistam* fuisse *promontorium* . Hoc duce , & auctore edoctus Gronovius, & Isaacus Vossius, licet aliam viam ingressi, tamen *Citharistam promontorium* , non vero *portum* legere . Alter autem sic in notis ad Plinium legit , & interpungit : *Promontorium Citharista* , *portus regio Camatullicorum* . Alter vero hanc lectionem mancam fortasse ratus , ita locum hunce Plinianum restituit ad Melam 1741. *Promontorium Citharista* , *Lacydon portus* , *regio Camatullicorum* . Sane rectius Vossius , quam Gronovius , qui *portum* fortasse credidit nomen *κυρίον* regionis Camatullicorum. Verum res secus habet . Nam Mf. Chiffletianum hæc verba exhibet : *Zaozita : ista portus* . Aliis vero est : *Zaoportus* , uti ad oram Plinii adnotavit ipse Gronovius . Igitur cum vox *Zao* constanter in vetustis Codicibus occurrat , quamvis inverso, perturbatoque dictionum ordine, immerito & maxima injuria istud vocabulum expungendum , atque eliminandum tantis viris visum est. Id argumentis suadebitur.

Itaque postremus omnium prodeat in scenam Pintianus , qui hunc locum ita in integrum restituït apud Plinium Gronovianum inter Variorum notas , atque prius suæ lectionis vadem dat Ptolomæum , ubi ait : *Codices iidem* , Promontorium Lao Citharista , portus &c. *Sed cum constet ex Ptolomæo Citharistam promontorium esse*, *scribendum videtur permutatione dictionum :* Citharista promontorium , Zao portus . Heic quoque operæ pretium monere puto , in iisdem Codicibus forte pro *Zao* lectum *Lao* , eo quod parvum discrimen intercedit inter *Z* & *L* , vel suffectum ab amanuensibus ; atque sicuti initio admonui, ordinem vocum confusum , nimirum *Citharista* postpositum , quod *Lao* , seu *Zao* præire debebat . Itaque tanti viri conjectura de isthac lectione firmatur origine orientali , quæ nempe ab חוז *oz portus* esse se prodit . Huc sciolos , qui alto supercilio cunctas in universum origines & veras , & falsas despectas habent , irridentque ; huc , inquam , in jus Eruditorum voco, atque illorum judicio sisto , dummodo haud Orientalium Musarum ingratiis nati sint ; & quibus jam palatus sapere incœperit . Neque falsus haruspex audirem, si ex eodem חוז *coz*, seu *cot portus* dictam arbitrarer *Cajetam* . Etenim huc pertinet illud Plinii l. III. c. V. *Cajeta portus* . Itaque jure inde ducere poteris ; nam videtur *Cajeta* principe significatione *portum* designasse , sicuti ex Orientali חוז liquido comperimus . Id eo potissimum suadetur , quod *Cajeta* Urbs sit littoralis , ideoque ab nautis primo illuc appulsis hoc nomine donata . Quare *Cajetam* dictam a קוץ *tædere* uti quidam Cl. Auctor scripsit , quod ibi *Cajeta* Ænææ nutrix sit sepulta, haud verum autumo . Ex חופ *op portus* constare videtur *Besippo* , de quo Plinius ipse eodem c. 1. ubi ait : *Promontorium Junonis* , *Portus Besippo : Oppida Belon &c.* Equidem id magis de origine nos certos facit.

Cum itaque de *cothone* verba habuerimus , heic haud importunum existimo sermonem instituere de voce *ἠϊόνι* i. e. *littore* , atque *αἰγιαλῷ* . *Eion* apud Plinium l. VI. c. 6. præsto est ; ubi ait : *Inde ad Bospori Cimmerii introitum octoginta octo mill. CCCCC. pass. Sed ipsius peninsulæ inter Pontum , & Meotin lacum excurrentis , non amplius octoginta septem mill. CCCCC. pass. lon-*

longitudo est : latitudo nusquam infra duo jugera . Eionem vocant . Igitur est idem atque græcum ἠϊὸν . Porro ἠϊὸν pullulat ab Hebræo עין *ain* , seu *en oculus* , *fons* , *superficies* . Atque hinc affunditur lux Hesychio , cui ἠϊόνες *sunt* ὀφθαλμῶν τὰ ὑποκάτω . διὰ τὸ φέρεσθαι κατ᾽ αὐτῶν τὰ δάκρυα, ὡς καὶ κατὰ τῶν τῆς θαλάσσης αἰγιαλῶν τὰ κύματα . Igitur res eo redit , ut & oculorum inferiorem partem denotet; proindeque utraque lexis conspirant amice. Αἰγιαλὸς *littus* factum ab הגגל ex גלל *devolvit* , & גל *gal scaturigo* , *fluctus* , & גליל *limes*, *confinium* , quæ omnia graphice græcanicæ voci quadrare videntur.

CAPUT II.

BAris *genus navigii . Ægyptia vox* . Baris ædificium , *seu* Turris . *Utrumque sed diversa via ab Oriente profecta . Secundum Corinthum Jonicum vocabulum . Occurritur Corintho, aliisque Grammaticis. Ortum ducit ab* עברה, *quod ex Herodoto , & innumeris argumentis esse* scapham *evincitur . Notantur interpolatæ LXX versiones . Jonathan reddidit* מגנזא *h. e.* scapham . *Quem plerique recentiores interpretes sequuntur* . Horia , τράμπις , saphon , lembus , carina *ab Oriente manarunt . Unde* Thebæ *secundum Bochartum ? Quid de aliis significationibus , quæ huic voci subsunt , crediderit . Quid quoque de illis Seldenus senserit* . Theba collis , Θήβα Bos , & Theba navis *ab Oriente profecta* . Ἀμὰς navis *ex fonte Hebræo descendit . Forte pro* ἀμὰς ἀνὰς *legendum* .

BAris , ait Vossius , *esse navigii genus testes Hesychius , & Suidas . Jonum id vocabulum esse Corinthus auctor est . Videntur & illi a* barbaris *accepisse : ac propterea , puto , Euripides* Βαρβάρους βάριδας *dixit . Et a quibus potius , quam Ægyptiis? Nam Herodotus in Euterpe , cum locutus esset de genere navigii Ægyptiaci , atque id nominasset* Βάριν, *subjicit*, τοῦτο γὰρ δὴ οὔνομά ἐστι τοῖσι πλοίοισι τούτοισι , hoc enim his navigiis est nomen . *Propertius quoque , qui unus Latinorum usus videtur , sic de Ægypti Regina scribit l. III. el. X.*

Scilicet incesti meretrix Regina Canopi . . .
Ausa Jovi nostro . . . ,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra liburna sequi .

Hæc ferme habet Vossius . Igitur vox Ægyptiaca , Orientalis , non solum quod ad significationem τοῦ *navigii* spectat , verum etiam *domus*, *ædificii*. Sane βάρεις , quæ Suidæ , Hesychio , & Etymologo M. sunt etiam τείχη, στοαί, αὐλαί , πύργοι , σφαῖραι , & Hieronymo *turritæ domus* , seu *magnæ* , & *instar turrium excitatæ* , descendunt ab Hebræa voce בירה *bira regia* , *palatium* , *arx* , *castrum* . Verum unum obstat , quod Corinthus ait esse Jonum voca-

bu-

bulum. Cui brevi faciet quis satis, si animadverterit haud novum esse Grammaticis, & præsertim Corintho *Jonicas* aut ex alia dialecto afferere, aut ex ipsa Græcia arcessere eas voces, quæ reipsa sunt domo Orientis. Hinc Etymologus ait ἐσσὴν Ephesiorum dialecto denotare τὸν Βασιλέα, atque ducit ἀπὸ τῦ ἕσαι, cum revera sit ipsum Hebraicum אצל *essel princeps*, *optimas*. Quare licet quandoque aliquas voces peculiari dialecto usitatas non negamus, tamen id magis eas voces orientales esse prodit, atque clamat. Ideo ipsi læva mente, seu potius inscitia orientalis sermonis ab ipsa Græcia arcessunt; quemadmodum Etymologus Ἐσσὴν ducit παρὰ τὸ ἕσαι καὶ ἱδρύσαι. Sed de hac voce alias commodius agetur. Jamvero quod attinet ad significationem τῦ *naviculæ* non aliunde manavit, quam ab Hebraico עברה *abara navis*, *ponto*, *scapha*, uti a plerisque eruditioribus Interpretibus redditur II. Reg. XIX. v.18. Heic autem sistendum ante quam progrediamur, atque adnotandum, quod cum juxta Herodotum sit navigii genus fluviatilis, & l. cit. Reg. non alia de causa navigiolum comparatum legamus, nisi transmeandi flumen Jordanem, unum idemque esse oportet. Præterea sensus id postulat, ut *scapha* exponatur, sicuti cuique rem penitius introspicienti illico patebit; secus insulsus sensus, atque inusitata illa repetitio verborum; in quam inciderunt LXX vertentes Hebræum: ועברה העברה לעביר את בית המלך Καὶ διέβη ἡ διάβασις τῦ διαβιβάσαι τὸν οἶκον τῦ βασιλέως, uti affert Calmetus in suis Commentariis, licet versio Lxxviralis, quæ Davidis Millii studio exiit, loco τῦ διαβιβάσαι habet τῦ ἐξεγεῖραι. Neque præstat reponere, Hebræis in more positum esse geminare idem verbum, ut illud Psalmi *exspectans exspectavi*, atque id genus similia. Etenim id heic locum non habet, eo quod esset non gemina, sed tergemina vocis repetitio, uti ex LXX constat; denique diversæ rationis esset. At quod caput est, hanc vocem ita exponendam suadet Herodotus, qui scribit ita vocari apud Ægyptios *navigiolum fluviale*. Cum igitur nulla alia vox occurrat apud Orientales, quæ accedit Βάρισι, nisi Hebraicum עברה *abara*; ut recto stet talo Historici veritas, atque assertio, ita exponi oportet, ne causa cadat Herodotus, & falsi crimine arguatur. Postremo lexis Hebraica venit a verbo עבר *transiit*, *trajecit*, atque עבר *vadum*, non secus, ac Græcis *navis* dicitur πόριον, πορθμίον a πείρω *transeo*, *trajicio*. Latinis vero dicuntur *pontones*.

Ceterum ex versione LXX heic nihil certi erui potest; nam adeo interpolata atque varia, ut nihil supra. Hinc illa versio Lxxviralis, quæ a Waltone in suis Bibliis adoptatur, ita habet: Καὶ ἐλειτύργησαν τὴν λειτυργίαν τῦ διαβιβάσαι τὸν Βασιλέα. Quod ita ibi vertitur: *Et ministrarunt ministerium ad traducendum regem*. Ubi pro ועברה, & העברה videntur legisse ועבדה ex עבד *abad* quod *servivit*, *ministravit*, & עבדה quod est *ministerium*. Necnon alia MS., uti in ora Waltonis Bibliorum adnotatum, habent: τῦ Βασιλέως τῦ διαβιβάσαι αὐτόν. Itaque si hanc lectionum discrepantiam sive de industria sive dolo malo maleferiatorum hominum, sive inscitia amanuensium spectas, haud nostræ sententiæ officit, eo quod germana versio, & quæ τοῖς LXX mens fuerit, nos latet. Neque quis sibi in animum inducat falsum

 esse,

esse, עברה *abara* significare *naviculam*, *scapham*, eo fretus, quod *LXX*, *Syrus*, & *Arabs* secus hanc vocem vertere. Nam id inde natum, quod diverso modo istam lexim legere. Hinc Syriacus interpres cum reddiderit, *&* *pararunt vada*, prout vertitur in Waltonianis Bibliis, videtur respexisse ad עבר *eber vadum*. Arabs vero cum habeat: *Attulerunt quoque sublicia:* spectavit fortasse Chaldaicum עברין *abrin* h. e. *vectes*, *repagula*. At Jonathanis versio, qui hanc vocem recte expenderit, habet מגזתא *megizata*, quæ vox designat *scapham*, *navigiolum*. Sane τῷ עברה significatio τῆς *scaphæ*, seu *naviculæ* subjecta fuerit sine controversia oportet; secus qua fronte Chaldæus hanc significationem illi voci subesse obtrudere ausus esset? Quare ita conjicio. Vox hebræa τῆς *scaphæ* significationi obnoxia est, potissimum cum apud Ægyptios sua tempestate Βάρις πλοῖον fuerit secundum Herodotum, & secundum Euripidem sit βάρβαρος scilicet *peregrina*, *exotica*. Igitur res eo redit, ut βάρις sit vox Orientalis, prout Herodotus, & Euripides tradunt; cui respondet Hebræorum עברה *abara*, unde ad alios populos deinceps dimanavit. Alioquin de hac voce, quod sit Ægyptia & Barbara, actum atque desperatum esset. Quod cum sibi proposuissent, atque accurate perpendissent quidam recentiores Interpretes, nempe Pagninus, Arias Montanus, Junius, aliique, κατὰ πόδα Chaldæum sunt secuti. Quæ sane expositio mihi auro contra carior.

Horia, & *horiola navicula piscatoria* descendit ab Hebraico אני *oni*, seu אניה *navis*, tantum *N* in *R* versa. Τράμπις *navis* apud Lycophronem a דברות *dibrot rates* per metathesin venit. *Saphon* exponitur *funis nauticus in prora positus*. Cæcilius apud Isidorum l. 19. Orig. c. 4. ait: *Venereo cursu veni prolato pede usque ad Saphonem*. Hoc vocabulum suam originem acceptam referre videtur Hebraico ספינה *sephina navis*. *Lembus*. λέμβος *genus navigii explorandi gratia comparatum* fit ab Orientali דבר *dabor*, unde דברות *dibrot rates*, *D* in *L* de more versa. *Carina* proprie & κυρίως *ima trabs navis* est: peropportune fluit ab Hebræo קורה *core trabs*. Demum coronidis loco apponam vocem *Thebas*, de cujus origine lis ingens viget inter Grammaticos, & Eruditos. Samuel Bochartus Geogr. S. l. I. cap. XVI. Chanaan. Col. 426. ita disserit: *Jam si e Creta in Bœotiam cum Cadmo trajiciamus*, *statim se Thebæ offerent Phœnicibus* תבץ Thebes *dictæ*, *ut urbs terræ Chanaan*, *ad quam molæ fragmento percussus Abimelech interiit* Jud. IX. 50. & II. Sam. XI. 12. *Itaque hanc historiam referens Josephus* Thebas *scribit:* Ἤλαυνεν, *inquit*, ἐπὶ Θήβας, ad Thebas promovit agmen *de eodem Abimelecho Antiq. l. 5. cap. 9. Et rursus l. 2. cap. 2.* ὃς ἐπὶ τὸ ἐν Θήβαις πύργον ἑλεῖν (*lege* ἐβούλετο) qui Thebis cum turrim vi capere conaretur. *Id docti si observassent*, *non scripsissent tam aliena de Thebarum nomine*. *Sunt qui vocis originem ab Ægypto arcessunt*, *&* *Bœoticas Thebas volunt ab Ægyptiis nomen mutuari*. *At Varro de re rustica* l. 3. c. 1. Thebas, *vel sine afflatu* Tebas *ex Sabinorum lingua colles exponit*. *Alii Cadmum sibi fingunt urbem a se conditam a* תבה Theba *nominasse*, *id est nave in formam arcæ*, *qua in Bœotiam sit advectus*. *Pausanias a* Thebe *deducit*, *Asopi scilicet filia*. *Eustathius* ἀπὸ τῆς θεύσεως

ἢ τοῦ

ἢ τῦ δρόμυ τῦ βοὸς a curſu bovis, *quem ducem itineris habuerit Cadmus . Quin ſi fides Etymologo , & Iſacio in Lycophronem* p. 180. Θήβα Συριςὶ λέγεται ἡ βῦς, bos Syriace Theba dicitur. *Nugæ nugaciſſimæ . Thebis , ut jam diximus , Phœnicium nomen fuit* תבץ Thebes *formæ* תבל . . . . . . *Ita* תבץ Thebes *fieri palam eſt ex inuſitato* בצץ , *unde* ביץ *vel* בצה *pro luto & cœno in Scripturis occurrit aliquoties . Sic* Job. VIII.11. . . . . . *Itaque urbi* Thebes *ſeu* Thebis *a luto nomen* . Ita Bochartus . At Johan. Seldenus ſic habet in prolegomenis de ling. Hebr. & Phœn. cap. 2. in lib. de Diis Syris : *In Bœotiam item Cadmum e Phœnicia petunt veteres : atqui & Cadmus urbem ſuam Hebræo nomine appellavit . Thebas nempe a* תבה *quod navem ſonat ; a navicula , qua trajecit . Quemadmodum & priſci Latini nummum rate ſignarunt , quod ea vectus Saturnus in Latium pervenit* . . . . . *Cadmum etiam ipſum* Orientalem *denotare a* קדים cadim *quod oriens eſt* . . . . *Quod de Thebe Nympha cognomini habent Græci , nugamentum eſt , uti & quod Iſacius Tzetzes ad Lycophronem , affert de Thebe Syrorum lingua , uti ait ille , bovem interpretante* . Hæc Seldenus loc. cit. Jam vero redeamus ad Bochartum , qui temere , & nimis audacter ea , quæ de vocis Θήβα h. e. τῦ *Theba* ſignificatione veteres litteris conſignarunt , nugas nugaciſſimas eſſe pronunciat . Quem aliqua parte ſequitur Seldenus . Ut rem propius aſſequamur , operæ pretium eſt monere , nos in præſenti haud certare de origine , & voce Thebarum , ſed de ſignificationibus , quæ apud Veteres huic voci affinguntur . Etenim num *Thebæ* dictæ a תבץ ſcilicet a *luto* , an ab alia voce diſquirere haud magnopere laboro . Itaque vera autumo pleraque quæ veteres docent . Hinc vere *Teba collem* denotat Sabinorum lingua ; nam alibi venire a טבור, quod *locum editum , umbiculum , verticem* , ſeu ipſum *collem* deſignat , adſtruemus . Nam uſurpatur de Hieroſolyma , quæ ſita eſt in loco editiſſimo , ut facile ab omnibus conſpiciatur . Hinc Calmet in Ezech. cap. XXXVIII. v. 12. ait : *Mons in agro ſurgens , undique ſolus , atque ſejunctus Hebraice Tabor dicitur* . . . . Denique ita claudit: *Hic Tabor terræ eſt locus totius terræ ſublimiſſimus , editiſſimus , ſituque tutiſſimus* . Eamdem ſignificationem imbibit aliquando græcum ὀμφαλὸς , qui in Clypeo idem, ac *umbo :* necnon latinum *umbilicus* . Adi eumdem Auctorem in Jud. IX.37. cui adde, quod *umbilicus* etiam eſt *gnomon* , ſeu *ſtylus* in horologio ſolario . Quod attinet ad alterum , nempe Θήβα , num Syriace denotat *bovem*, modo rimari haud pœniteat . Sane ita Etymologus , Iſacius in Licophronem, uti vidimus , teſtantur . Demum idem ſignare vocem Θήβα videtur putaſſe Euſtathius , ubi ducit a *curſu bovis* . Itaque Θήβα factum ab Hebræo אביר *abir bos* , T præmiſſo, uti ex אפר τέφρα *cinis*, ex חפר τάφρος *foſſa* . Demum , quod huc ſpectat , ſcilicet eſt, num *Thebæ* dictæ a תבה *arca* , & *Theba* contineat ſignificationem *navis* . Jam inde autem ab initio palam faſſus ſum , nolle vadimonium facere de Thebarum iſthac origine, num ſcilicet dictæ a תבה *navi* , an a voce Hebræa *lutum* ſignante . Id vero contendo , quod ſi Thebæ continent aliquo pacto denotationem *navis* , aut ab voce , quæ *navim* ſignificat, deducendæ ſunt, haud dictæ a תבה *teba*, quæ κυρίως eſt *arca*, ſed ex

עברה

עברה *abara navis*, *ponto*, & *tabara T* præposito, uti fieri solere modo ostendimus, ut inde תעבר *tabar trajicere*. Α'μὰς, δος est *navis* apud Etymologum ex Æschylo. Porro videtur fluxisse ex Orientali אניה *ania*, seu *ani*, quod idem, *N* in *M* conversa. Ceterum licet innixus Hebrææ origini, tamen non is sum, qui etymo solum ductus, non vero Codicum auctoritate pro ἀμὰς ἀνὰς subrogare audacter confidam.

EXERCITATIO IV.

CAPUT I.

HOstis peregrinum *principe significatione sonabat*. *Ita Varro*, *Cicero*, *Festus*, *Macrobius*. *Secundum Vossium ab* ὅς τὶς, *vel* ostium. *Traditur vera origo esse ab* חוץ ost. Esar *oppidum denotans* advenas *ab* הזר. Sapen *dictum idem oppidum autumo ex* אסף. Hospes *ab* hostis *dictus videtur Vossio*. *Id venit ab* אסף osop. Βέρις a ברח. Bargus, bargina homo extorris. *Vossius notatur*. *Derivatur ab ipso* barac fugit. *Hinc* bannus, *seu* bannum *vox barbara*, *quæ* exilium *denotat*, *unde Italis* bando. Bannus *h. e. præses a* בעל. Nanus νάνος erro *vox usitata Lycophroni*. *Mazochius conatur ducere a* נד nad. *Sed verius a* נע na na *geminata voce*. *LXX Gen.* IV. 12. *secus legere*. Ναὸς, *&* ναίω a נוה. Templum *a* תפנה. Σηκὸς fit a שכן. Gurgustium *venit a* גור gur *geminato*, *&* כתר. *Hinc* Trig incola. Ω'ον *est* domus, domicilium, ὑπερῷον *vero* superior domus pars. *Fluit ab* עון. Ω'βὴ ab חבר eber societas. *Hinc &* τιβὴν, T *præmisso*. Βούτοι ἀπὸ τȣ̃ בית bet. Μέλαθρον a מלונת melunat. Fratria. *De ejus origine Grammaticorum nugæ*. *Profecta a* פרזון pherazon. Gugga *est homo ex Libya*, *seu Afer secundum Lambinum*. *Ejus origo est a* גור. Palor *a* פלט. Μόσσυν a מצוד mazod. Βλεορὸν a בור bor Carcer. *Quid de ea voce Vossius*, *& Grammatici*. *Derivatur ab* חרכי cancelli, clathri. Thalamus *non venit a* θάλλω *neque a* תא. *Tribuitur ei genuina significatio*, *& origo*. Καλιὰ *a* קן. Κυπὴ *a* הפר. Limen *ab* אולם. Θαιρὸς *a* ציר. Spatium *a* פתא. Κώμη *a* מקום. Vicus *ab* חוץ uz. Οἶα *vero fit ab* חיה, *seu* חוה. Cohors, *& gr.* χόρτος a הצר cater, *&* חציר fœnum, *&* atrium.

DE *etymo*, *sic Nonius*: Hostimentum est æquamentum, unde hostes dicti, qui ex æqua causa pugnam ineunt. *Nonii itaque mens est* hostis *venire ab* hostio *id est* æquo; *eo quod qui alteri se bello opponit*, *is minimum vel æqualis sit*, *vel talis sibi videatur* . . . . . *Sed vera videri poterat hæc Nonii opinio*, *si ea princeps*, *quam is credidit*, *esset significatio vocabuli* hostis

hoſtis . *Nunc ſecus eſt , uti docent hæc Varronis verba pene initio l. IV. de l. L.* multa verba aliud nunc oſtendunt , aliud ante ſignificabant : ut hoſtis ; nam tum eo verbo dicebant peregrinum , qui ſuis legibus uteretur ; nunc dicunt eum , quem tum dicebant perduellem . *Idem tradit Cic.* 1. *de Offic.* Equidem illud etiam animadverto , quod qui proprio nomine perduellis eſſet , is hoſtis vocaretur , lenitate verbi triſtitiam rei mitigante . Hoſtis enim apud Majores noſtros is dicebatur , quem nunc peregrinum dicimus . Indicant enim duodec. tabb. Aut ſtatus dies cum hoſte . Itemque , adverſus hoſtem æterna auctoritas . *Feſtus* . Hoſtis apud antiquos peregrinus dicebatur , & qui nunc hoſtis perduellis . *Cum itaque princeps notio hujus vocabuli ea ſit , qua* peregrinum *ſignificat : hujus , non ejus , qua notat perduellem , etymon quæri debet . Hoc autem ſatis eſt obſcurum : nec quidquam melius occurrit , quam ſit* ab ὅστις quivis, quicumque: *vel potius, quod etiam Martinio videbatur*, oſtium, *ut notet eum qui* foris *eſt, hoc eſt extra territorium noſtrum , ut qui alienis legibus utatur . Pro hac ſententia eſt , quod* peregrinus *Græcis ſimiliter* θυραῖος *dicatur a* θύρα *id eſt* oſtium. *Heſychius :* θυραίων ἀλλοτρίων , καὶ μὴ συνοίκων . Hæc ferme Voſſius . Ceterum addere poterat Plautum , atque ex Plauto Macrobium , qui Saturnal. l. I. c. XVI. differens de diebus faſtis , comitialibus, comperendinis , ſtatis , præliaribus , ait : *Stati , qui judicii cauſa cum peregrino inſtituuntur* , ut Plautus in Curculione : Si ſtatus condictus cum hoſte , interceſſit dies . Hoſtem nunc more veteri ſignificat *peregrinum* . Adeo certum eſt . Verum hujus vocis origo non eſt ab ὅς τις , ut Voſſius adſtruit, neque ab *oſtium ;* nam inde emergeret *oſtiarius* , ut a θύρα , θυραῖος ; præterea cum hoc vocabulum ſignificatione *peregrini* ſit antiquum, conſtans eſto eſſe ab Hebræo חוץ *hoſt foris, foras, extra* , unde חיצון *iſton extraneus ;* nam heic adverbium loco nominis eſt , haud ſecus , ac Græcis, ut ὁ πέλας *propinquus* . Hinc LXX Job. XVIII. 17. חוץ verterunt ἐξωτέρος . Quare apud ipſos perinde fuit , atque חיצון , quod iiſdem ubique fere ἐξωτέρος vertere mos eſt.

Heic apte cadit verba facere de oppido *Eſar* , de quo ita Plinius l. VI. cap. 30. ubi ait : *Inde dierum duodecim Eſar Ægyptiorum oppidum* . . . . *Bion autem Sapen vocat , quod ille Eſar , & ipſo nomine advenas ait ſignificari* . Prius credebam *Eſar* eſſe ipſum Hebraicum אזרח *eſrah ;* at re maturius expenſa ſententiam in melius verti ; eo quod *eſra* ſignificaret *indigenam*, contra *Eſar* Plinii *advenam* , eo vel maxime, quod locus Plinii non eſſet interpolatus , aut dubiæ lectionis, ita ut apud ipſum legi debuerit *indigenas* pro *advenas*. Igitur dubio procul factum ab הזר *eſar*, ſeu *aſar alienus, extraneus. Sapen* vero reor dictum ab אסף *aſap recepit* (unde אספות *collegia*) quaſi *receptus , exceptus . Hoſpes unde ſit videor mihi indagaſſe . Veteres pro* peregrino hoſtis *dicebant ; ut oſtendimus ſuo loco ex Varrone , Tullio , Feſto . Inde igitur* hoſpes *converſo T in P , quod in multis factum . Ut a* στάδιον *Cretenſes dixere* σπάδιον , *unde* ſpatium : *a* ταώς pavo ; *a* σταχύς ſpica : *a* χρὼς χρωτὸς corpus &c. ait Voſſius . Sed illius miſeret . Etenim veriloquium clamat eſſe ab Hebræo אסף *oſep* ex אסף *aſap recipere* . Βέρης *fugitivus* dictus

a

a ברח *barah fugit*, *profugit*, unde מברחים *fugitivi*. Bargus, bargina, vargus, & vargina *appellatio est barbarica hominis extorris*, & *latrocinio viventis*, ait Vossius; prout ex Sidonio l. VI. ep. IV. probat. Verum potiori jure reor notare *hominem extorrem*, *expulsum*; atque inde ad alia denotanda translatum. Lex Salica T. LVII. §. V. de corporibus exspoliatis: *Si quis corpus jam sepultum effoderit*, *Wargus sit*, *hoc est expulsus de eodem pago*. Et Lex Ripuaria T. LXXX. VII. §. 1. *Wargus sit hoc est expulsus*. Heic porro advertendum, quod ista vox fuerit parum nota, proindeque secus haud adjecissent explanationem illis verbis *hoc est expulsum* leges, quas modo allegavimus. Hinc duplici nomine causa cadit Vossius, dum *verisimilem credit sententiam Bonaventuræ Vulcanii*, *qui conjectabat bargena esse Teutonicum*, *quo obvium interrogamus Waer henen? id est quo tendis*. *Gloss. Philox.* Bargina, νεκροφόρος, βάρβαρος, προσφώνησις βαρβάρυ. *Ubi triplicem tribuit notionem*, *ut sit* Vespillo, *vel* homo barbarus, *vel* barbarica compellatio. *Ac postremum hoc etiam est in Glossis Cyrillo tributis*. *Sic enim illæ*; προσφώνησις βαρβαρικὴ bargina. *Quod autem etiam βάρβαρος exponitur confirmatur illo Flavii Capri l. de Orthographia:* Bargina non bargenna hoc est homo vitiosæ gentis, quia barbarus interpretor vitiosus: unde & barbarismus dicitur vitium. Hactenus idem Vossius. At præfiscini immensum σφάλμα patravit, utpote qui haud assecutus fuerit verba, & mentem Flavii Capri. Etenim, ni fallor, verba adducti Auctoris scilicet *bargina* non *bargenna* hoc est *homo vitiosæ gentis*, hoc sibi volunt, quod *bargina* significet *hominem vitiosæ gentis*. Ea verba quæ subnectuntur, *quia barbarus interpretor vitiosus*, non indigitant *barginam* significare *barbarum* uti Vossius assumsit; sed ex illis verbis eam esse mentem Auctoris puto, quod *bargina* significet *hominem vitiosæ gentis*, quia venit a *barbarus* quod ipse interpretatur *vitiosus*. Denique in Glossis Mss. Pauli Diaconi, *barginæ*, *peregrini*, *non peregrina*, uti probe emendat Vossius. Et in aliis Glossis: *Varginus*, *alienigena peregrinus*, *quasi barbaris genitus*. Sed rectius puto ita interpungendum: *Varginus*, *alienigena*, *peregrinus*. Hanc vocem descendere puto a ברח *barac fugit*, *aufugit*, unde מברחים *fugitivi*, *profugi*. Inde etiam venit *Bannus exilium*, & *bannire*, atque ac Græcis φεύγω *fugio*, & φυγὴ *fuga* pro *exilio* usurpatur, neque secus Latinis *fuga*. *Bannus* vero, quod est apud Turcas, & Hungaros officii nomen, *præsidem*, seu *regni gubernatorem* designans videtur factum ab Orientali בעל *baal dominatus est*, *imperavit*, ל in *N* versa. Γείτων vicinus omnino descendit a גש *Gas* ex נגש *accessit*, *appropinquavit S* in *T* versa, quod Chaldæis præsertim familiare est, quod nemo inficiabitur, nisi omnino erit hospes in ea lingua.

Nanus, νάνος *est* erro *auctore Tzetze*, *qui ad illud Lycophronis de Ulyssis in Tyrrheniam adventu*, Νάνος πλάναισι πάντ' ἐρευνήσας μυχόν. Scrutatus omnem erroribus Nanus angulum. *Sic adnotat:* Νάνος ὁ Ὀδυσσεὺς παρὰ Τυῤῥηνοῖς καλεῖται, δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος τὸν πλανητήν. Nanus Ulysses a Tyrrhenis vocatur: quod nomen erronem notat. Ita fere de hac voce habet Cl. Mazochius in Additionibus Vossianis. Quod vero ad originem attinet

tinet, *suspicio* ejus est, *verum Ulyssis Tyrrhenicum nomen fuisse* Νάδος (נד *nad autem* vagum *significat ; est enim participium a* נוד vagari : *quæ notio tum Hebræis , tum Chaldæis , Syris , Arabibus est usitata) deinde quia litteræ D pronunciatio blæsa , & ambigua apud Orientales & Tuscos eorum traduces erat ; hinc ex* Νάδος *id est* πλανητὴς *factum fuisse* Νάνος . Hæc fere laudatus Auctor de origine . Verum hocce etymon duriusculum videtur ; ideoque omnium verissime venire puto ab Hebraico נע *na* geminato , quod idem est , scilicet *vagus* , *jactatus* , juxta illud Maronis Æneid. I. *terra jactatus & alto* . Hinc Gen. IV. 12. conjungitur נד *nad* , & נע *na* , nempe *vagus & profugus* ex rad. נוע *nuah vagatus fuit , recessit* . Ubi vero LXX vocem נע transtulerunt *gemens* , videntur mihi lectitasse נהה *lamentatus fuit*.

Jamvero tempus est ut de aliis vocibus, quæ *habitationem*, & *quamcumque sedem* denotant, disseramus. Ναὸς Græcis *templum*, & ναίω *habito*, unde originem capit, hæret aqua. At citra dubitationem factum a נוה *nava habitavit*, & *Nave habitaculum*. *Templum* antea putabam dictum a צבול *habitaculum:* at cum Varro, aliique Grammatici dictum velint a *templando*, eo quod nihil aliud est, nisi locus, qui undequaque aspici queat, vel ex quo omnis pars aspici possit , sanius puto & *templor* , & *templum* dici ab Hebræo תפנה *tipna aspexit* , unde פנים *panim facies*, *aspectus*, *conspectus* , & *quælibet externa rerum anterior species*. Σηκὸς exponitur *stabulum* proprie ovium, & caprarum juxta Pollucem; & Od. I. dicuntur σηκοὶ Ἀρνῶν , ἠδ' ἐρίφων . Item *templum ;* hinc apud Herodianum l. III. conjungitur ναὸς, & σηκὸς. Denique pro *avium loculis* & pro *ipsa domo* teste Hesychio , & Suida . Adde quod νεώσηκος significat *navale* , *navium statio*. Quare omni jure, atque ἀμέσως venit a שכן *sacen habitavit*, *degit*, *commoratus est ;* atque Hebraicum vocabulum ea omnia præstat , quæ vox græca complectitur . Hinc Dan. IV. 18. ובענפוהי ישכון *& in ramis ejus habitabunt aves Cœli*. Ezech. XXXII. 4. *Et faciam , ut habitent super te omnes aves Cœli* . Pro *Dei habitaculo* ponitur Jer. VII. 12. ubi ait שכנתי , h. e. *feceram ut habitaret illic nomen meum* . Et משכן *habitaculum* , ut Lev. XXVI. 11. *Et ponam habitaculum meum* משכני. Ps. XLVI. 5. משכני עליון *habitaculum Excelsi* . Et pro *quocumque habitaculo ;* ut *habitacula pastorum*.

Gurgustium , si Servio credimus , est *obscura*, & *latens taberna*. Ista vox ab Oriente haud dubie fluxit , ut ipsa res loquitur . Porro factam puto ex גור *gur gur* (geminari sæpe solent voces) *habitavit* , & מגור *magur habitatio* , atque ex שתר *satar latuit* , *abscondit* , *occultavit se* . *Colo* unde *incolo* forte venit ab eodem גור *gur habitavit*. Ex eodem גור *gur* , unde תגרר factum *Trig* incola, de qua voce consule Bochart. Geogr. S. c. 1214. Ὦον exponitur vulgo *superior domus pars* . Plane Eustathius tradidit: τὰ μετέωρα τῶν οἰκημάτων ὦα καλοῦσιν οἱ λακεδαιμόνιοι . Verum non solum *fastigia domus* , verum etiam *ipsa domicilia* (quæ significatio princeps mihi videtur) ἁπλῶς designare reor ; etenim secus non diceretur ὑπερῷον , & ὑπὲρ , quod *supra* est , redundaret . Denique idem suadet Hebræa origo עון , & מעון *habitaculum* quodcumque . Ὤβὴ *tribus* ab חבר *societas* , unde & τιβὴν idem, ח in ת versa, vel ex תחבר. Βουτοὶ secundum Hesychium sunt *loca apud Ægyptios*,

ptios, *in quibus mortui ponuntur*, ubi ait: Βουτοὶ τόποι παρ' Αἰγυπτίοις εἰς οὓς οἱ τελευτῶντες τίθενται; procul dubio dicta ab Orientali בית *Bait domus, & omnis locus*, seu *sedes ubi aliquid continetur*. Μέλαθρον domus venit a מלנת *melunat tugurium*, *N* in *R* versa, atque transposita. *Fratria vulgo ducitur ἀπὸ τῶν φρεάτων a puteis, eo quod communi puteo uterentur. Vel potius prima origo est πατὴρ, unde πατρὶς, quo significatur patria, item πόλις, φυλὴ, ἡ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς γένεσις. Inde & πατρία familia. Pro πατρία dixere φρατρία inserto ρ;* ait Vossius in voce *Frater*. Sed meræ fabulæ. Nam φρατρίαι cum sint ex Budæo *conventus quidam hominum quasi pagi propria sibi sacra habentium*, videntur dictæ a פרזון *pherazon*, & *Z* in *T* versa *pheraton, pagus*; licet esse posset ab חברת *aberet sodalitas*. Verum prius certius. *Gugga* apud Plautum occurrit in Pœn. V. 2. 17. ubi ita legunt: *Facies quidem ædepol punica est, gugga est homo*. Ita refert Facciolatus apud Calepinum. Integra vero adlocutio hæc est:

Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit?
Numnam ita balneis circumductus pallio?
Facies quidem ædepol. . . . .

Ita habent Commentatores apud Plautum. At Gronovius ad oram Plauti hæc adnotat: *Lamb. ex Mss. Facies quidem ædepol punica est, gugga est homo*. At Lambinus sic ad verba, *Facies quidem ædepol. In nostris libris sequuntur deinceps hæc verba* punicu' st, gugga est homo. *Gugga autem id est Afer, seu homo ex Lybia*. Hactenus Lambinus ex Mss. Sane isthæc comœdia oppido quam punicam linguam sapit. Videtur heic esse vox punica, quoniam de homine punico res est. Porro descendere poterit ex גור *gur* (geminata syllaba *gu*) *peregrinatus est*, & גר *peregrinus*, seu *accola*, quod quidem fortasse accommodum erit Plautinæ menti. *Palor*, & *palans* veniunt a פלט *effugiit*. Μόσσυν *turris, propugnaculum*, omnino venit a מצור *masod arx, propugnaculum*, quæ origo verissima; licet etiam accedat Hebraico מעזנים *mauznim munitiones*.

Carceris etymon Varroni, Servio, Isidoro est a *coercendo*; uti videre est apud Vossium, qui de carceris etymo hæc adspergit: *De carceris etymo magis placet sententia Scaligeri, qui in Conjectaneis vult dici a κάρκαρα, quod pro μάνδραις usurpari discimus ex Hesychio. Idem tamen ad Festum tradit esse a* cancer *mutata* N *in* R: *qua de re plura diximus in* Cancelli. *Imo Santra apud Festum in Querquera, deducit a κάρκαρος significante* tremorem ex frigore: *vel* horribilem, *quando exponitur δεινή. Sed & esse potest a κάρκαροι, quod eodem Hesychio teste, significat δεσμοὺς, ut proprie de* vinculis publicis *dicatur*. Ita ille sentit. Sed priusquam etymon investigaverimus, admonere oportet, δεσμοὺς, seu δεσμὸν valere apud Hesychium idem, ac δεσμωτήριον; nam ipse Hesychius non solum dixit: Γοργύρα, κάρκαροι, δεσμοί; verum etiam, Γέργυρα, αὐλή, δεσμωτήριον. Porro & κάρκαροι, & *carcer* ἀμέσως fluxit ab חרכים *caracim*, seu *carce clathri, cancelli*, unde *R* in *N* versa venit & *cancer*. Sane μάνδρα apud Hesychium est *septum*, seu *claustrum*, quo pecora noctu coercentur. Βλωρὸν *carcer* fluxit ex בור *bor* quod idem est, gemi-

nata

nata *R*, quasi *breorum*. Hinc Hesychius: Βλεορὸν, δεσμωτήριον, βάθος. *Thalamus*, θάλαμος, cubiculum nuptiale: *unde liquet* ἀκύρως dicere Maronem in VI.

Ferreique Eumenidum thalami . . . .

Nam ut ibi Servius notavit Furiæ, nunquam nupserunt. Unde thalamus habitationum loca, quibus natæ sunt. *Dicitur* θάλαμος a θάλλω, *sive quia* viridem ætatem deceant nuptiæ: *quam caussam adfert Etymologus: sive quia* illic conjuges vireant & efflorescant, & germina profundant: *sive quod olim* floribus ac virentibus ramis thalami soleant ornari: *ut hodieque a multis fieri solet*. *Vel potius est* θάλαμος a תא, *quod* thalamum *significat*. Λάμος *vocis productio est*, *ut in aliis*. Hactenus Vossius. Porro quod attinet ad alteram, & primam originationem, reor utramque falsam, atque eliminandam. *Thalamus* enim potissimum apud Græcos designat non solum *cubiculum uxoris*, *&* *mariti*, verum etiam *domum* ipsam, atque in universum *quodcumque habitaculum*, aut *latibulum*. Hinc θάλαμος est *infima pars navis*, nempe ubi ordo remigum θαλάμιων. Necnon θάλαμος, seu θαλάμη dicitur de *piscium stabulis*, seu *latebris* apud Græcos. Quare Maro l.IV. Georg. apibus tribuere non dubitavit, cum ait: *ubi jam thalamis se composuere*, *siletur*. Igitur planum est, cur θάλαμος aliam originem habeat. Sane factum ab Hebræo תעלומה *taaluma absconditum* ex עלם *alam abscondit*. Atqui quoniam cubile nuptiale honestatis gratia statuebatur in penetralibus, seu penitiore domo, ideo nihil officit nostræ origini. Denique si θάλαμος ponitur pro *nuptiis*, advertendum ab eadem radice Orientali descendere elem עלם *adolescens*, & עלמה *virgo*, & עלומים *alumim adolescentia*. Καλιά *nidus* pullulavit ex קן *cen* idem, *N* in *L* conversa; non vero a κάλον *lignum*.

Κυπή ab Hesychio exponitur τρώγλη *caverna*, *foramen*. Haud occurrit apud alios Auctores; idcirco Orientale nomen esse arbitror. Porro haud inique derivatur a חפר *capar fodit*, *effodit*. *Limen* durius ducitur a βηλός. Mihi non displicet derivare ab Hebræo אולם *ulam*, seu *elam*, quod *vestibulum* redditur, attamen est ipsum *limen*. Nam LXX θυρίδα vertere. *Θαιρὸς cardo* ducitur ab Etymologo ἀπὸ τῦ θέιν δι' ἀυτῦ τὴν θύραν. Sed cordati viri, Orientaliumque linguarum periti, jamdudum originationes Etymologi fabulas inanes, putaque commenta esse pronunciarunt. Hinc contra animadvertas rogo, quam verissime nullis adminiculis descendat ex Hebræo ציר *tir cardo*, צ in *T* versa, uti ex צור *Tyrus*. *Spatium* ineptissime ducitur a Grammaticis ex σπάδιον pro ςάδιον, primum propter significationem diversam, secundum propter mutationem durissimam. Propius, & verius est a Chaldæo פתא *petah latitudo*, *S* addito ab initio, de quo vadem tibi do ipsum Vossium in de permut. litt. Κώμη *vicus*, *pagus* venit ab מקום *macom*, abscissa priore *M*, quod in universum denotat *locum omnem*, atque usurpatur de urbibus, aliisque locis. *Vicus*, atque οἶα idem, unde sint, brevi inquiremus. Quod spectat ad primum; ita Vossius ejus originem refert: *Vicus est ab Æolico* ϝοῖκος vel βοῖκος pro οἶκος, ut ab ἲς *vis*, ab ἐμῶ *vomo &c.* At *vicus* fluxit ab Hebræo חוץ *utz*, *vicus*, *platea*, *TZ* in *C* emollita. Nam plane prior

 est

est significatio vici urbani; unde dein ad paganum vicum denotandum translatum, eo quod parvitate similes. Quod vero attinet ad alteram vocem græcam scilicet *οἶαν*, unde profecta, altum apud Grammaticos silentium. Porro *οἶα* venit ab חיה *aia vicus*, *villa*, prout quidam exponunt; & *caterva*, *cœtus*.

Cohors, sive *chors*, vel *cors* villica. Vossius ubi Isidori, Velii Longi, & Varronis etyma protulit in medium, ita auspicatur: *Sed vera meo judicio originatio est, quam H. Stephanus in Thesauro, Jos. Scaliger in Conjectaneis, Justus Lipsius l. II. de militia Romana, dialog. IV. & Petrus Nunnesius in Grammatistice, adferunt: ut* cohors *villica sit a χόρτος hoc est περιορισμὸς, sive περιχώρημα, seu περίβολος. Sane Varro quoque (si vera Scaligeri emendatio) hoc etymon agnovit. Nam verbis, quæ ante ex eo apponebamus continuo hæc subjicit:* Tametsi cohortem in villa Iphicrates dicit esse Græce *χόρτον* apud Poetas dictam. *In Romana editione est χῦρθον, vox nihili. Pro eo recte Scaliger χόρτον. Nam Græcis sic dicebatur, quidquid in interiore domo, vel villa clausum, septumque esset: unde Hesychius interpretatur περίβολον τῆς αὐλῆς.* Hæc atque alia habet Vossius. Porro *χόρτος* venit ab Orientali חצר *cater*, seu *catir* per *μεταθέσιν*. Hic autem quemadmodum gr. *χόρτος* non modo denotat *septum*, *περίβολον*, atque idem fortasse, quod Latinis *cors*, verum etiam *fœnum*, atque *herbam*; ita quoque Hebræum חציר significat & *fœnum*, *gramen*, *porrum*, atque *atrium*. A quo haud discrepat *cohors*, quæ dicebatur *quidquid in anteriore domo*, *vel villa clausum*, *septumque esset*. Hinc apud Ovid. IV. Fast. v. 704. *aves cohortis*; & Vitruv. l. VI. c. 9. *boum cohortes*; quod fortasse non abludit ab Homerico *χόρτος τῆς αὐλῆς*. Adde quod exponitur *ἔπαυλις*, *villa*.

CAPUT II.

GLos *γάλως a* גאל. Ἡ*νατήρ ab* חתן. Thius *θεῖος* a דוד. *Hinc* Tata *ἄττα*, *&* *τέττα*. *Δαήρ ab* רע dea. Uxor *ab* אשה isca, *Ἄορ*, *ab* איש. Prosapia *a* pro *&* שפחה.

GLos *γάλως* græce exponitur *soror mariti*, vel *uxor fratris*. Hujus vocis origo sic investiganda. Hebræis גאל *goel* est *propinquus*, *cognatus*, nimirum qui *jus vindiciarum* habebat apud ipsos. Sane mos illis erat, ut si frater defunctus esset, alter germanus uxorem illius defuncti sibi vindicaret. Ἡ*νατήρ* exponitur *fratria*, seu *uxor fratris*, apud Eustathium vero *σύννυμφος*; quod fortasse verosimilius: Nam venit ab Hebræo חתן *atan*, seu התחתן *itaten* per metathesin *affinitatem iniit*, unde חתן *oten socer*, & *atan gener*, *sponsus*. *Thius*, *ut Isidorus indicat l. IX. c. VI. græcum est*, *quibus* patruum, *vel* avunculum *significat*. *Glossæ Cyrilli*: *θεῖος πρὸς πατρὸς*, patruus, *θεῖος*

πρὸς

πρὸς μητρὸς, avunculus; *θεῖα πρὸς πατρὸς*, amita; *θεῖα πρὸς μητρὸς* matertera. *Ita usi Jurisconsulti*, l. XXXVII. cum quis decedens §. codicillis, D. De leg. III. §. III. de gradib. Instit. Novell. CXVIII. Harmen. l. IV. tit. VI. *Indeque fortasse Hispanorum* tio, *&* *Italorum* zio. Paulo strictius Gloss. Arabico-Latinæ, Tius avunculus; *&* *Papias* tia, soror matris. *Imo & Pollux* lib. III. c. II. *ubi θεῖον μητράδελφον ἢ πατράδελφον, καὶ θεῖαν μητρὸς ἀδελφὴν exponit. Sed potior apud nos Jurisconsultorum auctoritas*. Hæc Vossius. Plane *θεῖος*, & *θεῖα* veniunt a דוד *dod patruus*, & דדה *doda amita*, ו in θ versa, atque abjecta altera *D*. *Tata* ex *ἄττα*, *ut apud Homerum ἄττα γέρων*. *Ἄττα ex Chaldaico* אבא *abba pater*. *Vel fuerit tata a τέττα*, *ut apud Homerum τέττα γέρων*. *τέττα* autem quasi *τιτὸς honoratus*. *Vel quod maxime placet*, *& tata*, *& ἄττα*, *& τέττα facta sint a sono puerorum*. Hactenus idem Vossius. Verum *τέττα* frustra a *τιτὸς honoratus* derivatur. Nam dumtaxat *D* in *T* versa commode fit ab דוד *dod patruus*, *dilectus*, *amicus*, & דדה *doda amita*. Ab ipso הדוד *adod*, ה *a* præmissa factum quoque *ἄττα*, quod nullo pacto fieri poterat ex אבא *pater*, quia *ἄττα*, & *τέττα* numquam *patrem* designarunt; dein repugnat, eo quod mutatio τῦ *β* in *τ* est insolens, atque quam durissima. *Ἄττα*, & *τέττα* juxta quosdam est vox *benevolentiæ*, & *honoris*, qua junior seniorem compellare in more habebat; hinc *ἄττα*, seu *τέττα γέρων*, vel sonat idem, ac *φίλε γέρων*, quod alias apud ipsum Homerum occurrit, vel *o patrue*, *avuncule*; uti & nos aliquem senem *zio*, non *padre* compellare amamus; quam utramque significationem complectitur vox Hebræa, unde deduximus. *Δαὴρ* exponitur *levir*, *mariti frater*. Porro venit ex רעה *daa*, quod ab ידע *iadah novit*, *cognovit*, unde מודע *moda affinis*, *cognatus*, *notus*. *Uxor non dubito*, *quin sit a Græcis*, *quibus ξυνάωρ*, *vel ξυνάορος*, *aut συνάορος*, conjugem *notat*, *ac præcipue uxorem ab ἄορ*, *vel ὄαρ*, *aut ὄαρος*, *quomodo tum* uxorem, *tum* lusus venereos *dixere*, *Hesychio*, *& Etymologo testibus*. *Quod nisi hoc etymon impense placeret*, *deducerem a* קשר ligavit, *quia uxor viro sit* alligata. *Veterum autem opinio est* uxor *dici quasi* unxor *hoc est* unctrix . . . . *Causam etymo præbuit*, *quod sponsa mariti domum ingressura* postes inungeret. Ita Vossius. Sed omnia fabulæ. Nam uxor fit ab אשה *hisca mulier*, atque *uxor*, *S* & *C* in *X* commutata. *Ἄορ* vero, seu *ὄαρ* venit ab ipso איש *is vir*, *maritus*, & *isa fœmina*, *uxor*, *S* in *R* abeunte. *Prosapia*, *sive* prosapies *Nonio est generis longitudo*. *In vett. Gloss. exponitur γένος καταγωγή. item ἐκ προγόνων εὐγένεια*, *καὶ συγγένεια*. *Usus & Tullius in Timæo*. *Prosapiam quasi προπαππίαν a πρόπαππος dici suspicatur H. Stephanus palæstr. de Latinitate Lipsi p. CCXXXVIII.* Hæc habet Vossius. Sed id etymon, ut ipse etiam agnoscit, duriusculum est. Profecto isthoc etymon orientale arbitror, ut mox ostendam. Itaque *prosapia* mihi videtur constare ex *pro*, & *sapia*; *sapia* autem ex Orientali שפה *sapah* inusitato, unde שפחה *siphah ancilla*, & משפחה *misphah familia*, *genus*, seu potius ipsa *prosapia*.

EXER-

EXERCITATIO V.

CAPUT I.

ASſiratum *ab* aſſir , *quod eſt ſanguis* , *αἷμα ſecundum Gloſſas Philoxeni* . Aſſir *venit ab* עסים aſis muſtum , *ſeu* vinum . *Hinc Feſti* , *&* *Philoxeni ænigmaticus ſermo expeditur*. Aſſus *pro* aſſatus *fit ab* אזא aza accendi, aſſus *vero pro* mero , ſolo *ab* עש as unus . *Hinc & Gr.* εἷς . ἰττον *unde ?* Sabaia *ἀπὸ τῦ* סבא ſaba . Ε῎ρπις vinum *ab* הסבא eſobe . Emarcum *ab* חמר emar , *ſeu* chemar . Τρὺξ *παρὰ τὸ* תירוש , *unde &* *θορύξις* . *Heſychianum θάξαι profectum ex* תשכר . Ceria *vel a* כרם cerem vinea , *vel a* שכר , ש *truncato* . Camum *genus potionis a* חמר vinum . Apluda *ab* הפרוות aprudot . Amyſtis *ἄμυστις ab* המשתה amiſte compotatio . Aminæum *vinum ab* חמר , emer vinum. *Hinc* Amminia, *&* Taminia . *Hinc fluxit; & μάρων* . Vappa *ex* נופ nup . Μέθυ *ab* חמץ . *Βότρυς βρύτεα a* בצר . Αμάμυξ *a* צמוק , צ *in* ע *verſo more Chaldæorum* . Sircula *a* שרק genus vitis . Bannanica *forte ab* ענב . Viſula *genus vitis a* באש . Αἷμα ſanguis *ab* חמר.

ASſiratum , (*vel aſſoratum juxta alios*) *dicitur*, *uti* ſilatum . *Utrobique ſubintelligitur vinum* . *Illi nomen ab* aſſir, *huic a* ſili . *Feſtus :* aſſiratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino , & ſanguine temperatum , quod Latini priſci ſanguinem Aſſir vocarent . *Gloſſ. Philoxeni :* aſſir , *αἷμα* . *Utitur Cato cap.* 132. *de re ruſt.* Daps Jovi aſſiri à pecu in urna vini , caſte profanato in contagione. *Ita eum locum emendat Radulphus Fornerius l. II. rerum quotidianarum cap. ultimo* . *In vulgatis legitur hunc in modum :* Daps Jovi aſſaria pecuina urna vini Jovi caſte . Profanata ſine contagione . Hactenus Voſſius , qui expedire , τὸ aſſir undenam domo ſit , haud laborat . Verum iſta vox *Aſſir* recta venit ab Orientali עסים *aſis ſuccus*, *muſtum* , ſeu *ipſum vinum :* quia vinum ſanguinis colorem imitatur, ſeu ſanguis & vinum eumdem colorem referunt . Hinc lux affunditur Feſto ſcribenti , *aſſiratum eſſe potionis genus temperatum ſanguine* , *& vino :* atque illico enodatur , atque aperitur quidquid myſterii ſub ea re , & voce latebat. Idque validiſſimis fundamentis innititur; ut quemadmodum τὸ *Aſſir* ab Oriente, ita & iſte loquendi mos; etenim apud illos populos, & potiſſimum Phœnicios , & Hebræos *vinum* deſignabatur nomine τῦ *ſanguinis uvæ* . Hinc Geneſ. XLIX. v. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam*, *& in ſanguine uvæ pallium ſuum* , ברם-ענבים h. e. *in ſanguine uvæ* . Præterea cum Feſtus ſcri-

ptum

ptum reliquerit priscos Latinos ita locutos, apparet ab Oriente fluxisse per Lydios, & Tyrrhenos deinceps ad veteres Latinos. Sed juvat monere heic *sanguinem*, & *vinum* esse unum, idemque. Etenim ab Orientalibus ad Tyrrhenos, & veteres Latinos hæc lexis fluxit, qui in Oriente *vinum sanguinem* nuncupari acceperant. At posteriores, & recentiores, quos fugiebat origo, & nomenclatura Orientalis, nimis duram, atque importunam hanc potionem sanguinis autumantes, ut rem mitigarent, mitius & lenius acturos rati, hanc τȣ̃ *assir* potionem non uno sanguine constare, sed & *vino* & *sanguine* temperatam tradiderunt. Verum quamvis ad sacram anchoram confugere, tamen haud huic rei mederi valuerunt. Contra si Orientalem sermonem calluissent, rem planius, & simpliciter aperuissent. Hinc est, cur sæpe a Grammaticis peccatum. Quem nodum etiam cum solvendo non esset Dacerius in notis ad Festum, in hac voce ait: *De potione autem e vino & sanguine Sallust. Catilin.* Humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Hæc ille. Sed inde non proficit hilum. Nam heic agitur de conjuratis, desperatis, & hominibus profligatissimis, & refertur tamquam res inaudita, & insolens, unis barbaris populis vix usitata. Denique isthæc tempora si componas, longe inter se distare comperies. Porro veteres Latinos & Tyrrhenos ab Phœniciis hanc vocem hausisse supra ostendimus, apud quos vinum *sanguis* nuncupabatur. Quare haud isti potioni opus mysteriis. Nam res plana. Et quoniam heic injecta mentio τȣ̃ *assir*, iccirco brevi verba facere expedit de voce *assus*. Quod quidem attinet ad significationem τȣ̃ *assati*, venire videtur ab אזה *aza accendi*, *succendi*. Hinc Cic. ad Attic. l. XII. ep. 6. ait *uti asso sole*. At *Assus*, qua pro *solo*, *mero* ponitur, ut *assa voce canere*, scilicet nullis adhibitis instrumentis musicis, *assa tibia* h. e. nulla admixta voce, profectum ab Hebraico עש *as*, unde עשתי *asti unus*; atque hinc ipsum græcum ἂς *unus*. Ἴττὸν est *unum* apud Cretes. Hesychius: ἴττον ἓν Κρῆτες. Factum ex Hebræo אחד, seu אחת, *aat unus*, vel *unum*, vel a יחיד *unicus*, *D* in *T* versa. Jam vero ad propositum redeamus. Ecce tibi *Sabaia*, unde *sabaiarius*, est quædam potio, de qua ita Ammian. l. 26. c. 8. *Est sabaia ex hordeo, vel frumento in liquorem conversis, paupertinus in Illyrico potus;* itaque videtur vox barbara, atque profecta ab Hebræo סבא *saba se mero ingurgitavit*, unde סבא *sobe merum*, *vinum*. *Emarcum* quod est *genus uvæ* sic dictæ apud Gallos, venit ab חמר *emer*, seu *camer*, *C* in postremam syllabam rejecta, *vinum* proprie *meracum rubens*. *Sircula* genus uvæ *Veniculæ* etiam appellatæ, de qua Plin. l. XIII. c. 2. v. 33. sub finem, dicta a שרק *sorec*, seu *sereca genus vitis generosæ*, & *selectæ*. Ἔρπις *vinum* denotat; atque fertur esse vox Ægyptiaca, qua usus Lycophron, atque ante eum Sappho. Porro autem factum autumo ex Hebræo הסבא *esobe*; seu *esbe* quod idem, *S* in *R*, & *B* in *H* affinem conversis. Hinc patet, cur Ægyptiaca vox esse dicatur apud Auctores.

Τρύξ *vinum recens*, *mustum nondum percolatum* juxta Hesychium, & uti exponitur apud Athenæum l. XV. factum ab Hebræo תירוש *tirosc mustum*. Amplius indidem venit θορύξις *vini potus*. Apud Hesychium modo allatum

os-

occurrit τὸ θάξαι, & exponitur *ebrium esse*, videtur profectum esse ex תשכר ex שכר *inebriari*. *Celia*, seu *ceria* apud Plinium l. XXII. cap. ultimo sub finem est *genus potionis:* ait enim: *Et frugum quidem hæc sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt & potus zythum in Ægypto, cælia, & ceria in Hispania, cervisia & plura genera in Gallia*. Videtur autem dicta a כרמ *cerem vinea;* adde quod est Hebræis כר *pascuum*, & כרמל *carmel spica virens;* vel a שכר abscissa principe syllaba, quam syllabam si rejicias in postremam partem vocis, præsto erit vox *cervisia* (nisi velis esse a תירוש *mustum*, *T* in C versa). Zythum a ציץ *zit flos*. *Camum* genus potionis apud Vulpian. l. XXXIII. §. tit. 6. 9. si vera est lectio, nam alii legunt *curmi*, dictum a חמר *cemer* ex *camar vinum*, unde & ipsum *Curmi*. Quare cum Hebraice occurrat חמר *vinum* ex *camar*, hanc vocem *camum* haud refutandam puto, atque ita in integrum Auctori restituendam. *Apluda* quin ab Oriente fluxerit vix, aut omnino non dubito. Sed priusquam ad investigandum ejus etymon aggrediamur, videndum, quæ notio huic voci subjecta est. Plinius l. XXIII. cap. 10. ait: *Milii, & panici, & sesamæ purgamenta apludam vocant; alibi aliis nominibus*. Gellius l. XI. c. VII. *Legerat ille, apludam veteres rusticos frumenti surfurem dixisse, idque a Plauto in comœdia, si ea Plauti est, quæ Astraba, inscripta est, positum esse*. Eadem Nonius *in Apludas*. Glossæ vett. *Apluda*, κυρήβιον. Festus: *Apluda, est genus minutissimæ paleæ frumenti sive panici, de qua Nævius*

Non hercle apluda est hodie, quam tu, nequior.

Sunt qui apludam sorbitionis liquidissimum putent genus, quod flatu dejiciatur, & quasi applaudatur. Sed de sorbitionis genere alibi non memini legere, ait Vossius. *De etymo ἀναλογία non repugnat. Nam au in* u *sæpe abit, ut* claudo occludo, fraudo, defrudo. *Imo & Mss. quidam Festi Codd. habent hic* aploda, *&* applodatur. *Ut a* plaudo plodo, *a* Caurus Corus. *Porro tale minutum liquidissimum, quod spiritu dejicitur, non est cogitandum, quod illud solo allisum edat plausum, strepitumve, sed quod flatu dejecta sorbitione liquidissima intra labia, vel ex ore applaudatur, id est plausus, strepitus, crepitusve quantuluscumque inter expellendum edatur*. Hæc habet Vossius. Sed nihil stultius excogitari poterat allato etymo, potissimum quantum attinet ad alteram significationem, nempe *sorbitionis liquidissimæ*. Verum, ut ad rem veniamus, cum Plinius dixerit *apludam alibi aliis nominibus vocari*, atque juxta Gellium a veteribus rusticis dumtaxat ista vox adhibita fuerit, videtur vox antiqua atque exotica; idcirco ab Oriente arcessenda, nimirum ab Hebræa voce הפרודת *aprudot grana*, ex פרד *parad separavit, disjunxit, dissipavit*. Hoc graphice respondet notioni τῆ *apludæ*, quatenus scilicet vett. Glossis est κυρήβιον, Plinio *purgamenta*, Festo *genus minutissimæ paleæ frumenti*, sive *panici*. At cum ex eodem Festo juxta quosdam sit etiam genus sorbitionis, ideo hoc sensu venit ab הפרודת *aprudot grana, tritici*, seu *satorum:* atque in proclivi est conjicere fuisse potionis genus ex granis confectum haud secus, atque *assiratum*, de quo superius locuti, dictum ab *assir*, atque *assir* ab עסיס *asis mustum*, & *succus expressus*, & *potio confecta ex granis malogranatorum;* a quibus

bus potibus haud abhorrebant Orientales , unde ad Occidentales plagas derivatum hujuſcemodi morem ſtatuendum eſt . Neque mirum videri alicui debet , quod *apluda ſit genus minutæ paleæ frumenti , & genus ſorbitionis*. Etenim ex frugibus fiebant potus , ut Zythum in Ægypto , Cælia , & Ceria in Hiſpania , cerviſia , & plura genera in Gallia , aliiſque provinciis , uti docet Plinius l. XXII. c. ult. Heic autem cum ſermo fuerit inſtitutus de *apluda* , & פרודת *ferudot*, non abs re futurum, ſi ab eadem voce *ferudot*, quod exponunt *grana tritici*, *frumenti* , & *ſatorum* , deducamus voculam *frit*, quod dicitur eſſe illud , quod eſt in ſumma ſpica jam matura , atque eſt minus , quam granum.

Βρύτεα uvæ , ſive potius ſecundum Athen. l. II. *vinacea* dicta a בצר *batar* , *vindemiavit* , & *batir vindemia* . *Botrus* , ſeu *Botrio* gr. *Βότρυς racemus uvæ* , & *ipſa uva* , & *Βοτρυμὸς vindemia* plane nuncupata Hebraico nomine בצר *batar vindemiavit* , & בציר *batir vindemia* . *Μέθυ vinum* a מצה *mata expreſſit* . *Amyſtis* , *ἄμυστις genus poculi* , vel *ſtrenuæ potationis apud Thracas , quo uno ductu totam potionem hauriebant ab adv. ἀμυστὶ* , raptim , *quod fit ab* a priv. & *μύω* claudo, *quoniam ſine reſpiratione, & labiorum contractione biberent* . Horat. 1. Carm. od. 36. Baſſum Threicia vincat amyſtide . *Hinc ἀμυστίζειν ingurgitare libere affatim* , & *ſine reſpiratione* . Hæc de voce *amyſtide* Facciolatus ; quod alii quoque omnes docent . Ceterum haud videtur diſtare ab Orientali המשתה *amiſte convivium* , ſed potius *potus* , *compotatio* . Neque ideo *poculi* genus , ſed *potationis* . Ἀ'*μιναῖον vinum* . Heſychius : Ἀ'*μεναῖον δὶ ἑνὸς ν, τὸν οἶνον λέγει ἡ γὰρ πευκετία*, Ἀ'*μιναῖα λέγεται* . Sed acute ſic emendat Dacerius Heſychium in notis ad Feſtum : Ἀ'*μιναῖον δὶ ἑνὸς μ* , *non vero δὶ ἑνὸς ν , nunquam enim per νν ſcriptum ἀμυνναῖον* . Porro *ἀμιναῖον vinum* , unde amineæ vites dictum ab חמר *emer vinum* , proprie rubens . Necnon ab ipſa voce חמר *emer* truncata principe littera venit *μαρῶν vinum* , & fortaſſe *μῶλαξ* idem . Α'*ἷμα ſanguis* dictum ab ipſo חמר *emer vinum rubens* propter ſimilitudinem . Demum ab ipſo חמר fluxit *amminia* vitis , & *taminia* ת præmiſſa . *Vappa κυρίως* mihi deſignare videtur *vinum evanidum* , atque idcirco dictum ab נוף *nup ſtillavit* , *perſtillavit* , *ſuffivit*, *ſuffumigavit*, *N* de more evaneſcente ; atque inde quoque *vapor* , & *vapore* veniunt ; appoſite Maro ait ; *templum thure vaporant ;* ubi eſt idem , atque נוף nimirum *ſuffire*. Ἀ'*μάμυξ* genus uvæ quoddam dictum ab צמוק *tzamuc*, unde צמוקים *tzimmukim uvæ paſſæ σταφίδες* , ſeu *uvæ paſſæ racemus*, *botrus* , uti contendit Calmetus ; verſa צ in ע , uti oſtendimus de *ἄφαρ* , nimirum factum ab Hebræo צפר , ſicuti Chaldaice עמר *amar lana* , ab צמר , אעה pro עץ , עלעין pro צלע ; & geminata *M* , uti etiam Hebrææ voci uſuvenit. *Bannanica uvæ genus* apud Plinium l. XIV. c. 3. videtur dictum ab Hebræo ענב *enab* ſeu *cenab uva* per metatheſin . *Viſula* genus vitis , de qua loquitur Columel. l.III. c. 2. (viſulæ fructus) *qui tamen niſi primo quoque tempore legantur ad terram decidunt*, *humoribus etiam prius* , *quam defluant* , *putreſcunt* . Appoſite ductam reor ab Hebræo באשים *veuſim* , quod exponunt *labruſcas* , ſeu potius *uvas fœtentes* , ſeu *putridas* ex באש *putruit* , *fœtuit* . Hinc Aquila vertit *σαπρίας ;*

G quod

quod alludit ad significationem τῦ *putrescendi*; quare pessime Calmetus τὸ σαπρίας Aquilæ reddiderit *pessimos fructus*. Aquila fortasse allusit ad σαπρίας Athenæi; apud quem est genus *vini conditi herbis in eo putrescentibus*, seu *marcescentibus*, odoremque illarum ex *marcore isto concipientis*.

CAPUT II.

BE'κκος *vox Phrygia : unde* βεκκεσέληνος *a* בג cibus. Α'ρμαλιὰ *ab* הלחם alaam. Α"βαρ *ab* הברה, Α'βυρτάκη *ex* הברות, *&* הכין. *Apexao ab* הפסח apesac *S*, *& C in* χ *abeuntibus*. *Aggurium est Heb.* עוגה ugga. Βλὴρ *ab* ברה, *unde &* βλῆθα. Καρύκη *a* ככר. Κόλον, & χιλὸς *ab* אכל, *truncato capite*. Τροφὴ *a* טרף. Conitum *a* כוני cavanae, *seu* cone. Cœna *forte a* כרה convivium. Δόρπον *a* טרף, *T in D versa*. Δεῖπνον *forte a* תאפה. *Dapes*. *Grammaticorum deliramenta*. *Dictæ a* דבח daba. Αἴκνον cœna *ab* הכין ecin. Bellaria, *&* bellus *a* בל *ex* לב. Gigeria *a* גרה. Libum ἀμέσως *a* לבבת lebibot. Lallus, *&* lallo *ab* על ul, *seu* al. *Heluor ab* חלוע eluah. *Gumiæ a* גמא *absorpsit*. Βορὸς, βορὰ *a* בער. Βρωτὺς cibus, *&* βρώσκω *edo dicta prius ex* ברות *idem*, *alterum ex* ברה. *Hinc fit &* βιβρώθω. Μασάομαι *a* מזון. Mæson *quidnam & quisnam fuerit disceptatum apud Veteres*, *& recentiores*. *Venit a* מזון, *unde &* mando. Μίμαρκις *a* מרק *geminata M*. Colustrum *a* חרץ caseus. Panis *a* πανὸν *Dorico*. *Quid Mazochius senserit*. *Utrumque ab* אפה *apa*, *unde* תפינים *tupinim*. Pappa *cibus puerorum*. Pappare *exponitur* edere, *&* poscere panem. *Sed* ἁπλῶς *videtur esse* edere. *Venit ab* אפה apa (*geminata voce*) *panem coxit*. Εὐοχία *ab* הכין. Πόπανον, πέπτω *coquo ab* אפה. Εψω *ab* הבשיל. Πυρὸς *ex* בר. Prandeo *a* ברת barat. Ο'ρρὸς *ab* חרוץ. Α'βάρνα *fit ab* רעב. Θοίνη. *Quid de hac voce scripsit Mazochius*. *Venit a* זן. *Hinc* θάω, *&* τένθω. Solis mensa, *Grammaticorum somnia*. Solis *vox est ab* זולל solel *comessator*, *apulo*. Α'μης *ab* חמאה. Φθοῖς *ex* פת, *seu* אפה. Φέρβω *ex* בער. *Hinc* βόω, βόσκω; *&* πάω. Esca *ab* השאר. Σῖτος *a* זידה seda, *seu* seid. Ε'λπὸς *ab* חלב *idem*. Ε'ρέπτω *ab* הטרף etrip. Ψώθιον *a* פת. *Jejunus ab* ענה, *unde* תענית *jejunium*. Νηστεία *a* נצום *ex* צום *jejunavit*. *Tapulla ex* תפינים *ab* אפה.

BE'κκος, si aures præbere haud dedignamur Herodotó l. II. cap. 2. Phrygum lingua *panem* designat. Hinc apud Aristophanem in Nubibus occurrit vox βεκκεσέληνος, quod exponunt *delirum*, *decrepitum*, *quales plurimum panem comederunt*, *mensesque vixerunt permultos*. Clarissimus Bochartus in dissert. de Æneæ adventu in Italiam, quæ tom. II. adsuta, hæc habet: *Vocabulum celebre* βὲκ βεκὸς, vel βέκκος, *mihi nescio*, *quomodo se subduxit*, *quod panem denotat in lingua Phrygia*. *Narrant Herodotus*, *& alii &c.* Hic Au-

Auctor multas alias voces Phrygias ex Hebræo deduxit, at expedire hujus vocis originem haud potis fuit. Porro τὸ βὲκ factum ex בג *bag*, quod significat *cibum*. Orientale בג *bag* est *cibus*. Hæc vox sæpe adjungitur alii, nimirum פרת, *portio buccella*, quacum quasi unicam efficit dictionem. Hinc Hesychianum βάγος derivatum, quod secundum ipsum est κλάσμα, ἄρτου μάζης. Sed videtur ita interpungendum: βάγος, κλάσμα ἄρτου, μάζης h. e. *fragmen*, seu *ipsa buccella panis*, & *mazæ*. Ceterum Vulgata Daniel. XI. 26. ואכלי פתבגו, h. e. *Et comedentes buccellam escæ ejus*, pro פרת בגו habet, *panem cum eo*. Ἀρμαλιὰ *cibus* secundum Hesychium dicta παρὰ τὸ ἁρμόζειν καὶ ἰσχυροποιεῖν τὰ μέλη: secundum alios vero παρὰ τὸ αἴρειν τὰ σώματα ἢ ὅτι δίκην ἅρματος φέρει τὰ σώματα. Sed nugæ canoræ. Nam ἁρμαλιὰ factum ex חלחם *alaam* (*L* alternante, atque altero in *R* verso) *vesci*, unde הלחם *aleem panis*, *cibus*, *esca*. Ἄβαρ genus placentæ apud Æschylum dicta ab הבריה *abiria cibus*, *alimentum*, vel ab אפה *apa coxit panem*, *P* in *B* abeunte. Ἀβυρτάκη est *Barbaricum edulium ex porris*, *cardamo*, *granis mali punici*, *aliisque quibus inest τὸ δριμύ*. Videtur dictum ex הברות *abarut cibus*, *edulium*, & הכין *ecin paravit*, *præparavit* proprie *mensam*; nam sæpe ἁπλῶς positum, est idem, ac *parare cibos*, *mensam*; unde & כונים *placentæ*, *liba*. Hoc adeo verum est. Videsis, quæ Mazochius sat erudite apud Vossium in voce *cœna* docuit. *Africia* genus quoddam liborum, quo veteres in sacrificiis utebantur. Arnob. l. VII. *Sed quid omnino illud fuerit, incompertum est;* ait Facciolatus apud Calepinum. Fortassis *africia* descenderit ab הפרק *afarac frustum carnium*, uti exponunt. *Apexabo*, seu *apexao est genus farciminis*. Hinc Arnobius l. VII. ait: *Quid, inquam, hæc sibi volunt apexabo, iruæ, silicernia, longabo? Quæ sunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus*. Placet esse ab הפסח *apesac* (unde *apexao*, *S* & *C* in *X* conversis) *agnus immolatus*; nam id maxime respondet Arnobii verbis. *Aggurium*, & *aggurus genus placentæ:* vox inter barbaras relata a Facciolato. Idcirco puto fluxisse ex Orientali עוגה *ugga placenta*; seu עגה *aga placentas coxit*. Βλὴρ Æolice *escam* notat. Dicta ab בריה *biria cibus*, ex ברה *comedit*, *refecit se cibis*, alternante *R*, quorum primum in *L* versum. Βλῆθα *panis intritus* factum a ברות *Barut cibus*, *alimentum*. Βράπτειν *edere* ex ברה *bara* quod idem, unde *Berot* infinitum *edere*, per ἑτέρωσιν τοῦ β, atque altero in *P* abeunte.

Καρύκη est quoddam genus conditurae, seu intritum, vel edulii genus, venit a ככר *cicar torta* seu *tracta* veluti panis. Κόλον *cibus*, τροφὴ, omnino venit ab אכל *ocel cibus* ex אכל *comedit;* unde & χιλὸς *pabulum* fruticavit. Τροφὴ *cibus* ex τρέφω *alo*, *nutrio*, peropportune descendit ex Hebræo טרף *taraph*, quod in hiphil est *aluit*, *cibavit*, & טרף *terep cibus*, *esca*. *Conitum genus libaminis* factum a כונים *cavanim placentæ*, *liba;* neque audiendi sunt, qui legant *coniptum* a *conisso*. *Cœna* unde dicta sit, adisis Mazochium, qui in additamentis apud Vossium satis superque erudite ejus originem præstitit, nisi velis esse a כרה *cara*. Dorpon δόρπον *cœna* venit a טרף *terep cibus*, *esca* ex טרף, quod in hiphil notat *alere*, *nutrire*, *cibare*, tantum *T*

G 2 in ב

in כ versa. Δεῖπνον *convivium*, *epulum*, & ipse *cibus* fortasse venit a תאפה *taapa* ex אפה *coxit panem*, unde תפינים *tupinim cocturæ*. *Dapes*, cujus singulare *daps*, unde originem suam repetunt, haud facile repertu. *Est ea vox forte ab* δαὶς, *quod idem notat*. *Itaque Homericum illud* Od. a. τίς δαὶς, τίς ὅμιλος, ὅδ᾽ ἔπλετο, *id sic expressit Livius Andronicus apud Priscianum l. VII.* Quæ hæc daps est? quis festus dies? *Probat quoque hanc originem Festus:* Daps apud antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hiberna semente, aut verna: quod vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaque & daptice se acceptos antiqui dicebant significantes magnifice; & dapticum negotium, amplum, ac magnificum. Hæc Vossius, qui statim subdit: *Sed cum daps prius fuerit*, *dapis*, *ut trabs*, *trabis* . . . . . *fortasse verius erit dapis*, *sive dapes esse a* δαπάνη, *ut proprie sonet* convivium opiparum, ac sumtuosum. *Sane similiter a* δαπανᾷν *est* dapinare, *de quo diximus in damnum*. Δαπάνη *vero est a* δάπτω *hoc est* voro. Ita idem auctor. Verum antequam nostram originem afferamus, videtur Vossius dignus, qui notetur. Nam δαπάνη haud significat *opipare convivium*, ut sumit falso, sed ἁπλῶς notat *sumtum*; neque δαπάνη venire potest a δάπτω *voro*. Jam vero operæ pretium est, ut ad etymon veniamus. Est autem ab Orientali, sive Chaldæo דבח *dabah sacrificare* ex זבח idem; seu a טבח *mactare*, quod in lingua arabica pro varia punctatione & *mactare*, & *coquere* denotat. Hinc in proclivi est intelligere, cur Festus tradiderit, *dapem* apud antiquos dici *rem divinam* scilicet *sacrificium*. Commodum Servius quoque III. Æneidos adstruit *dapes* esse Deorum v. 228. ad illud

. . . . . . *Dapibusque epulamur opimis.*

Dapes Deorum sunt: epulæ hominum. Recte igitur utrumque posuit: nam & sacrificiis & conviviis tribuitur. Unde liquet, hanc vocem antiquitus significasse *sacrificium*. At idem Servius I. Æn. scribit *dapes fuisse Regum*. Id vero inde natum, quia apud Veteres ipsi reges sacrificabant, sicuti apud Romanos, quare remansit *rex sacrificulus*, & apud Orientales, aliosque populos id sollemne jus etiam usitatum. Et quoniam partem sacrificiorum Sacerdotes cum reliquis aliquando vescebantur; hinc factum, ut etiam *dapes* essent privatorum; hac lege tamen, ut signarent *opiparas epulas*, eo quod dapes Deorum essent magnificæ, atque omnium optimæ. Livius l. I. ait: *Tum sacrum factum*, *adhibitis ad ministerium*, *dapemque Potitiis*, *ac Pinariis*. Ubi sacro adjunctæ *dapes*.

Αἶκλον, seu αἶκλον *cœna vespertina*, *postcoenium* dictum, ab הכין *ecin* (ex כון) *parare*, *instruere aliquid*. *Atque*, uti advertit Cl. Mazochius apud Vossium in Voce *Cœna*, *haud raro absolute*, *ac sine accusativo rei positum reperitur*, *ac tantum cum dativo personæ*, *veluti si dicamus* parare, instruere *alicui*: *tum vero significationem convivalem habet*, *ac idem est* הכין ecin, *quod alicui* cenam dare . . . . . *Nunc productis S. Scripturæ exemplis ea significatio verbi* Hecin *firmanda est*. *Ac primum I. Paralip. XII.* 39. Paraverunt (הכינו *h. e. cenam dederunt*) eis fratres eorum. *Eadem syntaxis II. Paral. XXXV.* 14. *bis occurrit*, *ac rursus ver.* 15. *quibus locis* hecinu lahem, seu para-

paraverunt eis, *idem est*, *ac* dederunt eis cenam, *sive* (*ut ultimo loco reddit Hieronymus*) paraverunt eis cibos. *Nec aliter Nehem. VIII.* 10. *At alibi non expresso dativo personæ reperitur*, *sed tantum intellecto*. *Ut Gen. XLIII.* 15. *Joseph fratribus suis cenam apparari jubens ait:* Macta victimam, & para. *Pro* para *Hebraice est* hacen *i. e.* cenam instrue. *Itali hoc imitantur*, *apud quos* Apparecchiare *absolute dicitur intellecta cena*. *Græci idem fecere in* *ἀρτύω* . . . . . *Sed redeo ad Hebr.* כון. *A qua radice fit* כונים cavvanim, *quo nomine* placentas *Jeremias appellat h. e. præcipuas cenarum cupedias*. Hæc Mazochius. Bellaria. *Non dubium*, ait Vossius, *quin* bellaria *dicantur*, *quia* bella *sunt*, *eadem ratione*, *qua Græci illa appellant ὡραῖα* (*nam ὡραῖος*, bellus, *ac* pulcer) *qua item Cato* pulcralia *vocat in ea*, *quam habuit fundo oleario : ut Festus in hac ipsa* pulcralium *voce indicat : qua denique* res bellas *pro cupediis dixit Terentius Adelphis Act. IV. sc. II.*

Nam jam adibo, atque unum quidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

Quem ad locum sic Donatus: Proprie bellissimum dixit, unde & hujusmodi ad irritandam gulam cibi, bellaria dicuntur. Ita Vossius. *Bellus* igitur quid, & unde ortum sit, operæ pretium est investigare. Apud Vossium ducitur a *benus*. Sed ad rem redeamus. Bellaria latius sumenda, quam Vossius existimat. Neque *ὡραῖα* apud Græcos sunt *bellaria*; sed potius *æstivi fructus*. *Bellaria* vero, & *bellus* veniunt ab Orientali בל *bal*, seu Chaldaico, quod significat *cor*, *animus*, & factum est per metathesin ab לב *leb* idem, unde & לבבות *Mattyæ*, *lagana*, *placentæ suaves*, *gratæ*, quasi *cordialia* dictæ. Hinc *bellus κυρίως* est qui *cordi* nobis est, qui obsecundatur nostræ indoli. Idque ex ipsis Auctorum locis est discere. Quamvis Facciolatus apud Calepinum scribat *bellum* quandoque ad pulchritudinem referri, ut in Plauto 33. 84., qui ita habet : *Nimis bella es*, *atque amabilis :* tamen satius explicari posset, quod Italis *graziosa*, *avvenente*. *Gigeria*, si Nonium audimus, sunt intestina gallinarum, & quæ cum illis coquuntur. Videntur dicta ex גרה *gera* (geminata *G*) *rumen*, *cibus ruminis*. *Libum*, *quod* libeat, *hoc est*, placeat : *si credimus Isidoro*, l. XX. c. 11. *Sed potius ita vocatum*, *quod* libandi *caussa fieret : ut ait Varro in VI. de L. L. Sive ut idem dixerat l. IV.* quod libaretur, priusquam esset coctum; *sive ut Scaliger corrigit*, quod libaretur, priusquam essent, coctum. *Ut sententia sit*, libari *solitum jam coctum*, *priusquam essent*, *hoc est comederent*. *Ovidius a* Libero *patre deducit*, *quia ei offerunt*. *Sic enim in V. Fastorum ait:*

Nomine ab auctoris ducunt libamine nomen.
Libaque, quod sacris pars datur inde focis.

Sed omnino melius Varro. Hactenus Vossius. At libum, seu liba *ἀμέσως* ab Orientali לבבות *lebibot mattyæ*, *lagana*, *placentæ*, seu *κυρίως liba*. Atque ubi lux affulserit ex Oriente, omnis labyrinthus extricatus est. Præterea cum לבבות *lebibot* venit ex לב *cor*, unde facile emersit *libet*, quodam ferme pacto accedit, atque confirmatur ex origine Isidori, qui, uti supra vidimus, dictum vult *libum*, *quod libeat* hoc est *placeat*.

Tal-

Lallare est a sono factum . Dicitur de ea , quæ cantillando puerum demulcet , eique somnum conciliat . *Legas cum apud B. Hieronymum , tum Persium Sat. III.*

. . . . Et iratus mammæ lallare recusas.

Similiter lallum *dixere ipsam nutricum vocem infantes ad lac sugendum prolectantium . Ausonius epist. III.*

Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos.

Hæc Vossius . Facciolatus apud Calepinum in hac voce ita habet : *Lallo , as . . . lacteo , seu lac sugo apud Vett. Vossius putat , lallare dici de ea , quæ cantillando puerum demulcet , eique somnum conciliat . Factum est a sono . Aliqui dicunt esse de iis vocibus , quibus nutrices alumnis suis se accommodant , cujusmodi sunt* pappa *pro patre*, mamma *pro matre , & similes* . Ita Facciolatus. Porro *lallare* apud Veteres fuit *lacteo* , seu *lac sugo* . Id verum esse arguo ex origine Orientali . Nam derivatum ex עול *ul* , seu *alal lactans* , & עלות *lactantes* , geminata *L* . Hinc *lallus* dicitur esse vox nutricum infantes ad lac sugendum prolectantium. Et quoniam inter sugendum lac, & somniferos modos infantes a nutricibus cantillando demulcentur , ideo putarunt Eruditi , seu revera, translatum ad denotandam eam, quæ cantillando pueros demulcet, somnumque eis conciliat . Adeo origo Orientalis est עול , seu על *lactens* , & *lacteo* denotat . *Helluor* , seu *heluor* , & *helluo* , seu *heluo* , *nis* veniunt ab עלע *alah* ex *luah* לוע , seu ex הלוע *aluah absorbere , deglutire* , & לוע *fauces , gula* . Βορὸς , *βορὰ pabulum* dicitur de jumentis , uti videre est apud Lexicographos . Sane haud importune ducitur ex בער *baar pavit , depavit* , atque proprie usurpatur de jumentis . Hinc ab ipsa radice exstat בער *brutum, jumentum , pecus* . Βρωτὺς *cibus* , & *βρώσκω edo* dicta sunt ab ברות *barut cibus , edulium :* ab eodem ברות *barut* , geminata priore syllaba , factum *βιβρώθω comedo* . Μασάομαι *mando, comedo* venit fortasse a מזון *mazon*, seu *mason alimentum , cibus , esca*.

Mæson (*apud Festum*) persona comica appellatur aut coci, aut nautæ, aut ejus generis . *Calepinus revocat ad Græcum μέσον quasi medium significet ;* quia Coquorum , Nautarum, atque hujusmodi opificum personæ mediæ sunt; ut quæ neque serviles videantur , quum liberæ sint operæ ; neque omnino liberæ quum mercenariæ . *Inepte , & ridicule . Neque enim per ε scribitur μέσων , sed μαίσων per αὶ , quod Romani efferunt per æ . Sed neque Græca vox μαίσων originis est satis certæ . Quidam ἀπὸ τȣ̃ μασᾶσθαι* a mandendo *deducunt . Hesychius ;* Μαίσων μαγειρεῖον (*lege μαγεῖρον*) ἄλλοι βόρον ἀπὸ τȣ̃ μασᾶσθαι , Mæson alii coquum explicant , alii Helluonem , a mandendo ; *sequuti scilicet Chrysippum Philosophum , de quo Athenæus* l. XIII. c. 22. *χρύσιππος δ᾽ ὁ φιλόσοφος τὸν Μαίσωνα ἀπὸ τȣ̃ μασᾶσθαι ἴεται κεκλῆσθαι , οἷον τὸν ἀμαθῆ καὶ πρὸς γαστέρα νενευκότα ;* Chrysippus Philosophus Maesonem a mandendo appellari autumat velut rudem , & ventri deditum . *Sed alii melius Mæsonis nomen ad hujus personæ inventorem referunt* , Mæsonem Megarensem . *Festus* , dici ab inventore ejus Mæsone Comœdo ait Aristophanes Grammaticus

ticus. *Athenæus*, Μαίσων γέγονε κωμωδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἐπ' αὐτῷ καλούμενον μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ βυζάντιος ἐν τῷ περὶ προσώπων. Mæson fuit Comœdiæ histrio genere Megarensis, inventor personæ, quam ab eo Mæsonem vocant, ut dicit Aristophanes Byzantius in libro de Personis. Hæc, atque alia insuper Bochartus in explicatione Ἀμαζόνων ᾆσμα, seu potius Μαίσωνων, quæ adnexa est tom. 2. Geog. S.Col. 1090. Verum, cum incertæ originis sit, uti fatetur ipse Bochartus, haud opis est nostræ eam decernere, nisi aliunde lux affulserit. Porro vox ista fortasse fluxit ex Orientali מזון *mason alimentum*, *cibus*, *esca* ex זון *alere*, *pascere*, *sustentare*, & זונה *zona hospita*, *caupona*; adeo ut κυρίως fuerit vel *coquus*, vel *helluo*, uti Hesychius, Chrysippus docuit, quemadmodum ex ipso Bocharto retulimus. Secus si res se haberet, falsi nomine accusandi essent Hesychius, & Chrysippus. Adde quod apud *alios* nempe auctores Μαίσων fuerit βόρος scilicet *helluo* secundum Hesychium, cujus sententia, & Chrysippi dictus a μασᾶσθαι, h. e. *a mandendo*; atque hinc haud sit nomen κύριον, sed *appellativum*, oportet. Quod vero Μαίσωνα alii dictum velint ab hujus personæ inventore nempe *Mæsone Megarensi*; id inde natum, quod eos fugerit origo vocis germana scilicet Orientalis, sicuti in aliis quoque vocibus apud Veteres ob genuinæ originis inscitiam alias factitatum noscere est.

Mando h. e. *manduco* posset duci ab ipso מזון *mazon cibus*, *esca*. Μίμαρκυς *farciminis genus* ex sanguine, & interaneis leporis, forte venit a מרק *marac*, geminata priore syllaba, quod exponitur *jus carnium*. *Colustrum* dicitur esse *lac novum in mammis*, quod est ἀμέσως post partum, τὸ πρῶτον γάλα. Videtur mihi dictum a חרוץ *carutz casеus*, seu חריצים *caritzim casei*; alternante *R*, atque priore in *L* versa. *Panis* secundum quosdam est a *panus*, secundum alios dictus quasi *pascinis* a *pascendo*; vel a Deo *Pane*; aut ab adjectivo πᾶν. Quæ omnia etyma habes apud Vossium, qui hæc subdit: *Sed omnium horumce sententias diluit Athenæus*, *ex quo discere est Romanis* panem *vocari ex eo*, *quod Dores dicant* πανὸν. *Ita enim scribit is* l. III. Δειπνοσ. Πανὸς ἄρτος. Μεσσάπιοι καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν, καὶ πάνια τὰ πλήσματα. βλαῖσος ἐν Μεσοτρίβᾳ, καὶ Ἀρχίλοχος ἐν Τηλέφῳ, Ῥίνθωντε ἐν Ἀμφιτρύωνι, καὶ ῥωμαῖοι δὲ πᾶνα τὸν ἄρτον καλοῦσι. Πανὸς *vero sit a* πάσμαι edo, *unde & pabulum*, *& dea* Pales, *aliaque*. *Quod si quis in dubium vocet*, *an in magna Græcia pro* pane πανὸν *dixerint* (*sane Mssti*, *ac meliores Athenæi Codices* πάνια *non* πλήσματα, *sed* πλήσμια *interpretantur*; *ut Casaubonus testatur*) ἀμέσως panis *a* πάσμαι *deducere licebit*. Hactenus Vossius, Mazochius vero magnopere conatur in animum nobis inducere, ut sit ortum ex לחם פנים *lechem panim* hoc est *panis facierum*, sed res male, ni fallor cessit. Ut autem rem recta ordiamur, vox Orientalis originis statuenda. Nam non solum apud Latinos, verum etiam in magna Græcia in usu fuit. Sane *panis*, πανὸς & πάνια omnino profecta ab Orientali אפה *apa*, quod κυρίως *panem coxit in furno* denotat; unde אפה *ope pistor*, *coquus*, & תפינים *tupinim* (quam vocem *cocturas* exponunt) unde ἀμέσως, tantum *T* initiali abscissa, emersit *panis*, & πανός. *Pappare*, & *pappa*. Secundum est *puerorum*

rum cibus, uti indicat Varronis locus apud Nonium, ubi ait: *Cum cibum, ac potionem buas, ac papas vocent, & patrem tatam*, & *matrem mammam*. Id adeo verum, ut etiam apud Italos *pappa*, aliosque populos exstet. Primum vero nimirum *pappare* exponitur *edere* apud Vossium, uti in Plauti loco Epid. act. V. sc. II.

Novo liberto opus est, quod papet.
Pe. Dabitur; præbebo cibum.

Et *cibum poscere* apud Pers. sat. III. ubi ait:

Et similis Regum pueris pappare minutum Poscis.

Ubi sumitur, ait Facciolatus in voce *pappo*, *pro cibum poscere*, *auctore Vossio*, *etsi alii exponant minutis*, *& blandiusculis verbis patrem appellare*. At mihi ἁπλόστερον *pappare* videtur sumi, nimirum uti supra in Plauto; secus isthæc emergeret sententia, *tu poscis poscere cibum:* nisi quod adoptata hac expositione, τὸ *poscis*, esset idem, ac *tibi sumis*, *contendis*. Sed ad rem veniamus.

Papa, & *papare* veniunt ab אפה *apa coxit panem*, aliaque, unde מאפה, quod vulgo exponunt *coctum*, & תפעים *tupinim coctura*. Id sane, utpote accommodum pueris, videtur verisimilius. Εὐωχία *convivium*, *epulæ* venit ab הכין *ecin mensam apparavit*, seu *convivium instruxit*. Videsis quæ supra in voce Cœna ex Mazochio disputavimus de verbo הכין, & כון. *Popanum*, πόπανον *placenta* a πέπτω *coquo*, atque sæpe de *panis coctione* adhibetur. Sane πέπτω venit ab אפת *apat* alternante *P*, quod est *coquere*, & præsertim *panem*, unde & מאפה *coctum*, & תפינים *coctura*. Hinc fortasse dictum etiam *Popa*. Πυρὸς *triticum* est a בר *bar frumentum* verso *B* in *P*. *Prandeo*, & *prandium*, *unde sit*, *varie disputatur*, ait Vossius. Qui multis interjectis addidit: *Nos triplicem originationem poni pertendimus*. *Prima est*, *ut dicatur* prandium, *quod sit* παρὰ τȣ̃ ἐνδίȣ. *Altera*, *ut sit* πρωινὸν, *quod est*, matutinum. *Tertia quod sit* παρὰ τῆς ἐνδείας, pro indigentia. Hæc citatus supra Auctor. Sed mihi haud videtur adeo obscure repetenda ejus origo a Græcia, sed ἁπλῶς ab Hebræo, seu Orientali ברת *barat comedit*, *refecit se cibo*, *esca*, tantummodo conversa *B* in *P*. Ὀῤῥὸς *serum lacteum* haud admodum abest ab חרוז *aruz*, quod exponitur *caseus*. Ἀβάρνα *fames* factum per metathesin ab רעב *raab* idem. Θοίνη exponitur *epulum*, *cœna*, sed etiam ἁπλῶς est *cibus*, *dapes*, uti apud Hesiodum. Profecto id puto prius. Mazochius apud Vossium in voce *cena* ait; *Ex Latiali cena*, *aut cœna* . . . *deinde factum est Gr.* θοίνη, *verso* C *in* θ, *ut ex Siculo* ὄρνιχες. Græci fecerunt ὄρνιθες. Verum θοίνη cum ἁπλῶς, atque prius notaverit *cibum* fluxit ab Orientali זון *zun*, seu *tun alere*, *sustentare*, unde זן *zan alimentum*, *esca*, *cibus*.

Τένδω *edo*, *comedo*, ab זן *zan alimentum*, *cibus*. *Solis mensa Ital. Paese della Cucagna*, *locus Æthiopiæ*, *in Merse ins. quem semper novis epulis instructum fabulantur*. *Proverbialiter dicitur de opulentiorum hominum domibus*, *quæ omnium rerum copia ubertim affluunt*, *& inopum alimentis expositæ sunt*. *Gel. Rhod.* l. VI. Hæc Facciolatus. At heic subsistere juvat, atque originem rei explorare. Porro τὸ nomen *Solis* non de *Sole*, nempe *planeta lucidissimo*, sed de homine accipiendum qui *Sol*, seu *Solis*, aut *Solus*, dictus est,

eſt. Etenim lingua Orientali (quibus plagis haec Urbs ſita) denotat *epulonem*, *comeſſatorem*; quandoquidem eſt ipſiſſimum Hebraeum זולל *ſolel*, quod tantumdem eſt. Sæpe nomina Orientalia ab Recentioribus, & ipſis Grammaticis antiquis propter inſcitiam linguæ Orientalis, veluti patria, atque ſua æſtimata, eo quod ad patrium ingenium, typumque efficta, & detorta, ut facile quis noſſe poterit. Id vero permultis nominibus uſuvenire certum eſt. Ἄμης *genus placentæ lactis* fortaſſe dictum ab חמאה *ema butyrum*, *pinguedo lactis*. Φθόϊς, & φθοῖς *genus placentæ ex caſeo conſtans*, & *ſiligine*. Galenus vero apud Hippocratem φθόεις reddit τροχίσκοι nempe *paſtilli*. Mihi videtur fluxiſſe ex פת *phath buccella*, ſeu ab אפת *aphath coxit panem*, unde מאפה *coctum*. Φέρβω *paſco* eſt ab בער *bier pavit*, *depavit*, alternante *B*, atque altera in φ verſa. Βόω *paſco*, unde Βόσκω atque alia derivata, ἀμέσως venit ab ipſo בער *Bier pavit*, *depavit*. Id quod mihi immane quantum placet. Πάω item, *paſcor*, *veſcor*, *guſto*, fit ab eodem בער *bier pavit* mutata *B* in *P*. Adde quod ſicuti ex πάω deſcendit πῶυ *grex*, ita a בער *baar* exſtat בעיר *beir brutum*, *jumentum*, *pecus*. Quae veritatem originis affabre concinnant. Θάω, & θῶ *nutrio*, *lacto* quandoque exponitur, unde θήσασθαι *lac ſugere* apud Homerum, & θῆσθαι pro *mulgere*, qua de re adi Grammaticos. Profecto hac ſignificatione θῶ, ſeu θάω *nutrio*, & *lacto* ab orientalibus plagis ad Graecos profectum. Etenim venit ab Hebraeo זון *zun aluit*, *nutrivit*, *Z* in θ verſa, vel ab inuſitato תעל *taal* ex עול *ul lactavit*, unde in praeſenti ſuperſtes eſt עול *ul lactens*, & עלות *alot lactantes*. *Eſca* ducitur ab *eſu*; ſed facilius & fortaſſe verius ab השאר *eſcaar alimentum*, unde & *veſcus*, & *veſcor*. At ſi verum quod Nonius ſcribit: *Veſcum*, *minutum*, *obſcurum*; erit hoc ſenſu ab חשך *vaſac obſcurus*. Unde facile dicti *Oſci* nimirum חשכים *caſucim obſcuri*, *ignobiles homines*. Σῖτος exponitur *frumentum*, *panis*, *cibus quivis*, & *annona*, *commeatus* meo judicio haud injuria duceretur a צידה *ſeda*, ſeu *ſeid eſca*, *viaticum*, *commeatus*, dumtaxat *D* in *T* converſa. Ἕψω *coquo* ab הבשיל *ebſil coxit*. Ἐλπὸς *oleum*, & *pingue* apud quoſdam exponitur. Procul dubio deductum ex חלב *eleb pinguedo*, & potiſſimum *olei adeps*; *B* in *P* abeunte. Δριμὺς *amarus*, vel *acer* ab תמרורים *tamrurim amaritudines*, *T* in *D* verſa.

Ἐρέπτω *veſcor* per metatheſin venit ab הטריף *etrip aluit*, *cibavit*, & טרף *terep eſca*, *cibus*, *victus*. Ψώθιον *buccella*, *fruſtulum panis*, & *inferior cruſta panis*. Dictum videtur ex פת *pat fruſtum*, *buccea*, *portio* veluti *panis*; Σ addito. *Gumiae*, ſive *gemiae* ſunt *guloſi*. Porro hocce vocabulum vix offendes apud unos veteres, ideoque utpote priſcum, ab Orientalibus plagis profectum. Ad rem venit a גמא *gime abſorpſit*, *exſorpſit*, *exhauſit*. *Jejunus*, *jejunium*, Graecis νῆστις, νηστεία. *Jejunus*, & *jejunium* fluxerunt ab Hebraeo ענה *ana*, ſeu *ina afflixit*, *depreſſit*, unde תענית *taanit jejunium*, geminata priore ſyllaba. Νηστεία vero fluxit ex נצום *naſtum*, ſeu *neſtum* in Niphal, ex radice צום *ſtum jejunavit*. *Tapulla* lex quaedam lata pro frugalitate cœnarum. Videtur ortum ab Hebræo תפנים *tepunim coctura*, *res coctæ* ex Radice אפה *coxit*, & אפה *ope coquus*, quaſi dicta *lex coquinaria*.

Hinc nostra stare, illa Mazochii cadere videtur sententia.

Ἀθέλγω, & ἀμέλγω unde domo sint, modo dispiciendum. Haud immerito sane ἀμέλγω derivari potest ab Oriente nempe ab Hebraeo חמינקת *ameneget* ex ינק *suxit*, versa N in *L*, uti mos est; ἀθέλγω vero ab ipso, ינק ח hehemantico præposito. *Mungo* denique haud absurde deduci posset ab ipso מנקת *menechet* ex ינק, quod *suxit* designat. *Mulceo* vero diversis variisque originibus donatur, quas sic refert Vossius: *Mulceo esse a* mollis, *ac dici quasi* molliceo *tradit Perottus. Sed omnino vel est ab* ἀμέλγω, *ut sit ejusdem originis, ac mulgeo: vel est a* μαλκίω, *quod a* μαλκὸς, *hoc est* κατὰ συγκοπὴν *e* μαλακός. Μαλκιώτατον, μαλακώτατον. *Alioqui videri poterat, ut a* μέλι *Graece est* μελίσσω: *hoc est* mulceo: *Ita Latinum* mulceo *dici quasi* melceo *a melle*. Hactenus memoratus Auctor. Verum haec omnia cum sint nugae nugaces, & somnia, aliunde arcessenda ejus germana origo. Porro *mulceo* omnino venit a מרך *morec mollities* ex רכך *racac molle esse*, *mollescere*, dumtaxat commutata *R* in *L*, quod sollemne esse nemo unus inficias iverit. *Virus* ducitur apud Vossium a *vi*. Sed ἁπλῶς puto dictum ab הראש *varos* idem, ה, utpote quae spiritus asper est, proindeque digamma, versa in *V*. *Viscum* ducitur ab ἰξὸς idem. Hoc vero ab יצק *iazac effundi*, *fluere*, quod de *liquidis* dicitur, & de *metallis*, quae *funduntur*, & *liquefiunt*. Μίσυ, qui exponitur *succus in metallis*, videtur ortum ex מסה *masa*, vel מסס *masas liquefieri*, *dissolvi*.

Βεδὺ. Bochartus in disser. de Aen. adventu in Ital., quae addita est calci Tom. II. ita de hac voce disserit: *Clemens Alexandrinus post Didymum ait, Phryges aquam vocari* βεδὺ, *quodque Orpheus & Dion usurparint eandem vocem hac significatione. Sed Neanthes Cyzicenus & Philydeus* (vel *potius Philiscus*) *Poeta Comicus acceperunt pro aere. Nominavit omnes quatuor Clemens l. V. Stromat.* Haec ille. Mihi persuadeo ortum istud vocabulum ex איד *ed*, seu *bed* quod Moses adhibuit, atque exponitur *vapor*, seu *vapores in pluviam convertendi*, seu *nubes*, vel *scatebra*, sive *fons*; quae omnia idem evincunt; *B* praepositum, quod haud infrequens est.

EXER-

EXERCITATIO VI.

CAPUT I.

ABsinthium *unde ducit Vossius , & Grammatici . Ejus genuina origo . Hinc* ἀβάγνα. Α᾿δὰ : *quid de ejus origine Bochartus . Notatur. Vera ejus originatio . Eodem fonte ortum Gr.* οἰσύα , & ἰτέα . Adipsus , ἄδιψος ; æra ; æsculus , ἄκυλος , ambubeja , ἄβρυνα , ariena , amygdala , ἄνθος , ἄπιος , ἀσχίον *ab Oriente profecta* .. Avena , tibia , arinca , brance , ὄμπνη , *de quo Grammaticorum nugae* , ador *hebræi peculii sunt* .. Α῎συλις , κάνωπον , κάκτος , celastrus , cossia , χόρτος , cinæ , κυρήβια , dabula , ervum *indidem sunt* . Faba , gossipium , ἰφύη , ἰσχὰς , olus , lupinus , ὄμφαξ , oetum , οὔιγγον ab Hebræis quoque sunt.

JAmpridem Philologi innumeras , variaeque farinae voces sive latiales , sive græcanicas felici usi fortuna ex Orientali fonte deducendas esse evicerunt . Pleraque autem vocabula tum græca , tum latina & herbarum , florum , fruticum , & plantarum , & fructuum ab Oriente ad Græcos , Latinosque fluxisse certum est .. Omnium enim linguarum hebraea parens exstitit . Illud modo demonstrare mihi pensum est. *Absinthium* , gr. ἀψίνθιον dici putat Vossius quasi *indelectabile* ab a στερητικῷ , & ψίντος , quod Hesychius interpretatur τέρψις *delectatio* . Sunt qui dictum credunt quasi ἀπίνθιον *impotabile* . At verius mihi videtur etymon ἀπὸ τῦ חבצלת *abzelet* (unde ל in *N* versa ἀμίσως *absinthium*) quod exponitur *rosa* , *lilium* . Ab ipso *abazelet* ducta vox ἀβάγνα *rosa* apud Macedones , Hesychio teste , atque etiam *apiastrum* inde fortasse ortum . Α᾿δὰ παρὰ τυρίοις ἡ ἰτέα . Ada apud Tyrios salix . *Imo* ארן .. *Sed Graeci pro more abjecerunt N finale . Tale* Χνᾶ *ex Chanaan* , Σῦσα *ex Susan* , Χῶνς *Cabirorum Sacerdos ex* כהן *choen* . *Talmudici scribunt* אירן idan *quomodo* ביר bir , & ריב rib *pro* בר bar , & rab רב . *Hinc tractatu de Sabbatho* cap. 11. אין מדליקין בפתולא האורן non accendunt (*lucernas*) in die Sabbati ellychnio salicis *id est ex lanugine , quae salici adnascitur . Alii philyram interpretantur id est librum , seu membranam tenuissimam inter salicis corticem , & lignum* . Haec Bochart. Geogr. S. 1. 2. c. 737. At tantum virum haud odoratum esse hance lexin desumtam ab ipsa voce Hesychiana ἀδὰ magnopere miror. Α᾿δὰ vero ab Hebraico עץ *etz* , seu ipsum *ad* (nam צ media est inter *d* & *t*) *lignum* , *arbor* , quo vocabulo generaliter *arbustum* , & *frutex* denotatur . Hinc etiam ex ipsa עץ *ex* venit ἰτέα , & οἰσύα *salix* quoque . *Adipsus* ἄδιψος est *species palmae viridis in Aegypto nascens* . Plinius l. XII. c. XXII. ubi ita habet : *Myrobalano in-*

unguentis similem, *proximumque usum habet palma in Aegypto*, *quae vocatur adipsos*, *viridis*, *odore mali cotonei*., *nullo intus ligno*. Plane *adipsos* venit ab Hebraico הדבש *adebas palma*, *dactylus*, & *mel*, quod quadrat cum Plinii verbis. *Aera* αἶρα *herba* quae alio nomine *lolium* nuncupatur, forte dicta ab עור, quod exponitur *gluma*. *Aesculus* forte dictus ab אשול *escol botrus*, *bacca*, eo quod ista *arbor glandifera*. Ἄκυλος *acylus glans* ab הגר *agar bacca*.

Ambubeja herba venit ab אנבא *inba*, seu *anba fructus recens*, seu *virens*, seu potius ab אביב *abib culmus*, *spica mutica*, *arista virens*. Ἄβρυνα τὰ συκάμινα μόρα, dicta ab אב *eb virens*, *fructus recens*, & רען *raan viridis*; unde & fortasse *ariena pomi nomen*, *quo Sapientes Indorum vivunt*. Plinius l. XII. c. 16. *Amygdalae* dictae ab המגדלת *amigdelot flores*, seu *crescentes plantae*, *arbores* ex גדל *gadal crescere*. Ἄνθος *flos* venit ab הניץ *enit floruit*, *germinavit*, unde & ἄνηθον factum. Ἄπιος *pirum* tum *arbor*, tum *fructus*, atque etiam ex Theophrasto affertur pro *herba*. Porro in utroque sensu fit ex אב *eb* sive אבא *virens*, & *fructus*, & אביב *abib spica mutica*. Ἀσχίον *tuber terrae* a quibusdam dicitur, ut docet Theophrastus histor. pl. l. 1. c. 10. fortasse dictum ab השול *escol bacca*. *Avena herba* haud tritico dissimilis, & foliis, & culmo, item fistula, & calamus, denique stipula frugem non habens; hinc Maro Georg. 1. 153. *Steriles dominantur avenæ*. Profecto *avena* profluxit ex Orientali אביב *aviv spica mutica*, *culmus*, & אב *ev virens*: Adde quod אבוב *abub* Chaldaicum definiatur a quibusdam *fistula ex novarum frugum calamo confecta*, & *Arabicum Anbubo sic interpretantur arabice docti*, *ut sit primum culmi*, *sive calami internodium*, *quod est inter binos quosque nodos*; *dein ut sint etiam fistula*, *quippe quæ ex illo internodio conficitur*. Mazochium adi apud Vossium in voce *Subulo*. *Tibia* sive sit os cruris in animali, sive sit instrumentum musicum venit ex ipso שבול *sibbul* Chaldaico, Hebraice vero סבלת *spica*, seu *culmus spicae*, & in cognatis lignis *tubus*, *ductus*, *alveus*; conversa tantummodo *S* in *T*, quod haud insolens est. *Arinca* vocabulum gallicum, quod denotat quoddam frumenti genus, de quo ita Plin. l. XVIII. c. 8. loquens de frumenti variis generibus: *Arinca Galliarum propria*, *copiosa & Italiae est*. *Aegypto autem ac Syriæ*, *Ciliciæque & Asiæ*, *ac Graeciæ peculiares zea*, *olyra*, *tiphe*. Plane *arinca* alludit ad Hebræum ירק *jarac* seu *iaroc olus*, *virens herba*.

Brance: istud vocabulum desideratur apud Lexicographos. Plinius XVIII. c. VII. *Galliæ quoque suum genus farris dedere*, *quod illic brance vocant*, *apud nos Sandalum*. Venit vero ab Hebræo בר *bar frumentum*, unde dictum quoque est *far* uti advertere Eruditi. Quam originationem τοῦ *brance*, & gallice *Urank* non venisse in mentem Bocharto in judicio Antonii Gosselini veterum Gallorum historiæ ad nobilissimum Brieuxium, quod additum Tom. 2. Geogr. S. 1178. admodum miror; quandoquidem ibi multa vocabula Gallica, & Britannica ex Hebræo, & Chaldæo arcessit, quae pleraque sibi respondent. Ὄμπνη sunt qui interpretantur *cereales fructus*, eo quod illorum usus nobis sit causa τοῦ ἀμπνεῖν scilicet *spirandi*, & *vivendi*. Apud

Apud Lycophronem occurrit pro *frumento*. Vide H. Stephanum. Plane omnino falsum etymon ἀπὸ τῦ ἀμπνεῖν, sed est ab אביב *abib spica*, *arista* & אב unde Chaldaice אבא *ibba*, & אנבא *inba virens*, & *fructus recens*. *Ador far*, seu frumenti genus dictum ab חטה *ata triticum* T in D versa. Ἄστυλις quod exponitur *lactuca* alludit ad Hebraicum חציר *astir foenum*, *gramen*, *porrum*. Κάνωπον fertur esse *flos sambuci*; videtur esse ex כנה *cana planta*, & אב *eb virens*, unde fortasse venit quoque κάνναβις. Κάκτος *spinosa quædam planta* dicta ab חדק *cedec spina*. *Celastrus* græce κηλάστρος arbor quædam inter agrestes a Theophrasto hist. pl. l. 1. c. 15. numerata; videtur autem accedere Hebræo חורש *cores*, & Chaldaice *corest* addito ת de more, quod exponitur *saltus*, *silva*, *virgultum densum*. Κηλάστραι vero, quae Hesychio sunt etiam σκαφίδες, ἀγγεῖα ποιμενικά dictæ ab חרש *cores*, & addito pariter ת *cerest*, alternante insuper *R*, *cerastrae*, seu κηλάστραι, quod quærebamus; nam apposite חרש *testa*, seu *vas testaceum* exponitur. *Cossia* vox barbara, quæ exponitur *fœnisecium* venit a גז *ges herba secta*, & *fœnisecium* ipsum, quandoquidem venit ex גזז *gazaz resecuit*, *abscidit*.

Χόρτος *fenum*, & aliquando *herba virens* profectum ex Hebræo חציר *catir* per metathesin, quod exponitur *fenum*, *gramen*. *Cynae* arbores. Plinius l. XII. c. XI. ait: *Arabiæ arbores, ex quibus vestes faciant, cynas vocari, folio palmæ simili*. Igitur nomen arabicum, orientale. Sane Hebræis exstat כנה *planta*, *surculus*, unde sine dubio descendisse reor. Κυρήβια *acera glumæ hordei*, & *fabarum cortices*; fortasse conflata vox ex עור *cur gluma*, & אביב *abib spica*, *arista*, *culmus*. *Dabula* palmæ genus. Hinc Plinius l. XIII. c. 4. *In Arabia languide dulces traduntur esse palmæ: quanquam Juba apud Scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant dabulan*. Porro *dabula* facta ex דבש *debas palma*, *dactylus*. *Ervum*, græce ὄροβος venit ab אנבא *inba fructus recens*, seu *virens* N iu *R* abeunte. *Faba factum ab antiquo haba* H in F *transeunte, ut scribunt Velius Longus, & Terentius Scaurus uterque lib. de orthogr. At contra* F *sæpe mutatum in* H *quomodo ex* fordeum, fircus, foedus, *facta* hordeum, hircus, hœdus *ut ex Varrone, & eodem Velio scimus*. Hæc Vossius. Quæ sane verissima. Nam *faba*, & prius *haba* ἀμέσως derivatur ex Orientali אביב *habib culmus*, *spica mutica*, *arista*, & אב *heb virens*, *viror*, & *fructus recens*: quod etymon quanti faciundum, cordatus vir statuat. *Gossipium* fortasse ex גזז *gazaz resecuit abscidit*, & גז *gez lana secta*, *vellus*, & אביב *abib culmus*, *arista*, & אב *virens*; unde nimirum ex eodem אביב factum βομβάξ. Ἴφυον Suidæ est species oleris agrestis, apud Theophrastum hist. pl. l. 6. c. 7. ἴφυον numeratur inter flores æstivos. Equidem omnino factum ex אביב *abib culmus*, *arista*, seu potius ex אב *eb*, seu אבא *inba* Chaldaico *virens*, *viror*. Ἰσχάς *ficus arida*, & *recens*, apud veteres etiam dicebatur de *oleis*; icciro venit ab השכול *escol bacca*, & *botrus*.

Olus factum ab ipso Hebræo אור *or*, unde אורות *orot olera* tantum *R* in *L* versa, ab ipso אור *or* alternante *R* venit ὄλυρα species seminis mediae inter frumentum, & hordeum naturae. *Lupinus* non aliunde fluxit nisi ex

לבן

לבן *laban albus*, unde לבנה *lebona thus*, tantum *B* in *P* affinem versa. Ὄμφαξ, unde *omphacius* apud Latinos, non solum *uva acerba*, verum etiam *oliva*, necnon *lauri baccæ*, omnesque omnium plantarum immaturi & acerbi adhuc, & crudi fructus ita appellantur. Profecto videtur fluxisse ex אביב *abib* seu אבא *ibba fructus recens*, *virens*, quod haud abludit ab ea notione, quae subjecta voci ὄμφαξ. *Oetum* herba quaedam, quae in Aegypto provenit, Plinius l. XXI. c. 15. *Mandunt & oetum*, *cui pauca folia*, *minimaque*, *verum radix magna*. Duci potest ab עץ *et arbor*, & *omnis frutex*. Οὔιγγον herba Aegyptiaca, fortasse dicta vel ab אגמון *juncus* מ extrito, vel ab אחו, quod exponitur *ulva*, *carectum*, seu *gramen*.

CAPUT II.

OPium, σάμαξ, samera, sari, sedum, gumon, squilla, σίλυβον, ὕσπον, συκῆ, τίφη, vibones, siliqua, pavera, χεδροπά, ζάλεια, ζέλκια, τρύγη, zura *hebrææ originis sunt*. *Notatur Martinius*. Topiæ, tuber, tumeo, volema, glans, galla, gith, napus, planta, caulis, δίθη, ἐρμαὶ, glastum, ἰσάτις, ὄραμνος, ramus, aroma, arum *ab Orientalibus plagis repetenda*. Χέρσος, arvum, tesqua, πέδον, sylva, ἄλσος, ὕλη, ὕρον, ὕθριον, τιθαιβάσσω, forestum, χῶρος, saltus, χορὸς, fundus, feudum, βῶλος, ὕδας, γλῶχες, χόνδρος, μόσχος, *Arsius ab eodem Hebræo fonte orta*.

OPium venire potest ab אב *eb virens*, *viror*, & אביב *culmus*, *arista virens*; *B* in *P* versa. Σάμαξ *frutex*, *butomum* fit a צמח *semac germen*. *Samera semen ulmi* non aliunde fluxit, nisi ab Hebræo מזרע *misra* seu *misera* per metathesin, *semen*, *sementis*. *Sari* genus fruticis de quo Plin. l. XIII. c. 23. forte dictum a זרע *sara sevit*, *seminavit*. *Sarmentum* videtur oriri ex צמרת *surculus*, *calamus*, sive ab זמרת *palmes*, *surculus*. *Sedum* Graecis ἀείζωον *sempervivum* Latinis dictum a ציץ *sitz virens flos*, seu *effloruit*. *Gumon* vox barbara, de qua consule Du-Fresnium, *alga*, ducitur ex גמא *gome juncus*, *scirpus*. *Squilla*, σκίλλα, *scilla* genus bulborum videntur fluxisse ex אשכול *escol bacca*. Σίλυβον *silybum* spinæ genus fieri potuit ex סרפד *sirpad R* in *L*, & *P* in *B* versis, quod etiam spinæ genus. Ὕσπον *vitex*, & *vitis* veniunt ab עץ *vetz arbor*, *frutex*. Συκῆ *ficus* ab אשכול *escol botrus*, *bacca*. Τίφη *frumentum* facile venire potest ab אבא *hibba*, & אב *virens*, *fructus recens*, & אביב *spica*, *arista*.

Vibones sunt flores herbæ Britannicæ, de quibus ita Plinius l. XXV. c. 3. *Reperta auxilio est herba*, *quæ vocatur Britannica* . . . . . . *folia habet oblonga nigra*, *radicem nigram*. *Succus ejus exprimitur & ex radice*. *Florem vibones vocant*, *qui collectus &c.* *Vibones* itaque cum sint flores ἀμέσως dicti ab אבא *hiba virens*, *viror*. *Siliqua* cum sit λοβὸς *involucrum grani frumentacei*,

tacei, ſeu *leguminum* omnino venit metatheſis beneficio ab Orientali צקלון *ſiqlon gluma*, ſeu *folliculus* grani frumentacei. *Pavera* a פרודות *perudot grana*. Χεϱϑὴ hordeum venit a. חנטה *Chintha* ex. חטה *triticum*, *N* in *R* verſa, ex Radice חנט *canat protulit*, *edidit*.

Ζάλεια vocabatur a nonnullis *laurus Alexandrina* teſte Dioſcor. l.IV. cap. 147. Porro fluxit a זרח *zarah R* in ל verſa, unde אזרח, quod *laurum* plerique interpretantur. Et ſane non injuria, idque confirmatur ex origine noſtra. Quare vocem Hebræam haud ſecus interpretari licet. Ζέλκια ſunt *olera* Phrygibus. Videntur autem dicta ab זרעים *zerecim legumina*, & זרע *zerag ſemen*, *ſativum*, & זרע *zarag ſevit*, *ſeminavit*. Τρύγη *triticum* poſſet venire ab ipſo זרע *ſemen ſatum*. *Zura* quid ſit docet Plinius l. 24. c. XIII. *Paliurus quoque ſpinae genus eſt. Semen ejus Afri zuram vocant*. Hinc duo colligas nimirum *zuram* ſignificare *ſemen*, & eſſe vocabulum africanum, phœnicium. Ad rem veriloquium eſt ab Orientali voce זרע *zera ſemen*, quod eſt ipſum punicum *zura*. Heic quoque παρέργως advertendum punicum ſermonem vix, aut ne vix quidem diſcrepare ab Hebræo. Hinc infeliciter Martinius in ſuo Lexico ut ejus originem repetat, neſcit, quo ſe vertat. ubi habet: *Zura ſemen paliuri lingua Afrorum. Id leve eſt, & pingue λινῶδες Dioſcor.*, *ut legit Dodonæus. In editione Baſil. eſt* λιπαρὸν, καὶ λιγνυῶδες pingue & fuliginoſum. *An vero potius ſcripſit Zuta* Arab. זית eſt oleum. *Radix habet vim* τῦ διαφορεῖν, *at* Sura *rectum eſſe potuit, quod diſcedere faciat tumores. Sed quia eſt pungentis fruticis ſemen ſit potius* צורה *tanquam* ϑλιβὸν *aliquam dicas*. Hæc Martinius, qui noſtram ſi originem edoctus eſſet, haud pro *Zura* ſubrogaſſet *Zutam*; neque alias hujus generis origines nobis obtrudiſſet.

Topiæ genus quoddam ficuum apud Columellam l. 1. c. 10. Haud mihi dubium, quin ab Oriente fluxerit; potiſſimum cum apud alios auctores haud occurrat. Porro *topiæ* dictæ ab Hebræo תפוח *tapuah pomum* tum fructus tum arbor. Equidem pomorum nomine comprehenduntur etiam aliquando ficus, ſicuti ex Plinio, aliiſque diſcere licet. Hinc Plinius l. XV. c. 17. uſus eſt. *Tuber ſive pro callo terræ, ſive pro humani corporis tumore ſumatur* a tumeo *fit*, *ut* a facio faber, *ab* humeo huber *ſeu* uber, *a* glabo glaber; *& ſimilia non pauca*: ait Voſſius. Verum hæc mihi videntur canoræ nugæ. Nam & *tuber* h. e. *tumor*, & *tumeo* veniunt ab Orientali צבה *taba*, (ſicuti ex צור *Tirus* evaſit) *intumuit*, & צב *tab tumidum*, *tumens*; unde prius factum *tuber*, poſtea B in M verſa (quod eſt familiare) ortum eſt *tumeo*. Jam vero *Tuber* ex malorum genere ſive arbor, ſive fructus ab Oriente profecta. Etenim tuber ex ipſa facie, ſeu nomine vox Orientalis. Hinc Plinius l. XV. c. XIV. ait: *Malorum plura ſunt genera . . . . . Medica Græci vocant patriæ nomine. Aeque peregrinæ ſunt ziziphа, & tuberes quæ & ipſa non pridem venere in Italiam, hæc ex Africa, illa ex Syria*. Igitur ex Plinio patet eſſe peregrinum etiam, uti opinor, quod attinet ad nomen. Sane *tuber* fluxit ex תפוח *tapuah malus*, *malum*, ſeu *pomum*, ſcilicet & *fructus*, & *arbor*. *Zizipha*, de quibus Plinius ſupra; videntur dicta ex ציץ *ziz floruit*, *efflo-*

effloruit , & אבא *iba* fructus recens , seu virens . *Volema pira* ita nuncupata ab Orientali אנבא *vineba fructus*, abeunte א in *V* , נ in *L* , ב in *M* affinem.

Glans nonnullis κατὰ μετάθεσιν ab ἄκυλος *factum videtur* , *unde & Belgicum* akel *sive* eekel . Ἄκυλος est glans iligna , ut *indicat Theophrastus l. III. histor. plantarum capite VI. Sed potius est Doricum* γάλανος *pro* βάλανος , *ut* γλέφαρα *pro* βλέφαρα . *A* γάλανος *autem* glans *fuerit* κατὰ συγκοπήν . Hactenus Vossius . Verum mutatio τῆ β in G admodum dura est . Contra *glans*, & *galla* ἀμέσως fiunt ab Hebræo גר *gar* , seu גרגר *gargar* . Hinc *galla* dictum vinum , non quia , uti Vossius effutiit, hoc vinum esset asperum instar gallæ , sed quia , sicuti Orientalibus potissimum , ita & Veteribus vinum conficeretur ex granis uti malogranatorum , aliisque fructibus . *Gith* , quod est μελάνθιον , seu *nigella* dictum ab ipso קצח *getah nigella* , *melanthion* , sicuti exponunt . *Napus* fortasse venit ab אנבא Chaldaico ex אב *virens* , & אביב *virens* , *spica* , *culmus* . *Planta* a פרת *parat* ex פרה *fruticavit* unde פרי *fructus* & פארה *ramus* . *Caulis* καυλός Græcis dictus ab Hebræo גבעול *givol culmus* , seu potius ipse *caulis* dumtaxat *G* in *C* commutata . Διθὴ exponitur *oliva major* venit ab hebraico זית *zait* , seu *zet* , atque *Z* in *D* versa, unde διθή. Ἑρμαῖ *stolones* descendunt ab אמיר *amir ramus* per metathesin . *Glastum* , seu potius *gastum* , vel *guastum* fit ab Orientali חצרת *castaret lactuca* , quae Arabice חסא teste Bocharto Hieroz. p. 605. unde & ἰσάτις venit . Ὄρμενος *frons* , *ramulus* exstat per metathesin ab אמיר *amir ramus* . Idcirco ab ipso אמיר *amir* evasit ipsa vox *ramus*.

Haud importunum quoque autumo heic mentionem facere de voce *aroma*, κῦφι , aliisque id genus vocibus . Itaque ἄρωμα frustra ducitur ab ἀρόω *aro* , vel ἀρσῶ , vel ἄρω , aliisque nugamentis , quæ si tibi otium erit , apud Vossium legere poteris ; nam ἀμέσως venit ab Oriente , unde & ipsa aromata . Porro ἄρωμα factum ex הריח emerserit ἀρόω , unde postea *aroma*. Ab ipso הריח *N* præmisso fortasse fruticavit νάρτη genus plantæ odoræ . *Moschus* Græcis μόσχος pretiosissimum odoris genus fluxit ab Hebræo מזכיר, quod a זכר *sacar odoratus est* , & *secer odor*. *Cyphi* κῦφι genus thymiamatis , seu suffimenti , sive ut Facciolatus ait , compositio thymiamatis dicata Diis, qua Aegyptii Sacerdotes uterentur ; hinc a Galeno ἱερατικὸν nuncupatur. Decurtatum κῦφι ex כפר *caphar expiavit* , & *cophar cyprus arbor odora* . *Arum* ἄρον forte dictum ab הריח *odoratus* est .

Χέρσος , seu χέῤῥος *terra* , & χυρῶς adjective positum est *incultus*, *asper*, *desertus* ἀμέσως venit ab חורש *cores silva* , *saltus* . Hinc prius fuerit χέρσος , deindeque χέῤῥος . Id manifestum fit ex voce Hebræa חורש *cores* , unde fluxit . *Arvum* unde suos natales repetit , ita Mazochius aperire conatus est . *Arvum a* חרבה haraba , *quod in forma constructa* , *aut cum suffixis fit disyllabum* , *unde* (*excidente gutturali*) *fit* Arbum , *sive* Arvum . *Illud autem Hebræis notat non sicca loca* , *sed* μεμονωμένα *id est sola loca* . *Hinc arvis nomen repertum fuit* , *quia horum solitudo urbium frequentiæ opponitur* . Vulgo ducunt ab *aro* , sed falsum ; neque ab ἄρος . Porro *arvum* ἀμέσως fluxit ab Orien-

Orientali ערבה *araba* , seu *arava locus campestris* , *campestria* , seu *ipsum arvum* . *Tesqua* , seu *tesca* , juxta Verrium *loca augurio designata* , vel *loca consecrata ad augurandum* , uti apud Festum Opilius Aurelius tradidit . Plerumque etiam sunt *loca derelicta* , *inculta* . Porro quod attinet ad priorem significationem venit ab תחש *tacas* ex נחש *nicas auguratus est*, & *augurium* ; quod vero spectat ad alteram significationem fit a שקק *sacac* , unde ממשק *locus derelictus* . Πέδον *solum* , *campus* , sine ullo dubio est ab Orientali פדן *padan* , quod Arabice est *ager* , *campus* ; Unde & fortasse venit *oppidum* . *Sylva* ab אשל *nemus* , *sylva* principe littera א detruncata , unde scilicet ex אשל manavit quoque ἄλσος . Idque etymon verissimum . Hinc frustra Vossius aliique Eruditi deducere conantur ex graeco ὕλη . Contra gr. ὕλη venit ab יער *iaar* idem, tantummodo *R* in *L* versa, quod familiare admodum est . At quoniam sicut latinum *silva* , ita graecum ὕλη denotat etiam *arbores* , *frutices* , *herbas* , idcirco forte rectius fit ab חורש *ores* , seu *yres* , quod non solum designat *silvam* , verum etiam *virgultum* , versa *R*, uti modo dictum habui , in *L* , atque ו in *υ* ypsilon Græcorum , quod sexcentis in locis id demonstrasse memini . Itaque cum mentionem fecerimus de hebraico יער , advertendum reor inde fluxisse Hesychianum ὕρον *examen apum*, & ὕριον *favus* ; nam vox Orientalis יער non modo *silvam* significat , sed etiam *favum* . Τιθαιβάσσω *mel conficio* ; *mellifico* dubio procul venit ab hebræo דבש *debes mel* , *D* in *T* versa , atque geminata ; quod adeo verum , ut monitore haud egeat . *Forestum silva* Italis *foresta* vox Longobardis usitata , videtur descendisse ex Orientali חורש *hores*, seu *fores*, atque Chaldaico more *forest* , *silva* ; quod vero *ch* mutetur in *f*, vide quæ Vossius in de permutatione litterarum habet . Nisi mavis a פרדס *fardes hortus*. *Saltus* si veteres audimus χυρίως notat *locum pascuum* , & *silvosum* . Hinc haud immerito duci potest ab אשל *nemus* , *silva* . Χῶρος *locus* , *sedes* , *ager* , *prædium* ortum vel a כר *car pascuum* , vel a ככר *cicar massa* , *planities* . Χορὸς vero *chorus* , *chorea* , *tripudium* nempe tum actus saltationis , tum saltantium cœtus venit a כרר *Charar* , seu כרכר *circer saltavit* . *Fundus possessio rustica* , sive *ager* , missis aliorum ψευδετύμοις , recta videtur proficisci ex Orientali פדן *fadan* , quod apud Arabas denotat *agrum* , *campum* . Hinc orta vox *feudum* . Βῶλος *gleba* , *massa* , & *ager* forte venit a בלל *confudit* , *miscuit* , unde בליל *belil farrago* , *pabulum* . Οὖδας *solum* , *pavimentum* factum ab יציע *iatziah stratum* , *substructio* , & ipsum *solum* , צ in *D* versa.

Γλωχὶν *angulus* , *acies* , *cuspis* , & γλῶχες sunt *spicæ* , *aristæ* . Forte fluxit ex Hebraeo גרש *geres* , *far contusum* secundum Interpretes LXX . Secundum vero F. Junium in Elogio linguæ Hebrææ est *spica virens* . Γλωχὶν vero ab גליל *limes* , *confinium* . Χόνδρος *granum* haud inepte derivari potest ex Chaldaico חנטה *chinta* pro חטה *triticum* , unde *chontnos* , & postea *chondros* .

Arsius lucus . Hinc ait Plutarchus in Publicola . Contra Romanas copias eduxerunt Consules , sacrisque in locis consederunt , quorum hunc *Arsium lucum* , alterum *Aesuvium* appellant . Porro *Arsius* dictus ab חורש *ores silva* , *Æsuvius* vero vel ab אשל , vel אשרה *asera lucus* .

EXERCITATIO VII.

CAPUT I.

*A*Strum , aſter , ſtella , *Perſicum* ſter *ab Hebræis hauſere . Falſus eſt Andreas Beyerus* . Τείρεα *eamdem originem* , *atque* aſtrum *imbibunt* . Μαῖρα , μαῖρω *a* מאור . *Hinc & Mæulus* . Ἄησος , Orion , Ἠώς , Jugulæ *orientalis domus ſunt* . Σαλάμβη *unde fluxit ſecundum Heſychium* , *& Etymologum* . *Genuina ejus origo inveſtigatur* . Τέρας , *&* ἱερας *Heſychianum eodem fonte profecta* , *nempe Hebraico* . Ἀθρέω , ὄπτομαι , ὄναρ , ὕπαρ , λάω , ſervo , μέρδω , ſpecio , σπῶ , ὄσσομαι , oſcines , θεάω , τηρέω , tueor , templor , video *ab Hebræis repetenda* . Omen *unde ſecundum Grammaticos veteres* , *Becmanum* , *& Mazochium* . *Vera origo aſſignatur* . Augur , γόης , αὐγή , δέλετρον , laterna , ἀμαρύσσω , ſplendeo , lux , λάμπω , σέλας , ἦμαρ , σπινθήρ , jubar , μαρμαίρω , nitor , μορμῶ , αὔω , nævus *ab Oriente manaſſe demonſtrabitur* . Cæcus . *Grammaticorum nugæ de ejus etymo* . *Venit ab* כהה . *Quid iſta vox* κυρίως *ſignificat* . *Notatur Calmetus* . Τυφλὸς , κικυμώσσειν , ἀβρότη , δείλη , λύγη , λιμβρὸς , ἀμορβὸς , σκότος , ὀψὲ , σκιὰ *domo Orientis ſunt* . Dormio , ἰαύω , vigilo , ἐγείρω , γρηγορέω , ἐρευνάω , ὀτρύνω , κακανεῖν *Hebræi peculii eſſe oſtendetur* .

*A*Strum , *aſter* , *ſtella* ab uno , eodemque fonte ducere ratus eſt Voſſius . Porro in voce *aſtrum* , ubi aliorum etyma retulerit , ſubdit , *ſed veram nominis cauſam in Stella adducemus* , *quæ Perſis ſter* . Cum vero diſputat de origine ſtellæ , hæc habet : *Sed quis dubitet* , ἀστὴρ *ab Orientibus eſse acceptum cum Perſis* ſtella *dicatur* ſter : *unde* Eſther *nomen habet : ut ad Euſebium Scaliger monet ?* Zoroaſtres : *quod* ἀστροθύτην *hoc eſt* aſtrorum Sacerdotem *notat* ; *ut Dinon in quinto hiſtoriarum* , *& ex eo Diogenes Laertius ſcripſit* . *Ac ſuſpicor etiam hinc eſſe* Aſtarte : *quam Lunam eſſe cenſet Lucianus de dea Syria* . Hactenus Voſſius . Verum antequam rem aggrediamur, operæ pretium eſt advertere , quod pro ἀστροθύτης *Sacerdos aſtrorum* , legendum ἀστροθεάτης *aſtrorum ſpectator* , uti σοφῶς monuere Eruditi , atque ante alios Bochartus Tom. II. Geogr. S. l. IV. c. 1. col. 206. ſolide id enucleavit , quem videas rogo . Verum licet Eruditi viam oſtenderint , attamen nemo vocis Orientalis originem in medium produxit . Porro Perſicum *ſter* Græcum ἀστὴρ , & Latinum *ſtella* deſcendunt ex Hebræo , ſeu potius Orientali צהר *tzoar lumen* , *ſplendor* ; unde צהרים *meridies* . Id adeo verum, ut Chaldæis צהר *lucere* deſignet , cui ſimile זהר idem . Hoc veroſimilius puto , quam illud , quod affert Andreas Beyerus in additamentis ad caput II. Seldeni in Syntag. de Diis Syris ; ubi ait : *Eſteris quod Perſicum* ; *nam* שתארה *ſtarch* , *vel ſita-*

tareh ſtella *vel* aſtrum *eſt*, (*ut videtur a Græcorum* ἄϛρον *acceptum*, *vid. Urſin. de Zoroaſt. ſect.* 4. *p.* 23.) *ubi* veriſimile eſſe, *ait*, Græcos, Latinos, ipſoſque Germanos nomen hoc aſtri ein ſtern a Perſis, & Chaldæis *vid. Gravii elementa ling. Perſ. p.* 91. hos vero omnes ab Hebræis, eorumque סתר accepiſſe licet mediante vel Saturno, ſtella, quandoque latente, habent enim & ſtellæ præſertim planetæ ſua latibula; vel Aſtarte Dea, propterea, ut videtur vultu triſti, & capite obnupto culta, ſed hinc derivata, *& transfertur ad animum*. Hæc ille, ſed falſus eſt. Nam *aſtrum*, & *ſtella* nomen genericum nullo modo pertinet ad *Saturnum ſtellam*, vel *Aſtartem*. Denique, quod *ſter*, ſeu *aſtrum* venit a צהר *ſplendor*, *lumen*, ne id mirum videatur; nam etiam אור *or*, quod denotat *lucem*, ἥλιος hoc eſt *ſol* vertitur apud LXX, Job cap. XXXI. v. 26. unde מאור Gen. I. dicitur de *Luna*, & *Sole*. Hinc apparet falſum quoque Perſicum *ſter* acceptum a Graecorum ἄϛρον, ſed ab Oriente, neque vero a סתר *latere*.

Τείρεα apud Græcos dicuntur *aſtra*. Homer. Il. 6. Euſt. ducit παρὰ τὸ τείρειν, eo quod πολλοὶ ἐκ τῶν ἀϛέρων καταπονοῦνται, γινόμενοι ἀϛρόβλητοι. Sed has eſſe putas Græculorum fabellas quis non videt? Etenim ἀμέσως dicta a צהר *toar*, ſeu *tzear lumen*, *ſplendor*, unde Chaldæis צהר *lucere*, uti ſupra monuimus. Μαῖρα exponitur *canicula*, *æſtus præſentiſſimus*, & *ſidus*: at Heſychio eſt *Luna* a μαίρω *luceo*. Ad rem citra dubium tum μαίρω *luceo*, tum μαῖρα veniunt ab Hebræo מאור *maor lumen*, *luminare*. Hinc Geneſ. I. v. 16. ita vocantur *Sol*, & *Luna*, nempe nomine τοῦ מאור inſigniuntur. Sane ipſum מאור eſt ab אור *lucere*, *lucidum eſſe*, atque *accendere*, unde & אור *ur ignis*. Ex eodem מאור *maor*, & conſtructe *meor lumen*, *luminare* ab אור *or lucere*, *lucidum eſſe*, & *accendere*, unde אור *ignis*, facile dictum *Mæulus* nomen Veſuvii, ni fallor, haud ſecus, ac *Veſuvius*, ſive *Veſvius* dictus ab אש *es ignis*. Λῆϛος, ſi Heſychio fidem habemus, eſt *ſtella ſplendida in ſpina Scorpionis*. Videtur per metatheſin fieri ex מזל *mazal ſidus*, eliſo M, quippe quod eſt formativum, unde מזלות *mazolot planetæ*, *ſigna cæleſtia*. *Orion*, cum ſit ſidus, non aliunde peperit ſibi nomen, quam ab אור *or lucere*, *lucidum eſſe*, unde מאור *lumen*, *luminare*, ſicuti appellatur I. Geneſeos *Sol*, & *Luna*, uti ſupra expoſuimus. Hinc vides quo recidunt fabulæ; atque unde ſolvantur. Ἠώς *aurora*, *dies* omnino fluxit ab Orientali האור *eor lux*, quam ſecum fert aurora, *R* in *S* verſa. Σαλάμβη *feneſtra*, quia σέλας βαίνει δι᾽ αὐτῆς. Ita Heſychius, ita Etymologus. At iſta vox Orientalis eſt, atque venit ex שנב *ſenab*, ſeu אשנב *feneſtra*, *N* in *L* converſa. Τέρας *ſignum*, & *portentum*, *oſtentum*, dictum a תורה ex הורה *docuit*, *monuit*, *præmonuit*, vel potius a תראה ex ראה *vidit*. Id magis, magiſque roboratur ex eo, quod mox præſtabimus. Apud Heſychium enim non ſolum exſtat τέρας, verum etiam ἴέρας, quod ipſe reddit σημεῖον. Ἀθρέω *cerno*, *intueor* fit ab התור *atur* Chaldaice ex שור *contemplari*, *ſpectare*. Ὄπτομαι *video*, ſive ὀπτῶ inuſitatum venit ab הביט *ibbit intuitus eſt*, verſa *B* in *P*.

Sirius, σείριος, ſtella in ore Caniculæ, *ut ait Servius*. *Hephæſtioni Thebæo omnibuſque Aegyptiis* Σῶθις *dicitur*. *Sæpe* Sirius *pro* toto ſidere caniculæ

a Græcis accipitur . . . . *Ponitur quoque pro* Sole ipso , *quomodo usurpat Lycophron in Cassandra* , *imo & Maro* IV. G.

Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos

Ardebat Cœlo ,

Imo Ibycus Rheginus quævis astra σείρια *nominavit*. Hesychius. Σείριος , ὁ Ἀρχίλοχος τὸν ἥλιον , ὁ δὲ Ἴβυκος πάντα τὰ ἄστρα . *Ob hanc vocis ambiguitatem Sophocles* ἐπιθετικῶς *dixit* , Σειρίου κυνὸς δίκην . *Putant esse a* σειριάω , *quod interpretantur* , λάμπειν , ἀστράπτειν . *Sed* σειριᾶν *potius est a* Σείριος . *Notat enim* Solis , Siderumque instar lucere . . . . *Quod vero* canicula , stellave alia , *aut* Sol ipse Sirius *dicitur*, *id est a Græco* σείρω *hoc est* exsicco , & Sol σείρ *dicitur* , *teste Suida* : nisi malis κατὰ μετάθεσιν *esse ab* חרס , *id est* , Sol . Σείρω (*uti &* ζέειν) *est ab Hebræo* זור *hoc est* efferbuit , tumuit. *Hæc sane magis placent* , *quam &c.* Ita Vossius . At Cl. Mazochius rem secus aggreditur . *Sirius* , *sicuti & Gr.* ΣΕΙ'ΡΙΟΣ *est sive stella in ore caniculæ* , *sive ipsa canicula* , *& interdum Sol* ; *imo Ibycus apud Hesychium* πάντα τὰ ἄστρα *ejus vocis ambitu contineri significat* . *Idque verum* . *Est enim a Chaldæo* סהרא sihara , *quod in Targumim modo pro* Sole , *modo pro* Luna , *modo pro* Stella γενικῶς *usurpatur* . *Nisi quod Chaldæi vocabuli aspiratio de more absorpta sit* , *ut* τὸ sihara , *a nostris* sira *contractum fuerit* , *unde* Sirius . Hæc Cl. Auctor . Verum alia via ineunda videtur . Porro autem haud probe ducitur apud Vossium a חרס *Sol* ; etenim cum Archilochus *Solem* , Ibycus vero πάντα τὰ ἄστρα hoc est quævis astra interpretetur , satius arbitror hanc γενικὴν ejus notionem fuisse , atque etiam pro *Sole* designando adhibuisse Veteres . Id ex origine Hebræa suadebitur . Sane fluxit ex Orientali צהר *zoar* , seu *soar lumen* , unde Chaldæis צהר *zear lucere* ; de cujus vocis significatione supra sat dictum . Voci צהר haud dissimile זהר *zaar splenduit* , *fulsit* , & זהר *splendor* . Nam צ , & ז ejusdem fere indolis . Hanc revera esse originem τοῦ Σειρίου , manifeste arguitur ex σειριάω , quod , cum λάμπειν , ἀστράπτειν interpretentur , factum ex צהר , seu זהר *zaar* , vel *saar lucere* , *splendere* , *fulgere* , λάμπειν apud LXX , sicut ex זהר *soar splendor*, *lumen*, λαμπρότης apud eosdem emersit Σείριος . Ad hæc ex זהר *lucere* apud Chaldæos exstat etiam זיהורא scilicet *luna* . Quare vox hebræa propria & generalis *astrorum* audire videtur . O bone videas , isthæc quam belle constant . Quod vero attinet ad Mazochium , ejus originem haud certam autumo , eo quod סהרא *sihara* hac generali significatione recens est , & nupera ; nam Hebræum סהר tantum *rotunditatis* significatione gaudet . Verum , antequam manum de tabula, adjicere præstat Vossium ζέειν , & σείρω deducere ab *Hebræo* זור hoc est *efferbuit* , *tumuit* . At ζέειν venit ab Chaldaico אזה *aza accendi* , *succendi*. Quandoquidem זור numquam significantia τοῦ *effervescere* , & *tumescere* donatum fuisse occurrat ; sed tantum τοῦ *comprimere* πιέζειν & *quassare* , *conterere* , *dissipare* .

Jugulæ fortasse dictum hoc sidus ab עגל *egel vitulus* , seu עגלה *agala plaustrum*. Sane Veteres gaudebant isthac nomenclatura donare signa cœlestia . Hinc *Cancer* , *Capricornus* , *Aries* , *Taurus* , *Hamaxa* , *Arctos* , *Septemtriones* ;

nes: sunt denominationes signorum cœlestium. Ὄναρ *somnium* venit ab הנראה *anira videndum, se exhibuit* ex ראה *vidit*, unde ראי *visio*. Ὕπαρ *visio* dicta ab הפנה *ipna aspicere fecit* ex פנה *pana aspexit*, *respexit*. Λάω *video*, & *fruor*, si quæras ab Grammaticis ejus originem, aqua hæret. Sed recta hoc verbum descendit ab Hebræo ראה *raa* (*R* in *L* conversa) *videre*, & *frui*. Idque videtur rem acu tangere. *Servo* defluit a שור *sur*, seu שרר *contemplatus est*, haud secus, ac Latinum *tueor*, & Italicum *guardare*, quæ non solum notant *aspicere*, *oculis videre*, verum etiam *servare*, hoc est, *custodire*, *defendere*, *prohibere*. Verum princeps hujus vocis notio est τῦ *aspiciendi*, *oculis videndi*. Hinc *servare sidera* ait Maro VI. Æn. Cui haud dissimile illud Jobicum XXXV. 5. שור שחקים hoc est *contemplare nubes*. Denique illud *servare de Cœlo*. Ex hoc intelliges, quam inique Mazochius apud Vossium ducit *servo* a שמר *shamar ejusdem significationis*, uti ipse ait, tantum *M* in *Beth*, sive *V* consonum (quod sæpissime fit) *abeunte*. Nam primum hæc mutatio durissima, secundum, uti supra ostensum, prima significatio τῦ *servo* non est illa *observandi*, & *custodiendi*, quali gaudet verbum שמר. Μέρδω *intueor*, *aspicio* venit a מראת *maret aspectus*, *visio*, a מוראת ex ראה *vidit*, *aspexit*. *Specio placet* esse a σκέπω σκόπω, quod idem notat. Vel Hebræo שקף *vidit*, *spectavit*, unde שקף *adspectus*. Unde & *Græcum* σκέπω. Ita Vossius. Mazochius vero ducit a צפה *tzapa exploravit*. Sed longius abit. Mihi videtur rectius duci ex שזף *sazap intuitus est*, licet haud sperno illam ἀπὸ τῦ שקף. Ab ipso שזף *sazap* ducerem illud σπῦ Herodoti, quod hic auctor tradit significare *oculum* apud Scythas. Ὄσσομαι *video*, & ὄσσος *oculus* descendunt ex חזה *aza*, seu *asa vidit*, unde חוזה *ose videns*. Ὄσσομαι vero *auguror*, atque ὄσσα *augurium* profecta ex נחש *naas augurium N* exciso de more Defectivorum *Pe-Nun*. *Oscines* aves sunt quæ ore canentes faciunt auspicium, iccirco ducuntur ab *ore*, & *cano*. At mihi placet ducere ab נחש *nacasc augurium*, & *nicesc auguratus est*. Θεάομαι seu θεάω *video*, *specto*, *contemplor* fluxit a שור *sur contemplatus est*, atque *S* in *T* versa more Chaldaico תור *tur*. Ab ipso תור *tur* ortum Græcum τηρέω *servo*, *conservo*, *tueor*: Quin imo ipsum Latinum *tueor*. *Templor*, & *templum* venire a תפנה alias demonstratum est. *Video*, & Græcum εἴδεω fluxisse ab Hebræo חזה jam monuit, occupavitque prior ὁ πάνυ Mazochius apud Vossium. *Omen*, *ut Varro scribit l. V. de L. L.* quod ex ore primum elatum est. *Sed prius* osmen *fuit*, *ut ibidem dicitur*: *quomodo* oscines dicimus, quod ore faciunt auspicium. *Festus*: Omen velut oremen, quod fit ore: augurium, quod avibus, aliove modo fit. Hæc apud Vossium, apud quem & Nonius refertur, qui videtur ducere ab *ore*. *Becmanus vero* (subdit Vossius) *mavult esse ab* ענן honen, עננה honena, *quod inter alia notat* omen, κληδονισμὸς, *augurium*. At Mazochius noster aliud etymon non minus acutum excogitavit: ait enim: *Omen si proprie loqui placet*, *hoc distabat a* Monstro, *quod hoc ad* ὁρατὰ (*quæ visu percipiuntur*) *pertineret*, Omen *autem inter* ἀκυστὰ (auditu comprehensa) *cujusmodi voces sunt*, *referretur*. *Cicero in l.* de Divin. 45. Neque vero solum deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam

etiam hominum: quæ vocant Omina. *Ergo voces tantum, si proprie loquimur, sunt in ominum numero. Adstipulatur vox ipsa* Omen, *quippe quod ὁλογράμματως* (totis litteris) *est Hebræum* אמן, *quo modo* Amen, *modo eum* O *in priore syllaba legitur, ut Isai. XXV.* 1. *Ibique* veritatem, & fidelitatem dictorum *notat; & quod disciplina tota auguriorum, omniumque per Tyrrhenos Chananæorum populares inducta primitus in Italiam fuerit: quo minus mirari debemus, si non res tantum, sed & ipsum Hebræum nomen integrum apud augures Italicos manserit*. Ita doctissimus Auctor. Sed age ad rem veniamus. Si verum esset, quod primitus fuerit *osmen*, ducere possemus ab הסמן *asman signare*. Durum puto illud etymon Becmani deducentis ab עוננה. Satius putarem profectum *ominor* ex המעונן, quod ex ipsa radice venit. Denique origo Mazochii sat acuta, & non inelegans. Verum *omen ἀμέσως* profectum ex ipso Hebræo המנחש *amenas Augur* (ex נחש *nies auguratus est*) unde *ominor*. *Augur* mihi videtur recta descendere ex הגה *aga meditari*, & *effari*. Commodum *Augur* prius meditabatur, & servabat aves, Cælum, aliaque signa, atque inde effabatur. Hinc haud recte ex *avibus* ducitur. Servius Petri Danielis ad III. Æn. uti refert Vossius: *Augurium est exquisita Deorum voluntas per consultationem avium, aut signorum; quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus, per augurium a Diis volumus impetratum*. Γόης *præstigiator* factum ex עונן *Gonen* idem, mutata terminatione vocis. Μάγγανον a מעונן *megonen præstigiis utens*. Α'ὐγὴ *splendor*, *lux* factum ab יגה *iagah* ex נגה *naga splenduit*, *noge splendor*. *Splendeo* forsitan venit a שפר *pulcrum esse*, unde vox שפרפרא *aurora*.

Δέλετρον, Latinis *laterna*, seu *fax*. Utitur Athenæus, atque meminit Hesychius, & Eustathius. Plane δέλετρον fit ab תלהט *telaet incendit* ex futuro להט *ardere*, *flammare*, priore ת in *D* abeunte. *Laterna* vero vox latina frustra ducitur a *lateo* apud Vossium, aliosque. Nam ἀμέσως fluxit a להט *laat ardere*, *flammare*. Α'μαρύσσω *splendeo*, *luceo* descendit ex המאור *amaor lumen* ex אור *lucere*, *lucidum esse*. *Lux κατὰ συγκοπὴν ἀπὸ τῆς λύκης dicitur. Nam ut Macrobius scribit l.* 1. *Saturn. cap.* XVII. *veteribus Græcis* lux *dicebatur λύκη, indeque lupus iis λύκος vocatur, quod fere post famem nocturnam observet* tempus antelucanum *ad pecora rapienda. Etiam Heraclides Ponticus in allegoriis Homericis ait* Solem *vocari λυκηγενέτην, quia sit auctor λυκαυγοῦς id est* diluculi. *Jul. Scaliger Exercitat. LXXI. derivat* lux *a λύξ. Et sane etiam in veteribus Lexicis legas Λύξ, lux. Sed puto* lux, lynx *scribendum. Nam & in Cyrilli Glossis reperias Λύξ θηρίον* lingus. *A* luce *est* luceo. *Inde* lucerna. Hactenus Vossius. Quæ si vera sunt, λύκη lux, atque ipsa lux dicta sunt a נגה *noga*, quod idem est, versis *N* in *L*, atque *G* in *C*. *Lychnus λύχνος lucerna* ab ipso נגה *noga splendor*, *lumen*. Σπινθὴρ est *scintilla*. Porro venit ab Hebræo, seu Chaldaico שביב *sebib*, vel שביבא *sebiba*, seu *sebibat scintilla*, *B* in *P* versa, atque א in ה, & dein in ת more constructo abeunte. *Jubar splendor*, sive *lucifer* dictum ab יפע *ipa splendor*, & הופיע *opia*, seu *japah splenduit*, *illuxit*. Μαρμαίρω *resplendeo*, *fulgeo* ex מאור *maur lux*, *lumen*, *splendor* geminata voce, nempe *mar*, *mar*.

H'μαρ

Ἥμαρ, ἡμέρα *dies* recta fluxit ab יום *iom dies*, unde addita terminatione fit ex *iom* ἦμαρ. Λάμπω *luceo*, unde *lampas*, a לפיד *lapid lampas*, *fax* ducitur apud Vossium. Sed mihi sanius videtur descendere ex להב *laab flamma*, unde λάββω, atque priore *B* in *M* versa, λάμπω. Σέλας *splendor* procul dubio fit ex צהר *sear* Chaldaice *lucere*, Hebraice vero צהר *soar splendor*, *lumen*, *R* in *L* versa, unde & *Sol* dictus. *Nitor*, *nitet* venit a נטהר *nitaar* ex טהר *purus fuit*, & *mundities*, *nitor*. Μορμὼ exponitur *mulier horrendæ turpitudinis*, & *monstrosa facie*, *strix*, *larva*. Haud inepte ducitur a מרמה *marme* ex מראה (alternante *M*) *aspectus*, *visio*. Haud secus ac *monstrum* dictum a *monstrando*. Ἄυω *lampo*, *luceo* ab אור *ur*, seu *aur* idem: unde & ἕυω resoluto ו in *αυ*. *Nævus* sive sit *lens faciei*; nam in Glossis Isidori φάκος πρόσωπυ, sive ὑπερσάρκωσις, videtur descendere ex עין *en*, seu *ain* (κατὰ μετάθεσιν) *facies*, *oculus*, *superficies*, *color*.

Cæcus, *quod* careat *visu*, *videtur dictus Isidoro l. X. Martinius*, *quia ignis*, & *fumus maxime visum impediunt*, *conjectat* cæcus, *quod olim* caicus, *esse* a καίω, uro: ut τυφλὸς *a* τύφω *id est* accendo. *Sed ut bene idem agnoscit*, cæci *originatio plane cæca est*. Ait Vossius. Adeo id verum, ut in ejus origine investiganda omnes cæci evaserint. Verum, absit verbo invidia, reor ejus originationem deprehendisse. Porro orta ista vox ex Hebræo כהה *caa* geminata voce, unde fit *cacah*. Vocabulum Hebræum *caligare* redditur; sed fortasse quandoque potius erit *cæcum esse*, seu *cæcutire*. Hinc Deuter. XXXIV. v. 7. לא כהתה עינו, *non caligavit oculus ejus* secundum Vulgatam. At Calmetus hìc ait: *Reddi potest Hebræus*, *oculus ejus non est obscuratus*, *igneus ille oculorum fulgor non remisit*. Ita Gallicus interpres. Attamen haud intelligendum de ejus *fulgore oculorum*, neque, uti alii autumarunt, de *colore*. Porro tantis viris imposuisse LXX certum est; atque huic expositioni ansam dedisse; quippe qui Hebræum verterint: Οὐκ ἠμαυρώθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῦ. Ἀμαυρόω autem exponitur *obscuro*; ideo illi falsi sunt. At LXX ita vertendos reor: *Haud oculi ejus* hoc est *oculorum acies hebetata*, *atque obtusa erat*. Atque hæc præteriens monui. Quod si vero ἀμαυρόω exponitur hoc sensu *obscuro*, quatenus *visus obscuratur*, seu *hebetatur*, haud repugno. Hinc ipse Calmetus Isaiæ cap. XLII. v. 4. docet Hebraicam vocem dici de *oculis infirmis obscure*, *confuseque cernentibus*, *de luce dubia*, *incertaque*, vel prorsus obscura, licet minime vero de absoluta, integraque cæcitate. Ita pariter Job. XVII. 7. Et Geneseos XXVII. v. 1. *caligaverunt oculi ejus*, & *non poterat videre*. Quæ, cum ita sint, non inepta videtur origo, quam de voce *cæcus* in medium attulimus. Τυφλὸς pariter *cæcus* est, atque *obscurus*, *quod non videtur*. Fortasse erit factum ex אפל *ophel caligo*, אפל *aphel caliginosus*, & אפילות *aphilot obscura*, *T* præfixo, sicuti ab אפר τέφρα emersit. Κικυμώσσειν apud Suidam exponitur *cæcutire*, apud Hesychium vero *ægre videre*, *acie oculorum esse hebete*, atque *debili*. Porro vox ista constat ex duabus vocibus Hebraicis nimirum ex κικυ, quod venit ex כהה *cah caligare*, & μώσσειν ex מחזה *maaze aspectus*, seu *meazze vidit*, *aspexit*. Ἀβρότη *nox* videtur fuisse adjectivum, nam dicitur νὺξ ἀβρότη.

τη. Sane profecta hæc lexis ex Orientali עורבת *orebat* per metathesin ex ערב *arab obtenebrari*, *obscurari*, & ערב *ereb vespera*, quæ non solum intelligenda de illa, quæ incipiebat inclinante Sole, verum etiam de illa altera per Occasum Solis noctis partem quoque complectente. Δείλη exponitur *tempus pomeridianum*, & *vespertinum*. Non inconcinne adornatur ejus origo ex צל *tzel umbra* ex צלל *obumbrari*. Jer. VI. 4. dicuntur צללי ערב *umbræ vespertinæ*. Ad rem apud Herodianum l. III. occurrit δείλη ἑσπέρα. Amplius Cant. II. 17. ונסו הצללים & *fugerint umbræ*, quo plane designatur occasus Solis, seu ipsum Δείλη. *Dormio prius* dermio *fuit*, *ut* olus, elus; homo hemo; bonus benus; Apollo Apello &c. *Dermio vero ἀπὸ τῶν δερμάτων*, *id est*, pellibus, *quibus dormientes incubabant*. Ita Vossius. At *dormio* ἀμέσως per metathesin venit ab רדם *radam somno*, seu *sopore corripi*, unde תרדמה *tardema sopor*. Ab hoc *tardema* ortum Græcum δαρθάνω, quod etiam *dormio* denotat.

Ἰάδω *dormio* ab חזה *aza* & Chaldaice *ada stertere*, *somno obrutum esse*. *Vigilo*, & *vigil* fluxere ex העור *egir*, seu *vegir vigilare*, *expergisci* ה in *V*, ע in *G*, & *R* in *L* abeuntibus. Hinc ex ipsa voce העיר *egir* venit græcum ἐγείρω. Denique ex עור *gur*, & geminata voce *gurgur* natum aliud vocabulum nimirum γρηγορέω *vigilo*. Adeo vera mutatio τῦ ע in *G*. Ab ipso העיר *eir* fit quoque ἐρευνάω *indago*, *inquiro*. Et quoniam עור *ur* in hitphael format התעור *itor*, inde ortum græcum ὀτρύνω *incito*, *hortor*. Κακανεῖν exponitur *excitare* apud Plutarch. in Apophth. ubi Lacon. quidam Tyrtæum Poetam ait esse ἀγαθὸν κακανεῖν νέων ψυχὰς scilicet *bonum ad excitandos juvenum animos*. Porro puto vocem Hebræam, atque factam ex קנא *cana*, duplicata principe syllaba. Vox Hebræa sonat *ad zelum movere*, *accendere*, *excitare*. Λύγη, atque ἠλύγη exponitur *obscuritas*, *tenebræ*. Haud inepte duceretur ab עלטה *alatha caligo*, *tenebræ* dumtaxat versa *T* in *C*, sicuti id sollemne est. Exempla suppeditat Vossius in permutatione litterarum; quem adeas oro. Quæ si vera est origo, prius fuit ἠλύγη, unde postea decurtatum est λύγη. Λιμβρὸς *tenebrosus*, *obscurus* est epitheton noctis: quasi λιβηρὸς παρὰ τὴν λιβάδα διὰ τὸ ἔνδροσον τῆς νυκτὸς. Ita Etymologicus. Commodum allata vox venit ex ערב *arab obscurari*, *obtenebrari*. Ab ipso ערב fluxit ὄρφνη, quod idem est. Ab eodem ערב *arab* præposito αμ, seu ἅμα fit ἀμορβὸς *tenebricosus*. Σκότος frustra a Grammaticis ducitur ab ipsa Græcia. Nam omni jure fluxit ex חשכת *escot tenebræ* principe tantum littera truncata. Ὀψὲ *serum* ab נשף *nesep* per metathesin, & truncata *N*, *obscuritas*, *tenebræ*, *crepusculum*. Σκιὰ *umbra*, dicta ab חשכת *escat tenebræ*, abscissa principe littera, ab חשך *asac obscurus fuit*.

CA-

CAPUT II.

*Κ*Ρ*αῦρος*, torreo, *τείρω*, *τέρρω*, *θέρω*, *θέρος*, *et* areo, *ab una Hebræa voce* חרר *exſiſtere evincitur*. Κραμβὸς, *κάρφω*, ſulphur, *θεῖον*, *τήκω ab Oriente orta*. Δίνη, *δινέω*, *ζάλη*, *θύελλα*, lælaps, *ἔρος*, *αὖρα*, Eurus, Rovajo, Japyx, Hypalus, *πέμφιξ*, *φυσάω*, *ἀτμὸς*, *ἆσθμα ab Hebræo ortum ducunt*. Κιῤῥὸς, *κυανὸς*, ruber, *ἀρακτὸν*, ſil *Hebrææ originis ſunt*. Nubes. *Grammaticorum ſomnia*. *Germana origo*. Nebulo, ſubices, imber, *ῥάζω*, *ῥήσσω*, *λάσθη*, ros, *δρόσος*, *ἔρσυ*, madeo, *τέγγω*, amurca *ab Hebræis orta*. *Σμάω*, *σμήχω*, ſarpo, ſcopæ *indidem ducta*. Sudor, *ἰδός*, *ὕδωρ*, *βλύδιον*, *κηλὶς*, ſcorìa, merda, *μίνθη*, *κάκκη*, *χέζω*, crea *Hebrææ radicis exſiſtunt*. *Quidam apud Voſſium hallucinati de origine vocis* muſcerda, ſuccerda, *ceteris*.

*Κ*Ρ*αῦρος ſiccus*, *torridus* omnino deſcendit ex חרר *carar exarſit*, *exuſtus eſt*, *exſiccatus eſt*. Hinc fit תחר *taar*, unde *torreo*, & *torrus*, quod eſt *torridum*, *aridumque*, uti tradit Feſtus. *Inde quoque originem trahit græcum τείρω*, *qua denotat ξηραίνω ſicco*, *arefacio*, *torreo*, quam ſignificationem ſubjectam eſſe *τῷ τείρω* docet Voſſius in *Torreo*, unde ipſe deducit. Porro *τέρσω*, ſeu *τέῤῥω* venit a תחר allato, nam dicitur & *ταρσὸς*, & *ταῤῥὸς*, atque alia id genus idem arguunt. Præterea ſicut *torreo* eſt *igneſcere*, unde *torris δαλὸς*, ſeu ut Æſchylus vocat *κάμαξ πυρίφλεκτος*, ita vox Hebræa notat etiam *ardere*, *uſtulari*, *aduri*, præter quam quod valet *exſiccari*, unde חררים *ſiccitas*, *loca ſicca* & *arida*. Denique *θέρω* apud Voſſium ducitur a דור *dur pyra*, *rogus*. Sed longe petitum hocce etymon. Nam *θέρω*, & *θέρομαι* non ſolum denotat *calefacio*, & *calefio*, uti Voſſius habet, & putavit, ſed etiam *uror*, & *accendor*. Jure venit ab ipſo תחר *taar*, quod idem eſt. Necnon inde etiam ortum *θέρος æſtas*. *Torrens* vero fluvius a נתר *netar fluxit*, *diffluxit* natum. Κραμβὸς *aridus*, *torridus* factum ex orientali חרב *carab ſiccatus fuit*, & *chareb ſiccus*. *Areo* facillime eſt ipſum Hebræum חרר *harar exſiccari*, *areſcere*. Κάρφω *ſicco*, *arefacio*; Hinc Od. V. Euſtath. ver. 398. interpretatur *ξηραίνω*. Inde etiam ortum *καρφαλέος ſiccus*, *aridus*. Quare venit ab Orientali חרב *carab ſiccatus fuit*, unde חרב *careb ſiccus*, *aridus*, ב in φ converſa, uti moris eſt. *Sulphur* haud incommode derivari poteſt a שרף *ſaraph uſſit*, *cremavit*, *incendit*; quandoquidem natura ſua accendi comparatum. Θεῖον *ſulphur* a תחר *taar* ex חרר *arar uſſit*, *combuſſit*. Τήκω *liqueſacio*, *liquo* ſine controverſia ortum ab Hebræo זקק *zacac*, *Z* in *T* verſa, quo nil vulgarius. Δίνη *vortex*, & *turbo aeris*, unde & *δινέω verſor*, *circumagor*, *in orbem moveor* fit a נוד *nud* per metatheſin *moveri*, *agitari*.

Ζάλη *fluctuatio maris*, & *agitatio*, & *turbo*, *procella* vel venit a נזל *nazal fluxit*, ut ſit aqua fluens, & agitata, vel contractum a זלעפה *zala-*

pa turbo, *procella*. Id quod haud displicet, quandoquidem id sæpe accidit. Θύελλα *procella* descendit ex סער *saar turbo*, *procella*, *tempestas*, *S* in *T* conversa, & *R* in *L* abeunte. *Lælaps* canis nomen apud Ovidium Metam. quod denotat *procellam*; nam Græce λαίλαψ est *turbo*, *procella*, *genus venti procellosi*. Hic autem Græcum vocabulum est ab Orientali זלעפה *zalapa*, unde abscissa *Zain* remanet *leapa*; geminataque *L* ἀμέσως fruticat λαίλαψ. Sane vox Hebraica, quam modo attulimus, designat *procellam*. Οὖρος *ventus* venit ab הרוח *aruah ventus*: necnon αὖρα *aura*. Ab ipso הרוח *aruah* fortasse ortum *Eurus*, Εὖρος. Id rectius, quam si ducatur ἀπὸ τῆς ἕω ῥέω, uti Favorinum dixisse apud Agellium l. II. c. XXII. auctor Vossius; vel ἀπὸ τοῦ εὖ ῥέειν scilicet a *bene fluendo*. Necnon ab רוח *ruah ventus* profectum Italicum *Rovajo*, quod est Borealis *ventus*. *Japyx ventus*, qui spirat ab Apulia, quæ *Japygia prius dicebatur*: ut ait Servius in VIII. & XI. *in Æneid*. Hæc Vossius de hujus origine habet. Sed cave putes a Japygia dictum Japyga; nam contra est. *Japyx* vero venit ab הפיח *epiac flavit*, *efflavit*, *spiravit*; vel ab יפח *iapac spiravit*. Ab ipsa voce deducerem *Hypalum* ventum, qui secundum Vossium *sic navigantibus in mari Indico vocatur*; *estque inter favonios*, *sive zephyros*, *certoque anni tempore spirat*. *Nomen Arabicum*, *vel Indicum videtur*. Plinius *l. I. c.* XXIII. *Postea a Syagro*, *Arabiæ Promontorio Patalen favonio*, *quem Hypalum ibi vocant*, *peti certissimum videbatur*. Et post pauca: *Inde vento Hypalo navigant diebus XL. ad primum emporium Indiæ Muzirim*. Ubi duo digna animadversione nimirum esse generaliter ventum, sive favonium, & esse vocem Orientalem. Verum cum non desint, qui putent *esse nomen ab ejus nominis gubernatore*, haud absurde derivabitur ab חובל *hobel*, seu *hybel nauclerus*, *gubernator nauticus*. Πέμφιξ *flatus* per metathesin factum a מפח *maphac exspiratio* ex נפח *flavit*. Φυσάω *inflo*, *sufflo*, & φῦσα *follis*, *flatus* omnino dicta ab נפש *nephes* (*N* truncato de more defectivorum *Pe-Nun*) *anima*, *halitus*, *flatus*, unde in Niphal נפש est *respirare*.

Κιῤῥὸς *gilvus*, *luteus*, *rufus* ἀμέσως fluxit ex חור *cur*, seu *civar albus*; & חור *cavar albescere*, seu *pallescere*. Κυανὸς *color cæruleus* fortasse ab ipso חור *civar*. *Ruber* fortasse venit ab ערב *ereb vespera*, eo quod rubere incipit Cælum cum vesperascit. Α'ρακτὸν *atramenti sutorii genus* videtur dictum ab הרקח *aracac pigmentum*. *Sil genus pigmenti* luteum colorem, quemadmodum ochra, reddens, & invenitur ceu limus quidam in argenti, & auri fodinis secundum Facciolatum. Ceterum vocem exoticam apparet esse prima fronte. Idque confirmat Ausonius in monosyllab. ubi ait:

Sit ne peregrini vox nominis, *aut Latii Sil*.

Plane non aliunde ortum videtur, quam ab Orientali ששר *sasar*, seu Arabico *Sar*, tantum versa *R* in *L*. Nam Arabes vocant *sarcin*, seu *sarcanne*. Hanc vocem Kimchi tradit esse *minium*. Et sane LXX Jerem. XXII. 14. μίλτον hoc est *minium* reddiderunt. Aliis est *Indicum*, nempe vividus color ad cæruleum accedens; qui ex herbæ cujusdam sativæ expresso succo conficitur. Hæc autem herba injicitur in stagna quædam, quorum ima pars est ex arenato marmorea duritie. Singulis diebus subigitur, donec herba omnis in quod-

quoddam limi, seu pinguis humi genus convertatur. Ubi ea in imo stagni quievit, effusa aqua limus ille colligitur, & in pastillos dimidii ovi magnitudine compingitur; prout Dioscorides l. II. c. 62. tradit. Et quamquam apud Calmetum in Jerem. c. 211. nuperus Itinerarii Scriptor exactum satis nil recitari asserit apud Scriptores, tamen quidquid id sit, origo nostra est verosimillima.

Ἀτμὸς *flatus*, *halitus*, *vapor*, & ἀύτμη orta sunt ab Mosaico איר *aid*, seu *ed* idem. Ἄσθμα, seu ἴσθμα *flatus*, *anhelatio*, venit ex נשמת *nismat halitus*, *flatus*, *N* abscisso, & metathesi adhibita.

Nubes quod spectat ad ejus originem, Eruditorum torsit ingenia. Hinc Varro, Donatusque ducunt a *nubo*, *quia cælum nubit* hoc est *operit*. Nunnesius a νεφέλη. Vossius a נוף *stillare*. Angelus Caninius a Punico *nev*. Becmanus ab Hebræo חנף id est *nuptus* aut *velatus fuit*. Quæ paullo longius apud Vossium habes. At Mazochius in additionibus apud Vossium ait, quod licet potuisset ducere *nubes* ab ipsissimo Hebræo עוב, quod est *obnubilare*, maxime si gutturalis ע secundum complures *Ngh* pronuncietur, vel cum nuperis ἐτυμολόγοις a נוף, quod est *stillare*, tamen derivat a נוב *nub*, quod verbum Hebræum ipse animadvertit eodem *stillandi* significatu fuisse præditum; quod exemplis probare studet. Sed verius mihi dicta ab Hebræo עוב *obnubilare N* heemantico præmisso, vel ex Niphal, quod nisi id tibi gratum, ducere poteris a נבל *nebel uter*, atque ipsa *nubes*, uti in Job. cap. XXXVIII. v. 37. נבלי שמים *nible scemaim*, *nubes Cæli*. *Nebulo* a *nebula* venit omnium Grammaticorum suffragiis, inscitia vero sermonis Orientalis. Hinc sæpe factum, ut germanam vocis significationem suis ineptis commentis ferme omnino inverterint. Quamobrem Nonius ita commentus: *Nebulones*, & *tenebriones dicti sunt*, *qui mendaciis & astutiis suis nebulam quamdam*, *& tenebras objiciunt*, *aut quibus ad fugam fugitivis*, *& furta hæc erant accommodata*, *& utilia*. Vel uti emendat Vossius: *aut quia furibus*, *ac fugitivis ad fugam*, *& furta hæc* (nebula puta, & tenebræ) *erant accommodata*, *& utilia*. Donat. Eun. IV. VII. *Nebulo vel inanis*, *vel vanus*, *aut mollis ut nebula dicitur*. Vetus Horatii interpres ad sat. 1. lib. 1. *Nebulones*, *vani*, *& leves ut nebulæ*. Festus: *Nebulo dictus est*, *ut ait Ælius Stilo*, *qui non pluris est*, *quam nebula*: *aut qui non facile perspici possit*, *qualis sit*, *nequam*, *nugator*. Hactenus Grammatici, quibus Vossius adstipulatur. Verum age acumen intendamus, num ex Orientali sermone certa significatio, atque origo vocis possit vindicari. Ita sane. Nam sanius fuit ab Hebræo נבל *nebel*, quod exponitur *stultus*, *flagitiosus*, qui *stulte*, vel *turpiter agit* ex Radice נבל *nabel cecidit*, *emarcuit*, *stulte egit*; atque in Pih. amplius notat *vilipendit*, *turpitudine affecit*. Quæ omnia omnino conveniunt *nebuloni*, atque ita facilius est captu, quid sibi velit hocce vocabulum. *Subices*, *teste Festo*, *dicuntur* nubes, *ab Ennio in Achille*:

. . . . . Per ego Deum subices humidas
Unde oritur imber sonitu sævo, & spiritu.

Scaliger notis ad Manilium subices *ait dici*, *quia* subeant *cælestia*, *quomodo*

Græci vocant μετέωρα, *nam* subire est ascendere . . . . . *Sed magis probo sententiam Festi* , *qui* subices *dici vult* , *quasi subjectas* . Hæc Vossius de origine fere habet . Sed puto hanc vocem vix Ennio notam fuisse antiquissimam , atque ex Oriente ad Tuscos , & dein ad Latinos pervenisse . Plane *subices* , seu *subex* recta descendit ab Hebræo עוב *sub obnubilavit* , & עב *sab nubes* . Id quod mihi haud displicet . Quod vero ע in *S* versa sit , non mirum , quandoquidem ע est spiritus densissimus secundum Grammaticos . Hinc etiam ex Hebræo עקרב factum *scorpio*, scilicet versa ע in *S* . Imber gr. ὄμβρος dicitur. Utrumque per metathesin venit ab רבבים *rebibim imbres*, atque ה præmisso fit *ebbros* , atque dein ὄμβρος . Ῥαίζω *adspergo* , & ῥήσσω quatenus notat βάπτειν *tingere* fluxere ex רסס *rasas adspersit* . Ῥήσσω *frango*, *rumpo* ex רצץ *razaz quassavit* , *contrivit* , *confregit* . Λάσθη est *sanguis* apud Suidam , atque etiam *illusio* , *contemptus* . Quod attinet ad priorem significationem venit a לשד *humor* (versa *D* in *T*) , atque etiam accipitur pro humore hominis. Quod vero spectat ad alteram significationem fluxit a לצון *lasson derisio* ex לוץ *latz illudere* , *deridere* , *ludificare* . *Ros* fit a δρόσος vel ab ἔρση si Etymologos audire præstat . Quadere adisis Vossium longius de hac voce differentem . Nobis vero isthæc sedet sententia, scilicet quod & *ros* , & ἔρση ἀμέσως ex רסס *rasas aspersit* , unde רסיסים *resisim aspersiones noctis*; uti Cantic. cap. V. v. 2. ubi ait : *Caput meum plenum est rore*, *& cincinni mei aspersionibus noctis* , nempe רסיסי לילה, secundum Vulgatam *guttis noctium* . Verum fortasse erunt ipse *ros* . Hinc LXX habent ψεκάδας νυκτός nimirum *rores* , seu *guttas instar roris* , idque manifeste insinuat ἐπίθετον τῆς *noctis* . Denique *ros* apud Latinos non solum est humor ille , qui nocte serena fluit , verum etiam accipitur pro quolibet humore in roris morem sparso . Idcirco Maro , Æneid. VI. v. 230. ait : *Socios pura circumtulit unda Spargens rore levi* . Et Luc. l. VII. v. 838. *Sanguineis stillavit roribus arbor* . Postremo ex תרס *taras* ejusdem originis (tantum ת in *D* conversa) factum forsitan δρόσος *ros* , & δροσοὶ *lacrymæ* . *Madeo* forte venit ab חמוץ *amutz consperfus*, *tinctus* , seu potius *madefactus* , *madens* principe littera abscissa . Τέγγω *tingo* , *rigo* , *irrigo* . Porro videtur fluxisse ex Orientali שקה *saga potavit*, *adaquavit* , *irrigavit* , unde שקוי *siggui potus* , *irrigatio* , mutata ש in *T* , uti ad nauseam alias ostendimus. *Amurca* ducitur apud Vossium ab ἀμοργή . Hæc autem cum sit oleæ expressæ recrementum , & ἀμέργω *exsugo oleas* , & *amurcam exprimo* , forsitan fit ab המרק *amarag tersit* , *extersit*, & *jus* . Ab eodem המרק *amarag* descendit ὀμόργνυμι *abstergo* . Quod sane apprime voci Hebraicæ respondet . Σμάω , & σμήχω *abstergo* , *purgo* , addito *S* venit ab מחה *macha abstersit* . *Sarpo* , & *sarptus* quid denotet, ita nos docet Festus : *Sarpta vinea* , *putata* , *id est pura facta* . *Virgulæ enim relictæ impedimento vitibus solent esse* , *quæ ideo abscinduntur*. *Inde etiam sarmenta Scriptores dici putant* . *Sarpere enim antiqui pro purgare dicebant* . Idem : *Sarpuntur vineæ id est putantur : ut in duodecim* , *quandoque sarpta* , *donec demta erunt* . Itaque ex Festo discere datur apud veteres *sarpere* denotasse *purgare* . Hinc istud vocabulum ab Oriente acceperunt Tusci , a quibus ad Latinos pervenit . Sane

sar-

ſarpo purum putum ipſum Hebraicum צרף *zarap purgavit*. Heic autem animadvertas quæſo in vocibus antiquis, ſeu Etruſcis, atque Orientalis originis veteres Grammaticos, & Etymologos toto Cælo errare. *Scopæ* profectæ ex סחף *ſacap everro*, & *abduco*.

Κηλὶς *macula* factum videtur ex גאל *geel polluere*, *contaminare*, unde מגאל *megol pollutus*, ex quo fluxit ad Latinos *macula*. *Scoria fæx metalli*, Graece σκωρία, quod a σκῶρ *ſtercus*. Porro σκῶρ venit ab Hebræo חור *cor* idem, & præcipue numero plurali חורים *corim* idem. *Merda* varie derivatur ab Eruditis. Sunt qui ducunt ἀπὸ τῦ ἀμέρδειν hoc eſt ἀφανίζειν, quia ſtercus ob fœditatem amoveatur ab aſpectu. Nec deſunt, qui derivent a μέρος *pars* & *edo*, quia ſit portio cibi, vel potius quaſi μέρος εἴδατος h. e. *pars cibi*. Nam ἔδαρ, ſeu εἶδαρ eſt *cibus*. *Sed omnium maxime placet*, ait Voſſius, *quod Martinio viſum, venire a μίνθιν, quod idem ac homerda*. Verum hæc omnia ficulneis innixa tibicinibus, & ſunt λῆροι λήρων. Nam verius puto venire ab Orientali מחור *maor*, ſeu מחורת *maorot latrinæ* ex חור, *cor ſtercus*, *excrementa*. Μίνθα vero omni dubio procul factum ex Hebræo מוצא *motta*, & [צ in θ verſa *motha*, N inſertoque μίνθα] *exitus*, *exortus*, & מוצאות *latrinae*, *excrementorum receptacula*, ex יצא, צא, ſeu צאא *zaa ſordes*, *excrementum*, *ſtercus*. *Caco*, a Græcis κακκᾶν, & κάκκη *ſtercus* ducitur. Id vero a κακὸς *malus* διὰ τὸ δύσοσμον ait Voſſius. Sed fallitur. Nam κάκκη *ſtercus* eſt ab Hebræo חור *cor* geminata principe littera. Χέζω vero item *caco* manavit ab יצא *iaza exivit*, *prodiit*, unde צאה *zaa ſtercus*, *ſordes*, *excrementum* χ ab initio addita. Idque ſolide demonſtrat Voſſius. *Crea* ſecundum Iſidorum eſt *ſtercus*. Sane fluxit ab חור *cor* idem. Heic porro advertendum eſt apud Voſſium eamdem originem affingi vocabulo *merdæ*, & *muſcerdæ*, *ſuccerdæ*, *opicerdæ*, *bucerdæ*, ceteris; Nimirum ἀπὸ τῦ ἀμέρδειν τῦτ' ἐςὶ τὸ ἀφανίζειν. At falluntur. Nam cum τῦ *muſcerdæ*, *ſuccerdæ*, *opicerdæ*, *capricerdæ* vox ſimplex, & primigenia ſit *cerda*, ita ut *cerda* ſit ſtercus *muris*, *bovis*, *capræ*, *ſuis*, *ovis*, adeo inter ſe diſcrepant, ut nihil ſupra. Hinc *cerda* ortum eſt ex Hebræo חור *cor* & חורים *corim ſtercus*. Denique haud inepte *excrementum* duceretur ab *ex*, & חור *ſtercus*. *Excreo exſpuo* venit ab *ex*, & *creo*. Porro *creo* hoc ſignificatu factum per metatheſin ab רקק *racac ſpuere*, *exſpuere*.

Sudor ducitur ab ἶδος. At age videamus, num ab Oriente arceſſere poſſimus. Scilicet ita eſt; nam ἶδος ἀμίσως profluxit ex Hebraeo יזע *iaza ſudor*, atque *iada*, verſa *Z* in *D*, uti ſexcenties uſuvenit. Ὕδωρ non ſolum deſignat *aquam*, & *mare*, verum etiam *aquam pluviam*. Sane duci haud incommode poſſet ab Moſaico איד *ed*, atque [*Jod* (י) ſi proferre velimus,] *Id*. Porro *ed*, ſeu *id* denotat *vapores*, ſeu *aquam*. Βλύδιον exponitur ὑγρὸν *humidum*. Fluxit ex בלל *balal perſudit*, *infudit*.

CAPUT III.

ÆVum, αἰών, ἀΐδιος, de qua voce falsus Stephanus, annus, ἐνιαυτὸς, ἔτος, σῆτες ab Hebræo arcessenda. Autumnus, ὀπώρα, hibernus, vetus, senex, λῶος, ὥρα ab Oriente manarunt.

ÆVum ab αἰών inserto V consono more Æolum, quomodo ab ᾠὸν est ovum, ab ὄϊς ovis, a λεῖος levis. Αἰὼν vero dicitur quasi ἀεὶ ὂν semper exsistens: ut scripsit Aristoteles l. I. de Cælo. Nisi potius (quæ doctissimi Abrahami Custeri suspicio est) ab Arabum avan, quod illis ævum denotat. Ita Vossius de origine. Porro Græcum αἰών, Latinum ævum, Arabicum avân ab uno, eodemque fonte manarunt. Sed antequam ejus originem in medium afferamus, operæ pretium monere Syros sæpe ו in au resolvere. Igitur recta venit ab Hebræo עון on, atque avan, resoluto ו in au, uti monuimus, quod vulgo tempus certum statæ rei, unde fluxit Chaldaicum quoque ענת enet item tempus. Ἀΐδιος æternus est ab ἀεὶ semper, si H. Stephano fides, haud secus atque ab semper est sempiternus: At falsus est Stephanus. Nam κυρίως sempiternus conflatum ex semper, & æternus. Porro ἀΐδιος ortum ex עד ed æternitas. Autumnus dictus quasi tempus nutriens ab עת et tempus, & אמן omen nutriens. Annus & græcum ἔνος venit ab ענת enet tempus, unde quoque dictum ἐνιαυτός. Ἔτος item annus fortasse dictus ab עת et tempus. Σῆτες exponitur hoc anno, atque fertur esse adverbium Jonibus usitatum. Videtur autem ortum ex Orientali שתי sete duo, ambo, ex שנה sana, & שנת sanat annus, N deperdito. Ὀπώρα autumnus forte dictus ab חרף orep per metathesin, quod exponitur hiems. Ab ipso orep per metathesin, atque P in B abeunte manavit vox hibernus, cujus sane nullam genuinam originationem hactenus producere in medium Eruditi valuere. Quamvis vero חורף orep in præsenti apud Hebræos denotat hiemis, attamen etiam designare potuit autumnum. Id ex cognatis linguis expiscari ne pigeat. Ad rem apud Arabas chariph, seu harip autumnus audit. Atque si rem attentius pensitemus; idem suadebitur ex eo, quod sicut ὀπώρα significat maturiorem ætatem, nempe quæ præcedit pubertatem, & juventam, ita quoque hebræa vox חורף cum denotet pueritiam, & juventam, designare deberet etiam autumnum; quandoquidem jam denotet hiemem. Vetus ducitur apud Vossium ab ἔτος annus. Sed vetus non est annus, sed annosus, uti ipse ingenue fatetur. Ideo vetus venit ab ישן iasan vetus versa י in ו, uti ex ירא vereor, & ש in T, quod frequens admodum est, atque ad ravim usque alias repetitum. Hinc quoque senex & seneo nempe ex ישן iasan vetus, & veterascere item derivatur, Jod evanescente, sicuti ex ישן emersit שנה somnus. Atque id etymon impendio magis verum est, quippe quod ab ipsa re nulla adhibita metathesi petitum,

titum, quam a שנא *annus*, vel a זקן, quod durius videtur. Λῶος mensis quidam apud Macedonas forte fluxit ab Hebræo אלול *elul*, quod dicitur respondere mensi Augusto. Commodum Græcum λῶος si fides Suidæ, est Romanorum *Augustus*, seu *Sextilis*. Hinc in epistola Philippi ad Peloponnesios apud Demosth. pro corona dicitur esse idem atque βοηδρομιὼν apud Athenienses, ubi ita habet: τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς λώου, ὡς ὑμεῖς, (*Macedones* scilicet) ἄγωμεν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, πανέμου. Itaque id verissimum puto. Ὥρα *tempus* omne in universum denotat. Porro fluxit ex עון *hon tempus*, seu *certum tempus*, unde Chaldaicum ענת idem, abeunte *N* in *R*, atque ע utpote spiritus densus in spiritum pariter asperum, quo vox Græca insignitur, transit.

EXERCITATIO VIII.

CAPUT I.

SAlvus, ſalus *unde recta deducenda. Notatur Voſſius, Bibliander, Mazochius. Meleagri locus reſtituitur. Aſſeruntur conjecturæ.* Χαῖρε, ὅλος, ἰάομαι, ſoſpes, *& prius* ſiſpes, φείδω, cuſtos *ab Oriente derivata. Hinc &* ἄκος, θεραπεύω, pharmacum, juvo, ὀνέω, ὀφέλλω, ἀλέξω, νόσος, μάλις, elephas. *Falſus Voſſius, & Grammaticorum natio.* Eryſipelas ἐρυσίβη, angina, ango, ἄγχω, πνίγω, ἄπελος, curtus, curvus, ὀκλάζω, μάλκη, μοτὸς, ἄλθος, ſernia, ſimus, σῖμα, χωλὸς, claudus, varix, φωίδες *in Hebræo ſolo radices fixas habent.* Ἀμφιμάντωρ, ſitus, letum, gabbares, ſolium, ſilicernium, κὴρ, κύρω, capulus, σορὸς, ἠρίον, κολύω, κόπτω, ἀμάω, ἀλοάω, θλάω, πρίω, rumpo, κτείνω, θείνω, macto, pavio, παίω, pavimentum, plango, δοίδυξ, τρίβω, θραύω, νεῖκος, αἰκία, ἀμφισβητέω, jurgium, lis *ab Oriente manarunt.*

SAlus, unde *ſalvus* & *ſalve* in ſalutationibus adhibitum, vacat inquirere, num ab Oriente profecta. Si Grammaticos conſulere lubet, erit præſto Voſſius, qui ita aliorum ſententiam refert: *Salus inſerta liquida a* σάος *venit, quod eſt,* ſalvus. *Vel, quod Bibliander Indice verborum in Marcum notavit eſt* ſalus *ab Hebræo* שלה *id eſt* ſalvus: *quomodo Græcos ſuum* σάος, σόος, & σώζω *putant habere ab* ישע *id eſt* ſalus, *unde & nomen* Jehoſchua, *ſeu* Jeſu. Hæc Voſſius in voce *ſalus*. Mazochius haud diſſentit a Bibliandro, quandoquidem in additionibus Voſſianis in voce *ſalveo* aſſerit, *ſalveo, ſalvus, ſalus eſſe voces Tuſcanicas, atque antiquitus ad animam pertinuiſſe, ex quo manavit, ut* τὸ Χαίρειν *apud Græcos præfixum epiſtolis, apud Latinos formulæ* ſalutis *dicendæ, ac ſimilibus reſponderet. Quare & ſalvere, & ſalvus ſunt e* שלה *ſhala, tranquillum eſſe.* Quæ fere Mazochius adſperſit. At tantorum virorum ingratiis eſt longe petitum hocce etymon. Nam *ſalus*, & *ſalvus*, & *ſalve* a *ſalveo*, atque ipſum *ſalveo* ab una, eademque voce, ſeu radice nimirum Orientali שלם *ſalam pacem habere, colere, pace frui, & proſperitate, pacem precari,* & *ſalutare*, uti II. Reg. X. 13. quæ notiones adamuſſim quadrant verbo *ſalveo*, unde *ſalve;* ab ipſo שלם exſtat שלם *ſalem integer, incolumis*, quod reſpondet τῷ *ſalvus;* שלום vero *pax, proſperitas, incolumitas, integritas*, quæ omnia propius accedunt voci *ſalus*. Porro hoc vocabulum uſurpabant in ſalutationibus Hebræi adprecantes ſalutem, felicitatem, ut videre licet ex loco Geneſeos XLIII. v. 23. ubi domus Joſephi diſpenſator filiis Jacob timore multos pallentibus colores, ait שלום לכם

ſci-

scilicet *pax vobiscum, nolite timere*: II. Reg. XVIII. David percontatus nuncium de Absalomo, ait: *Est ne pax puero Absalom?* Ubi sane, uti constat ex integro eo capite, David loquitur de incolumitate filii. Neque secus accipiendus alter locus I. Reg. XXV. ubi David ipse ita socios suos jussit salvere Nabalem: *Salutabitis eum ex nomine meo pacifice, & dicetis: sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax*. Quo in loco, quoniam & ad personas, & ad res hæc salutatio, scilicet *pax* spectat, nequit haud intelligi de incolumitate in universum. Huc quoque afferre non gravabimur eruditionis ergo illud epigrammatis ad Meleagrum Anthol. lib. III. cap. 25. epigram. 70. prout Scaliger emendat;

Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ Σαλάμ· εἰ δ' ὧν σύγε Φοῖνιξ
Αὔδονις, εἰ δ' Ἕλλην χαῖρε, τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

Nimirum Syriacum σαλάμ, seu Hebraicum שָׁלוֹם *scalom*, unde apud Arabas *sciale melicebi* pro *scalom leca* שלום לך; quod idem atque ἁπλῶς Latinis *salve*, Punicis Αὔδονις, seu rectius *audoni*, vel *avo doni*, vel αὖδον' seu αὔδονι, uti apud Plautum, quod contractum ex הוה ארוני *vive domine mi*. Adi inter ceteros Bochartum Geogr. Sacr. col. 725.

Vir summus Scaliger, quem Bochartus κατὰ πόδα sequitur, apud Meleagrum legit αὔδονις pro Ναίδιος, quod depravate scriptum. Verum non Ναίδιος, sed potius Ναίδιον forte scriptum, licet corrupte. Atque hoc fortasse verius. Nam si invertas vocem Ναίδιον, præsto erit Αὔδονι, si dumtaxat pro *N* substituas *A*, & *Υ* pro *α*, & *ι*. Quandoquidem parum inter se differunt *A*, & *N*, atque inscite amanuenses ductum illum ad dextram produxerunt. Ita quoque pro unico *V* fecere duas litteras h. e. *α*, & *ι*, eo fortasse quod nimius ductus hastæ τῆ litteræ *V* ad sinistram intortus esset. At si Ναίδιος leges, haud αὔδονι, sive αὔδονις constabit. Denique si Meleager integram vocem Syriacam *salam* usurpavit, idem quoque in voce phœnicia præstare debuit, neque inclinare ad Latinorum genium: ideo αὔδον, seu αὔδονι secunda syllaba correpta. Græcis sonat χαῖρε salutationi accommodatum verbum apud Græcos, quod idem ac שלום Hebræis, seu Syris, & *salve* apud Latinos; venit a χαίρω *gaudeo*. Id vero profectum ab Hebræo, seu Chaldæo חדה *chada gaudeo*, *lætor*, unde חדוה *chedua lætitia*, *gaudium*, versa *D* in *R*.

Οὖλος *integer*, *sanus*, *perfectus* venit ab חלם Chaldaico, quod *convalescere*, *revalescere* notat, atque in hiphil *revalescere facere*, atque Syriace *sanari*; æque ac οὐλόω, seu οὐλῶ *sanus sum*, *valeo*: ὗλος *manipulorum collectorum fascis* venit ab אלם *elem manipulus*, seu potius *illem ligare*, *colligare manipulos*, seu *fasces segetum*. Ἰάομαι *medeor*, *sano* sine controversia factum ex חיה *aja vixit*, *revaluit*, & in piel חיה *ia vivere fecit*, *vitæ restituit*. Sospes, & *ab eo* sospita, sospito, sospitalis, & sospitator *nunc dicemus*: *sed antiqui pro* sospes, *teste Festo*, sispes *dixere*, *converso* O *in* I, *contra quam fit in* illi, *pro quo* olli *dixere*. *Est* sospes, *eodem Festo auctore*, *a* σώζω sospito, *unde* Σωτὴρ sospitator. Et paulo post addit. *Sed unde illud*

 pes?

pes? *Quid si ergo dicamus esse ex σῶς* salvus, *&* *πῦς* pes? *Ut* sospes *sit*, *cui vires sint quolibet meandi*, *& remeandi*. Hæc Vossius. Quæ quod ad etymon spectat sunt meræ nugæ. Antiquos *sispitem*, pro *sospitem* dixisse non solum auctor est Festus, verum etiam idem arguunt veteres inscriptiones, & nummi. Hinc Reinesius ex Inscriptione veteri 383. hæc habet: *Sacerdos Junonis Reginæ Sispitæ &c.* & paullo post: *Sacerdote Jovi Sisp.* scilicet *Sispiti*. Denique *Juno Sispita* occurrit in Commodi nummo apud Vaillant, & Museo Theupoli. Quod monuit Facciolatus. Heic quoque antequam ejus originem investigemus, advertere juvat, *sospitem*, & *sospitam* apud Veteres potius significasse *servatorem*, & *servatricem*, nempe *qui*, *quæve servat*, quam *salvum*, & *salvam*, scilicet, *qui*, *quæve servatur*. Idcirco cum teste Festo Ennius *sospitem* pro *servatore* adhibuerit, & *Juno sospita* sit *servatrix* non modo in locis paullo ante productis, verum etiam apud Tullium I. de nat. Deor. c. 29. & apud eumdem hib. I. de Divin. c. 2., puto prius hanc significationem nimirum activam huic voci subjectam, postea ἀδιακρίτως usurpatam. Sane vox primigenia *sispes* facta est ex Chaldaico שיזב *sisib liberavit*, *eripuit*, *servavit*, atque *sisib* potius legendum, quam *sesib*, præsertim cum habeat *jod* י. Φείδω exponitur *libero*, *servo*, haud absurde deduceres ab פצה *phatah liberavit* apud Chaldæos. Ἀκέομαι, & ἄκος nempe *sano*, *medeor*, & *remedium* dictum ab הגהה *agaa mederi*, *sanare*, & הגהה *agea medicina*; tantum *G* in *C* versa. Θεραπεύω *sano*, *medeor* a הרפא *terapa* ex רפא *rapa sanavit*, *medicatus est*. *Pharmacum* gr. φάρμακον vocabulum medium, nimirum medicamentum tum salutare, tum letale. At mihi persuadeo, prius tantummodo significationem medicinæ salutaris huic voci inhæsisse. Venit autem ab Hebræo מרפא *marphe* per metathesin, quod est *medicina*, & *sanatio*. *Juvo* frustra a *jovis* ducitur. Nam fit ab יעל *iaval* idem, ע in *V* converso. Ab ipso יעל *iaval*, cum in hiphil faciat הועיל *oil profuit*, *utile fuit*, descendit græcum ὀνέω, seu ὄνημι, *Lamed* in *Nun* abeunte. Et qoniam ע fungitur vice *spiritus asperi*, atque mutatur in φ, inde etiam ortum ὀφέλλω, quod idem significat. Ἀλέξω *arceo*, *opitulor*, *defendo* venit ab חלץ *alatz eruit*, *eripuit*, *liberavit*. *Custos*, unde *custodia*, haud mihi videtur Latini, seu Græci peculii, eo potissimum quod haud concinnum etymon hactenus allatum. Hinc puto factum ex Hebræo חסת *coset tegens*, *operiens*, *occultans*, *celans*.

Νόσος *morbus*, & νοσέω *ægroto* derivatur ab אנש *anas æger sum*, seu ipsum νοσέω, dumtaxat truncata principe littera. Μάλις *malis morbus veterinorum* fluxit ex מחלה *maale morbus*, *infirmitas*. *Morbus* videtur fluxisse ex מרפה *merape remissum reddo* ex רפה *rapa remissum esse*, & *debilem*, *deficere*, *P* in *B* versa. *Elephas*, unde *elephantiasis*. Si ejus originem apud Grammaticos, atque etiam etymologos Eruditos investigaveris, ineptire pueriliter eos offenderis. Hinc Vossius ita differit: *Ab* elephanto *quoque lepræ genus dicitur* elephantiasis, *sive ut non Aratætus modo*, *sed & Lucretius*, *ac Serenus vocant*, elephas; *ut Etymologicum magnum*, ἐλεφαντιασμός, *ut Celsus*, elephantia; *si modo locus is caret menda*. *Putabat Laurentius Valla nomen*

ex

ex eo esse , quod inter morbos tantum præstaret , quantum inter bestias Elephas. *Sed hæc sententia indigna est Valla . Vera autem ratio est , quam & Crinitus l. XX. cap. ult. & Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis adferunt , quia morbus is* cutem maculis, ac tumoribus similem reddat cuti elephantis. Hactenus ille . Verum male utrique . Nam primum primigenia vox non est *elephantiasis* , sed *elephas* , uti usus Lucret. l. VI.

Est elephas morbus , qui præter flumina Nili
Gignitur , Ægypto in media , neque præterea usquam .

Apud Græcos ἐλέφας hoc sensu usurpatur. Secundum , mirum quantum differt *elephas* morbus ab *Elephanto* . Ceterum licet diversæ originis sint istæ voces , tamen utræque ab Oriente descendunt ; de elephanto alibi sermo. *Elephas* vero morbus, uti apud Lucretium modo vidimus gignitur *Ægypto in media*, & Plinius l. XXVI. c. 1. *elephantiasin* vocat *Ægypti peculiare malum*. Itaque sicuti morbus orientalis , ita etiam nomen . Sane *elephas* omnino fluxit ab Hebraico ילף *ialeph* , seu ילפת *ialephet* , quod *scabies saniosa* , vel *sicca* , *lichen* exponitur a Buxtorfio , qui addit : *Prisci Hebræorum Sapientes scribunt , fuisse* חזית המצרית *speciem ulceris purulenti* , & *fœtidi Ægyptiaci* . Quæ quidem sibi mire respondent.

Erysipelas ἐρυσιπέλας græce. De origine ita Vossius: *Erysipelas ab* ἐρεύθω traho , *&* πέλας prope : *quia attrahit partes vicinas : vel ab* ἐρυθρὸς ruber , *&* πελὸς , *aut* πέλιος niger , lividus : *quia rubedini nonnihil alterius admixtum est coloris . Polluci* ἐρυθροπέλας *vocatur , quod manifeste est a* rubore . Hæc ille , qui quod spectat ad primam originem , Etymologum secutus est . Sed hæc omnia canoræ nugæ . Etenim fluit ab Hebræo הרשף *eresep* , alternante *R* , atque altero in *L* verso . Vox orientalis exponitur *anthrax* , *morbus ardens* , *inflammatio* , quæ significatio est translata , sed κυρίως notat *prunam ignitam* , *scintillam* . Apposite *erysipelas* vocatur *ignis S. Antonii* , *ignis sacer*. Ab ipso הרשף *eresep* venit alia græca lexis ἐρυσίβη *rubigo* , quæ morbus segetum nihil aliud est , nisi *adustio ;* hinc ἐρυσίβη dicitur quoque apud Latinos *uredo* ab *uro*, apud Græcos καυσθμὸς a καίω *uro ;* apud Hebræos שדפון, quod etiam significatione *adurendi* donatur . *Anginam* , ait Vossius , *paret dici ab* ango, *ut Græcis* συνάγχη, *a* σὺν , *&* ἄγχειν . *Sic autem vocatur , quod hominem laquei instar suffocet , ac strangulet : ut recte scribit Cælius Aurelianus l. III.* ὀξέων *cap.* 1. At græcum ἄγχω , unde pullulavit , haud expedire potis fuit . Porro *ango*, & ἄγχω ortum ab Orientali חנק *inag*, seu *anag strangulavit* : idem ac πνίγω, quod factum ex נפח *napac* per metathesin, quod est *spiravit* , *efflavit*, ex פוח item *afflavit* , *aspiravit* , *efflavit*, atque etiam *illaqueavit* , quod facit cum πνίγω hoc est *strangulo* , *suffoco* . Ἄπελος *hulcus* , *vulnus* fit ab חבורה *abura plaga*, ב in π , & ר in λ versa . *Curtus*, si creditur Vossio in voce *curvus* , venit a κυρτὸς *curvus* . At longe petitum ; nam significatio diversissima est . Verius puto venire & *curtus*, & *curto* a כרת *carat cecidit*, *amputavit* , unde & fortasse κολέω , quod idem est , versa *R* in *L* . *Curvus*, & *curvo* fit a כרע *carav* idem . Ab ipso כרע , quod in *Hiphil* est הכריע *icriah* , fluit ὀκλάζω, quod tantumdem valet ; atque prius fuit

ὀκλάω, unde postea ὀκλάζω. Μάλκη exponitur *manuum, pedumque contractio*, ac *stupor ex frigore*, μάλκιος *frigidus*, & μαλκίστατον *frigidissimum*, apud Suidam. Sane videtur factum ex מקרה *mekera* per metathesin, atque versa *R* in *L*, quod exponitur *refrigerium* ex קרר *frigescere*, & קור *cor frigus*. Μοτὸς *linamentum*, seu *linteum carptum*, *quod vulneribus inditur*, unde ἔμμοτον nempe φάρμακον. Peropportune apud Hebræos exstat מזור *mazor*, & postea *Z* in *T* versa, uti passim usuvenire quisque novit, *mator*, quod sonat *vulnus*, *ulcus*, & *curatio*, seu *vulneris sanatio*. Ἄλθος *sanatio*, *medela*, atque ἄλθω *sano*, *medeor* alludit ad Hebraicum תעלה *teala curatio*, quod a radice עלע *ala scandit*, *ascendit*; itaut χυρίως haud abludat ab Italico *saldare*.

Sernia: hæc lexis collocatur inter barbaras, atque exponitur scabies quædam. Sane omni jure jactat genus suum ab Oriente, atque ἀμέσως ab צרעת *saraat lepra*. *Simus* fortasse, cum significet *qui depressis naribus*, & *simare deprimere*, Græcis σῖμα *loca ardua*, & *acclivia*, dictus a צמת *samat excidit*, *succidit*; sicuti חרום *simus* ab Arabico *harima* in prima conjugatione *simum esse* teste Cl. Bocharto Phaleg & Chanaan p. 192. Necnon *charas* apud Arabas sonat *imminuere*, *demetere*, si fides præstanda Calmeto in Levit. c. XXI. v. 18. Κωλὸς, & *Claudus* unde profecta, dignoscendum. Χωλὸς facile venire posset a צולע *tzoluh* idem, dumtaxat versa צ in χ, de qua mutatione vide eumdem Vossium. *Claudus* vero haud inepte derivatur a קלוט *calut curtum membro uno*. *Varix* quod exponitur *vena feculento sanguine tumescens*, haud abnuerem, si duceretur ab Orientali חבורה *abura* quod exponunt *plagam*, *vibicem*, *tumorem lividum*. Hinc vides potissimo jure ab ipso חבורה *habura*, seu *vabura* factum *vibex*, cum utraque vox unum, idemque significet. Sed hoc etiam vidisse Mazochium reperi. Φωΐδες, *papulæ*, & *pustulæ*; φῶδον *bullam*, *hulcus* interpretantur. Aristoph. in Plut. Σὺ γὰρ ἂν ποιήσαι τι δυναί ἀγαθὸν πλὴν φῳδῶ ἐκ βοὸς λάνευ. Quæ vox non abest ab Hebræo פחתת *pheetet*, quod exponitur *corrosio*, *plaga corrodens*, vel *lepra*, aut *macula*.

Ἀμφιμάντωρ Hesychio est, qui *infelici fato mortuus*, vel qui *utrumque parentem amisit*, vel *habet*. At ἀσύστατα Hesychius videtur docere, & παράδοξα. Idcirco reor significare vel *infelici fato mortuum*, vel qui *utrumque parentem amisit*. Sane venit ab ἀμφὶ *utrinque*, & מות *mut mori*, seu *mavet mors*, *N* illata. *Situs*, seu *siti* dicuntur *mortui*, & *situs* est *positio*, Græcis θέσις descendunt ab Orientali שות *sut posuit*, unde שית. Atque hoc paret esse verosimillimum. *Letum*, in cujus origine assignanda garriunt Grammatici, ab Oriente ductum. Sane factum a רצח *retah occisio*, *R* in *L* versa. *Gabbares*, seu *Gabbaræ dicuntur esse cadavera apud Ægyptios pollinctorum arte delibuta*, *aresacta*, *& a corruptione immunia*, mummie, *teste Augustino*; ait Facciolatus apud Calepinum. Porro vox Ægyptia, haud secus ac res fuit. Hinc facile factum autumo ex קבר *gabar sepeliit*, & קבורה *gebura sepultura*, *sepulcrum*. *Solium duplicem habet significationem: quarum utramque Festus agnoscit*. *De priori* Solia, *inquit*, appellantur sedilia, in quibus non plures singulis non possunt sedere . . . . *De altera sic scribit*: Alvei quoque la-

lavandi gratia instituti, quo singuli descendunt solia dicuntur: quæ a sedendo potius dicta videntur, quam a sollo. *Utramque significationem invenias etiam in Glossis vett. ubi legas:* Solium θρόνος βασιλικὸς. Solium, ἐμβάτη. *Nam ἐμβάτη, vel ἔμβασις*, alveus, in quem descenderent lavaturi: *unde & nomen. Sane πύελον similiter Græcis utrumque notat: Sed ea voce etiam significatur* sarcophagus, *sive* arca in qua mortuus jacet. *Ac videtur Curtius, quia apud Græcum scriptorem πύελον legisset, id similiter* solium *reddere voluisset. Sic enim scribit l. X.* Ceterum corona aurea imposita, amiculo, cui adsueverat ipse, solium, in quo corpus jacebat, volavit. *Imo & Florus lib. IV. de Cleopatra ait:* In Mausoleum se (sepulcra Regum sic vocant) recepit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus in differto odoribus solio, juxta suum se recepit Antonium. *Non solent tamen Latini id* solium *vocare: nec ejus significationis meminit Festus*. Ita Vossius de ejus significatione; qui sensit *solium* non solere Latinos hoc sensu scilicet *sarcophagi* vocare. Quamvis autem Vossius tradat non habere *solium* significationem *sarcophagi* apud Latinos, tamen non inde conficitur huic voci eam notionem non esse subjectam. Nam id tantum arguit eam vocem hac notione esse orientalem. Sane *solium* apparet esse ipsum שאל *seol sepulcrum*, *sarcophagus*, nempe ipsum *solium*, quod quærebamus. Unde, nimirum ex שאל *seol*, constat prima pars vocis *silicernii*, altera vero ex כרה *cera convivium;* sed de isthoc vocabulo, alias commodius differendi erit locus. Κὴρ *sors*, *fatum* puto fieri ex קרה *cara evenit*, *occurrit*, *accidit*, unde קרה, & קרי *ceri*, & מקרה *accidens*, *casus*, *eventus* tum in bonam, tum in malam partem acceptus. Ab ipso קרה *cara* venit κύρω, & κυρέω *incido*, & *nanciscor;* sed κυρῶ etiam notat *contingo*, *evenio*, quod idem ac Hebræum vocabulum. Quo quidem nil verius. *Capulus* duo notat nempe *feretrum*, & *manubrium ensis*. Quod attinet ad alteram significationem venit a כף *cap*, unde כפות *manubria*, nimirum ex *cap* emersit *capus*, unde postea *capulus* ὑποκορις ικῶς. Σορὸς *loculus*, *sepulcrum* fit a שאל *seol* idem, conversa *L* in *R*. Ἠρίον *monumentum*, *sepulcrum* ortum ex ארון *aron loculus*, *feretrum*. Idque videtur verisimillimum.

Κολούω *amputo*, *trunco*, *frango* fluxit vel a חולל *fodere*, vel a חרה *confodere*, *transfigere*. Κόπτω venit a קפד *ciped præcidit*. Ἀμάω *meto*, *abscindo*, & ἄμη *falx*, *rutrum*, *sarculum* dicta ab המולל *amolet excindere*, *succidere*. Ἀλοάω *trituro*, *comminuo*, *frango* fluit ab הלם *alam contudit*. Ab ipso תהלם fit θλάω idem. Πρίω *seco* ab ברא *bera excidit*, *præcidit*, *B* in *P* abeunte. *Rumpo*, seu *rupo*, nam etiam nunc *rupi* ex præteritis exstat, dictum a רוף *rup*, seu רופף *ropep concutere*, *quassare*, seu ipsum *rumpere*. Δοῖδυξ *pistillum* a דקק *dacac comminuit*, vel דוך *duc contudit* κυρίως in *mortario*, unde מדכה *tudicula*. Τρίβω, & θραύω *frango* facta ab Chaldaico תבר *tevar*, seu *tebar frango* ex שבר idem; per metathesin vero factum.

Κτείνω *interficio* fluxit ex קטל *catal*, tantum *L* in *N* versa. Θείνω *ferio* a טען *fixit*, *transfixit*, *transfodit*. *Macto* missis falsis etymis Grammaticorum ἀμέσως fluxit ex מקטל *interfecit occidit*, ex קטל. *Pavio ferio*, & Græcum παίω, quod idem quoque notat, omnino veniunt a פעם *paam concussit*, *per-*

percussit. Heic autem mecum advertas velim ea quæ Vossius aliunde collegit, quæque ad vocem *pavimentum* pertinent. *Ab eo* (scilicet a παίω) *Festo*, & *Isidoro testibus*, *est* pavimentum, *ut ab* alo alimentum. *Sic autem dicitur*, *quod* .... *quomodo Græcis* δάπεδον ἀπὸ τοῦ δάπτειν *hoc est* κόπτειν *dicitur*, *si Camerarium audimus*. *Nam alii conflatum putant ex Dorica* δα, & πέδον *ut dicatur quasi* γῆς πέδον. Ita habet Vossius. Hebræis ab ipso פעם *percussit*, pullulat, & פעם, & פעמים *peamim incessus*, *ingressus*, *pedes*; & פעמות *paamot anguli*, seu *pedes*, *absis*; quæ non multum abludunt ab iis, quæ de pavimenti vocabulo dicunt. *Plango proprie est* verbero; *quomodo Lucretius dixit lib. II.*

Nec Mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt.

Factum plango *e* plago; *ut* tango *a* tago, *unde* tagax; pango *a* pago, *unde* pagina; frango *a* frago, *unde* fragilis: Plago *fuit a* plaga, *quod Doricum pro* πληγή. *Speciatim vero* plango *significare cœpit* præ dolore pectus, aut caput percutio. *Quomodo Ovidius II. Metam. dixit:*

Plangere nuda meis conabar pectora palmis.

Hæc Vossius. Quæ si vera sint, erit *plango* a פלג *palag divisit*. Νεῖκος *contentio rixa*, *jurgium*, & νεικέω *rixor*, *altercor* facile descendunt ex Hebraico נצה *niza rixari*, *certare*, *contendere*. Αἰκία *verberatio*, *plaga* ortum ab הכה *ica percussit*, *cecidit*, unde מכה *plaga*. Ἀμφισβητέω *controversor*, *discepto*, & *contendo in judicio*, *litigo* exponitur. Vox ista videtur mihi constare ex ἀμφὶ, & σβητέω. Id vero ortum ex שפט *sapat*, quod idem in *Niphal* notat, dumtaxat *P* in *B* versa. Porro ex ipso *sapat*, seu *scapat* haud abnuerem ducere *scepto*, unde *discepto*. *Jurgium* venit ab עשק *eseg lis*, *jurgium S* in *R* versa. *Lis*, *litis*, seu antiquitus *litis* hujus *litis*, duci posset a נצה *nitah litem facere*, *N* in *L* conversa.

CA-

CAPUT II.

A"Ρδις, ἄρβηλος. ἀκινάκης, aclides, ἀξίνη, azza, acieris, ἀκόντιον, ἅρπη, βήρικες, βείκαχος, βράκετον, γένυς, gæſum, cateja, celtis, κρώβιον *ab Hebræis ducta*. Δνοπαλίζειν, πάλλω, ὕπερος, τέμνω, φλάω, tero, τερέω, fodio, ἐνόω, κολάπτω, clava, κορδύλη, κορύνη, contus, κρόσφος, corythus, λάβρη, materis, κόρυς, ſacena, ῥάβδος, rumex, ſicca, ſarpa, σμινύη, telum, ὀβελὸς, jacio, ὑσσὸς, πήρη, σπόρθη, στύραξ, culter, ſicilices, ſeceſpita, uncus, marra, cuſpis, framea, ſariſſa, λίσγος, vallus, varus, βαλβὶς, romphæa, ἄρμαν, μῶλος, miles, agiades *ab Oriente fruticant*. Συανία. *Epicharmi locus reſtitutus*. Tumultus, τύρβη, ὑάμια *indidem ſunt*.

A"Ρδις *cuſpis teli*, & *aculeus ſagittæ*, atque plurali numero ἄρδεις apud Herodotum exponitur *pharetræ*. Apud Hebræos exſtat חרט *eret cælum inſtrumentum ſculptorium*, & *ſcriptorium*, nempe *ſtylus*, & numero plurali *loculi*. Α"ρβηλος exponitur *ſcalprum ſutorium*; videtur deſcendere ex חרב *ereb gladius*, atque, uti advertunt hebraice periti, ſumitur late, uti apud Latinos *ferrum*: necnon *culter*, *cælum*, ſeu *ſcalprum* expoliendi gratia. Α'κινάκης apud Etymologum *genus jaculi Perſici*, ſecundum Heſychium vero, & Suidam non modo eſt *Perſica haſta*, verum etiam *enſis*. Idque liquido ſuadet Herodotus, qui in Polym. ait: καὶ περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλέουσι. Id norunt omnes. Vox eſt Perſica, ſcilicet Orientalis, idcirco facile profecta ex הקין *acain lancea*, *haſta*, alternante C. *Aclides* genus brevis jaculi ſunt. Haud deſunt, qui deducunt ab ἀγκύλη, quod etiam *genus jaculi* apud Heſychium, Euſtathium, & Suidam. Fortaſſe repetunt ſuam originem ex הקלע *acala funda mittere*, ſeu *projicere*. Α'ξίνη *aſcia*, *ſecuris* venit ab עצד *atzad*, unde apud Italos fluxit *azza*, ſeu מעצד *aſcia*, *ſecuris* D in N verſa; quadere vide quæ Donatus apud Voſſium de iſtarum mutatione litterarum adſpergit. *Acieris* forte (nam aſſeverare hocce non auſim) decurtatum ex הקרדם *acardom* idem. Sane Voſſius ait; *diſpici poſſet*, *an non origine ſit Hebræum*, *ut pleraque ſacrorum vocabula*. Etenim ſecundum Feſtum, *eſt ſecuris ærea*, *qua in Sacrificiis utebantur Sacerdotes*. Α'κόντιον, & ἄκων *jaculum*, *telum* fortaſſe erit ab הקנה *acne canna*, *arundo*, *culmus*; nam & veteres arundinibus faciebant ſagittas. Hinc Maro VII. Æn.499. ait: *Perque ilia venit arundo*.

Α"ρπη *falx* venit ab חרב *ereb gladius*, *culter*, *cultrum*; & late uti *ferrum* Latinis; *B* in *P* converſa. Βήρικες ſecundum Pollucem l. VI. & Athen. l. III. ſunt *mazæ factæ e farinis percolatis*, ſecundum vero Heſychium *gladii*. Quod attinet ad primam ſignificationem dictæ ex ברה *bara comedit*, unde & בריה *biria cibus*, *edulium*. Quod vero ſpectat ad alteram ſignificationem veniunt

niunt ex ברק *barac gladius*. Βράχος *hastæ cuspis*, & βρακετὸν omnino oriuntur ex *barak gladius*, addito ת; nam etiam dicitur *barakat*. Γένυς *acies gladii*, *securis*, & *gladius* ipse fluxit a קין *gain* seu *gen lancea*, *hasta*. Γαισὸς *gæsum* Bochartus ducere conatus est ex חיץ *chez* idem. *Cateja Isidoro genus est Gallici teli ex materia quam maxime lenta, quæ jacta quidem non longe propter gravitatem evolat, sed quo pervenit vi nimia perfringit. Proinde ad catejas pertinent hæc Ammiani L. 31:* Barbari ingentes clavas in nostros conjicientes ambustas, mucronesque acrius resistentium pectoribus illidentes sinistrum cornu perrumpunt. *Catejæ igitur nomen ab Hebræo verbo* כתת catat *id est* hostiles copias perrumpere, & perstringere. *Ita sumitur Num.XIV.* . . . . . . *Ex* כתת *dicendum esset* catteja *duplici T. Sed huic verbo id proprium est, ut alterum* ת *excidat, ut in* ואכת *Deuter. IX. 21. & in* ויכתום. *Num. XIV. 45. & in* ויכתו *Deut. I. 44. Ideo nonnulli referunt ad defectiva* יכת *vel* נכת. Hæc de *cateja* Bochartus Geogr. S. l. I. c. LXII. col. 670. At cur ex pumice aquas postulamus? Venit porro ex חץ *cet sagitta*. *Celtis* genus scalpri dictum a חרט *ceret* idem. Κρώπιον, seu κρώβιον, uti scriptum exstat apud Hesychium, *falx*, facile factum ex חרב *cereb gladius*, & patet generatim, uti *ferrum* apud Latinos.

Δνοπαλίζειν, quod exponitur *agitare*, & *excutere manibus* emersit ab Hebræo התנפל (ת in Δ versa) ex נפל *napal*, quod in *Hiphil* est *dejecit*, *prostravit*, *fecit*, seu *curavit dejiciendum*. Plane opportune ex ipso נפל, abjecta de more defectivorum *Pe-Nun* principe littera, venit græcum πάλλω *quatio*, *vibro*, *commoveo*. Hinc πάλλειν κλήρους *movere*, vel *quatere sortes* apud Homerum exponitur. Apud Hebræos Esth. III. 7. הפיל פור videtur esse idem, ac *fecit* πάλλειν κλήρους. Ideo LXX reddiderunt ἔβαλε κλήρους; nimirum *jecit sortes*, sicuti quoque sanius accipitur apud Homerum. Ὕπερος *pistillum* exstat ab הפיר *epir* ex פור *rumpere*, *frangere*. Τέμνω *seco*, *scindo*, *amputo* fluxit ex Hebræo דמה *dama*, unde דמי *demi rescissio*, & in *Niphal* נדמה *succidi*, *excindi*, conversa *D* in *T*; quo nil usitatius. Φλάω *contundo*, *contero* a פור *phur*, quod in *hiphil* est *fregit*, *rupit*, derivatum. Tero *a* τερέω, *quod est* perforo: *Latini enim sua verba formare solent a circumflexis, ut* ἀρόω, ἀρῶ, aro; στάω, στῶ sto; δόω, δῶ do &c. Hæc Vossius de origine. Sed aliud Gr. τερέω, aliud *tero*. Hinc *tero* factum ex תרעע *taraa*, seu *tera* ex רעע Chaldaico *fregit*, *confregit*, *contrivit*, *trivit*. Τερέω vero *perforo* deducitur a רצע *rata*, quod idem est, per metathesin. *Fodio*, Grammaticis ineptiis missis, derivamus a פרע *feda*, *scidit*, *vulneravit*. Ἐνόω, *quatio*, unde ἔνοσις, male ab ἕν, ἕνος *unus* derivatur. Nam ἀμέσως exstat ab הניע *eniah* ex נוע *nuah agitavit*, *commovit*. Hoc adeo verum, ut quam maxime. Ceterum falso ἑνόω ducitur ab ἓν *unum*, nam ἐνόω alio spritu, & significatione gaudet, quam ἓν *unum*, unde venit ἕνωσις. Κολάπτω *tundo*, *excavo*, *incido*, *insculpo*, factum ab חלף *calap mutavit*, *innovavit*, *excidit*, *conscidit*.

Clava exponitur *ramus ex arbore recisus cum nodis* forte orta est a קורה *core trabs R* in *L* versa. Κορπύλη *clava*, fustis per metathesin fit a חוטר *coter virga*, alternante *R* atque altero in *L* verso. Κορύνη *clava* descen-

de-

re videtur a קורה *core trabs* , id quod haud falsum arbitror . *Contus* , *si Isidorum audimus l. XVIII. c. V. dicitur quasi* conitus , *quia in* conum , *sive acutam rotunditatem desinit* . *Sed est Græcum* κοντὸς *apud Homerum Odyss. A. Erat quoque inter ea* , *quibus in arena pugnabatur* . *Lampridius in Commodo* : Virium ad conficiendas vires tantarum fuit ; ut elephantum conto transfigeret . *Qui pugnaret* conto , *dicebatur* contifex : *ubi* facere *est* occidere , *ut in* conficere , *&* interficere . *Gloss. vett.* Contifices , παραβόλους . Hactenus fere Vossius . *Contus* , & κοντὸς veniunt a חנית *canit hasta* , *lancea* . Interim heic admoneo , in *Contifex* verbum *facere* non esse *occidere* , sed potius *pugnare* ; nam κυρῶσαι est *facere conto*.

Γρόσφος , seu χρόσφος *telum* , *pilum* , *glans* , *sagitta* oritur a רשף *roseph pruna ignita* , *scintilla* , unde Psal. LXXVI. 4. רשפי קשת *scintillas arcus* , seu *scintillantes sagittas* , uti vertit Buxtorfius ; sane hoc vocabulum usurpatur de sagittis , fulminibus , & scintillis in libris Scripturæ poeticis . Monendum vero additam esse *x* ab initio , quod demonstrare supersedeo ; quandoquidem Vossius , aliique id evicerunt . *Corytus theca sagittarum* fluxit ex חרט *ceret cælum* , *stilus scribendi gratia* , & *loculi* ; id quod perplacet . Κόρυς *galea* , *cassis* omni dubio procul ortum a כידון *cidon* , quod exponitur *lancea* , & *humerale* , *armatura* , *scutum* , *D* in *R* versa . Λάβρυ *securis* Lydorum lingua dicebatur . Hinc apud Cares Jovis Λαβραδέως *simulacrum erat securim manu tenens* . Haud pigeat ducere ex להב *laab mucro* , alternante *L* , atque altero in *R* verso . Nisi mavis fluxisse ex חרב *gladius* , seu *ferrum* , uti late sumitur , unde *rabre* , & postea Λάβρυ . *Materis* , *mataris* , & *matara* genus *lanceæ* apud Celtas adhibitum . Plane hoc vocabulum venit ex Orientali מעצר *maatzad securis* , *ascia* , *delabra* : cui magis favet alia lectio scilicet *mazara* . *Sacena* apud Festum exponitur *dolabra Pontificalis* . Porro ista lexis videtur duntaxat apud Veteres usitata , & esse sacra , idcirco ab Oriente petenda . Peropportune orta est ab Hebræo שכין *saçin* , quod exponitur vulgo *culter* . Nam Aquila in Proverb. XXIII. 2. vertit μαχαίραν . Ῥάβδος *virga* facta est ex שבט *sabet* idem , *S* in *R* versa , & *T* in *D* . *Rumices* ; *Rumex* . . . . . . *Est & rumex teli genus* , *simile* spari Gallici : *teste Festo* , *qui illud Lucillii laudat*

Tum spara , tum rumices , portantur tragula porro .

Scio esse viros eruditos , *qui* murices *reponant* . *Sed ea vox primam habet porrectam* . *Præterea Festus sive Verrius reponit inter voces ab* R *inchoatas* . Ita Vossius . Plane hoc vocabulum est priscum , ideoque verisimile est ab Hebræo fonte profectum , nimirum ex Hebræo רמח *romac* , seu *rumac spiculum* ; nam ו *cholem* , seu *O* apud Hebræos fungitur vice *U* , & *O* . Id quod impense placet .

Sica . Si hujus vocis originem investigare germanam amaveris , Orientem versus proficisci oportet . Nam quæ de ejus origine tradunt Grammatici , & Vossius , gerræ germanæ audiunt . Porro *sica* ἀμέσως fit ab שכין *sacin culter* . *Sarpa* vox barbara , quæ exponitur *falx vinitoria* , & Σκέπαρνον *ascia* , *dolabra* , & *bipennis* ambo dicta ex צפרון *tzipron stilus* , *scalprum* .

Σμινύη, seu Ζμινύη *dolabra*, *ligo*; δίκελλα, σκαφεῖον, ἀξινάριον. Ælius Dionys. Dicta ab זמר *zamar putavit*, *præcidit*, unde מזמרות *mazmerot falces putatoriæ*; unde fortasse etiam σμίλη traxit originem. *Telum* a τῆλε, sive τῆλε, vel τήλοθι hoc est *procul* Festus, Servius, aliique ad unum omnes ducunt. Mazochius in suis additamentis apud Vossium in voce *Bellum* sanius præ ceteris ratus ait. *Frustra sunt, qui per Græciam, aut Latium circumferunt oculos, sicubi vestigia etymologiæ reperiant, quæ non alibi, quam in Oriente est. Nam* telum *non est aliud, quam ipsissimum Hebraicum* שלח selah (*quod omne genus missilia significat, tam quæ eminus jaculari solent, quam quæ cominus; etiam sæpissime* gladium) *sed Chaldæorum more* Sin *in* Tau *mutantium ex* selah *fit* telah; *deinde cum terminatione Latina Telum*. Quam etymologiam Mazochianam amplecterer, atque in ea acquiescerem, nisi nulla adhibita mutatione occurreret ipsum Hebræum טול *tul jecit, jaculatus est*, sicuti βέλος ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Ὀβελὸς *veru* venit ab עבר *transiit*, & *repagulavit*, unde Chaldaice עברין *repagula*, *vectes*, *R* in *L* versa. Sane ab ipso עבר *eber* ortum apud Latinos *veru*. *Jacio* unde factum, mire fabulantur apud Vossium. Factum sane ex יעה *iaga*, seu *jaca ejecit*, *removit*. Ὑσσὸς a quibusdam exponitur *verutum*, *missile*, apud alios *pilum*, seu *telum*, atque etiam *gæsum*. Verum ὑσσὸν deprehendere mihi videor in ipso Hebraico חץ *etz*, quod exponunt *sagittam*, ex חצץ *ezez jaculari*. Id quod me magnopere delectat. Τιήρη exponitur ὀξύ, forte venit ab צור *tzur*, seu *tur acies*, *acumen*. Στύραξ item *cuspis teli*, seu *hastæ* fluxit ab ipso צור *stor*, seu *styr* (nam ut sexcenties monui ו Hebraicum apud Græcos in *v hypsilon* transit) *acies*, *acumen*. Σαύρωτηξ, & σαύρωτη *cuspis hastæ*, & *spiculum hastæ* apud Suidam, & Hesychium. Sane factum hoc vocabulum ex צור *stor acies*, *acumen cultri*, & *gladii*, atque ipse *gladius*, seu *culter acutus*.

Culter forte factum ex מאכלת *maacelet culter*, & *gladius* (ex אכל), abscisso מ formativo, & addita terminatione; unde nempe ex *maachelet* ortum Græcum μάχαιρα. *Sicilices* exponuntur *spicula hastarum*, *lancearum*, *venabulorum*, videntur descendere a שכין *sacin culter*, unde & *sicelia* emersit. Ab ipso שכין *sacin culter*, compositum *secespita*, & ex פצירה *petira*, quam vocem exponunt *limam*. *Uncus*, auctore Vossio, *maxime placet esse contractum ex ὄγκινος. Nam quod Latini uncum, vel hamum, id Græcis ὄγκη, vel ὄγκινος. Hesychius v. ὄγκη, γωνία, μέγεθος. Et Hesychius in sagittis, quas hamatas Ovidius vocat*, cuspidis hamum *ὄγκινον vocat l. I. Aristophanis quoque Interpres sic loquitur* ὀβελίσκον κάμψας, ὥσπερ ὄγκινον ποιήσας. Hæc ipse. Porro utrumque venit ex חוח *oac*, seu *oc hamus*, *uncus*. *Marra instrumentum* rusticum Columellæ, ac Juvenali, Gr. μάῤῥον, quod Hesychius esse dicit ἐργαλεῖον σιδηροῦν. Ita Vossius. Porro factum autumo ex מורה *mora novacula*. *Cuspis* est a קצב *cazab præcidit*; unde קצב *ceseb præcisio*, *cæsura*. *Sarissa* σάρισσα *hasta Macedonica*, seu *venabulum Macedonicum* descendit ex צור *sur gladius*, *culter acutus*, alternante צ. Λισγάριον, & λίσγος notant *ligonem*, alterum exstat apud Artemidorum, primum apud Scholiasten Theocriti Idyll. IV. ubi ait: Σκαπάνη ἤγουν δίκελλαν, ἢ λισγάριον, ἢ σκάφιον.

 Sane

Sane κλιγος venit a זלג *falag* per metathesin, *fuscina*. Ab ipso זלג ducere haud me pœnitet *valgium*. *Vallus est diminutivum a* varus *hoc est* palus: *Maro II. Georg.*

Quadrifidasque sudes, & acuto robore vallos.

Ubi sic Servius: Bis idem dixit, nam & valli & sudes idem sunt. Hæc Vossius. Porro *varus*, unde *vallus* est a בריח *veriah*, seu *varah vectis*, *repagulum*, unde etiam profectum βάλβις. *Romphæa* ρομφαῖα. *Apud Agellium l. X. c. XXV. legitur* rumpia, *& dicitur esse* genus teli Thracæ nationis, positumque hoc vocabulum in Q. Ennii annali quartodecimo. *Pro ea & framea dicitur. Isidorus l. XVIII. Orig. c. VI.* Framea gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatam vocant. Ipsa est & romphæa . . . . *Quod ad etymon spectat magis placet dici a ῥέμβεσθαι hoc est* circumago . . . . *Vel tum* romphæa, *vel* rumpia *tum etiam* framea *veniunt ab Hebræo* רמה, *quod est* jacere, dejicere, jaculari: *unde* rompia *vel* romphia *erit inserto P*. Hæc fere Vossius. Verum simplicius reor *rumpia* esse ab חרב *ereb gladius* (abscissa initiali ח) unde per metathesin venit etiam *βίρρη forceps*, *falx*. Sane חרב apud Hebraeos late patet, sicuti *ferrum* Latinis. *Framea* derivari potest ab Orientali חרמש *chermes falx messorum* versa *CH* in *F*, quam mutationem testatur Vossius. Apposite dicitur apud Tacitum esse vox Germanica, scilicet Orientalis.

Α῎ρμαν *bellum* ab הלחם *alaam pugnare*, *L* in *R* versa. Bochartus in differt. de Æn. adventu in Ital. quæ adnexa est tom. II. hæc habet: Α῾ρμάτειον μέλος *cantio est quædam apud Euripidem in Oreste, quæ diversimode exponitur, pars maxima credit esse Phrygiam. In Etymologico Magno Palamedes ait, cantilenam esse militarem, ita dictam de vocabulo* Α῎ρμαν, *quod in Phrygia* bellum *denotet*. Ita cit. Auctor. Μῶλος *bellum*, *pugna* oritur a מלחמה *milama bellum* ex לחם *laam pugnare*, cui respondet μωλέω *pugno*. Μόθος *bellum*, *pugna*, *tumultus* ab המית *amit strepitus*, *tumultus*. Ε῎νυω *Bellona Dea bellica* dicta ab חנה *ana castrametatus est*, & חנות *anit hasta*, *lancea*, & מחנה *castra*, *acies*. Sane Juno *Curitis* dicta est ab *hasta*. *Miles* frustra a *mollitie*, seu a *meles*, vel a *mile*, pro *mille*. Nam ἀμίσως fluxit ex מלחמה *milama pugna*, *bellum* ex לחם *pugnator*; quippe quia nihil aliud miles præstat, nisi *pugnare*. *Agiades milites Asiatici* dicti ab אגדה *aguda agmen*, *cuneus militum*. Sane cum sint Asiatici, inde nomen emergere debuit. Adde quod ista vox refertur inter barbaras a Facciolato. *Tumultus* omnino factum ex תמולת *tamulat tumultus*, versa priore ה, atque ultima in ה. Τύρβη *tumultus*, *turba* facta est ex תרבות. Τ῾άμια *tumultus* pariter exponitur. Forte est ipsum המה *ema tumultuatus est*, unde המיה *emia strepitus*, *tumultus*.

Συανία depravate θυανία, sicuti emendat Bochartus Tom. I. Hieroz. c. 349. v. 40. ubi ait: *Quo pertinet illa Epicharmi gradatio*. Ε῎κ μὲν θυσίας θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο (χάριεν ὥς γέ μοι) ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δὲ ἐγένετο θυανία, ἐκ δὲ θυανίας δίκη, ἐκ δὲ δίκης καταδίκη, ἐκ

'κ δὲ καταδίκης πέδαι τε, καὶ σφάκελος, καὶ ζημία. E ſacrificio epulum, ex epulo compotatio fuit (quod mihi perjucundum) ex compotatione protervia, ex protervia convitium, ex convitio lis, ex lite condemnatio, ex qua compedes, & cippus, & mulcta. *Pro* ~~*θυανία voce*~~ *nihili reſcribo συανία id eſt λοιδορία, καὶ ἡ διὰ χειρὸς μάχη*, convitium, & manuum conſertio. *Et pro σφάκελος, quæ vox nihil ſignificat ad rem, σφαλλὸς, id eſt, ξύλινον ποδῶν δεσμωτήριον* ligneum pedum, vinculum. *Utrumque eſt in Heſychio*. Hactenus Bochartus. Ut ad rem veniamus fluxit *συανία* ab Hebraico שנינה *ſenina dicterium, dictum acutum* ex שנן *ſanan acuere*, unde שן *dens, ſcopulus acutus*; quod accedit alteri ſignificationi hujus vocis.

CAPUT III.

CAdo, *ἠμύω*, ſcabo, *ſcobs*, *ἀράσσω*, *τύπτω*, *σπαράσσω*, *σφάζω*, *ὀλλύω*, *τρέω*, *πτοέω*, *ὀλόπτω*, *σμύχω*, *ἐρείπω hebrææ originis exſiſtunt*. Caſſis *vox tuſca*; armilauſa *hybrida lexis*; crates, *κυρηβάω*, *νίκη*, hamus, laberna, *πέρθω*, divido, orge, *τείρω*, *ὀδύνη*, *ἀχέω*, *λύπη*, doleo, mœror, *κότος*, *ὄργη*, *δείλος*, *δέος*, *δίω*, metus, *μόθος*, *φοβέω*, *βολαὶ*, *ρέμω*, *ἀτέμβω*, *κινύρομαι*, *ὀδύρομαι*, *θρέω*, lamentum, *ἰάλεμος*, lugeo, *μέρμνα*, *ἐριννύς*, *ὀϊζὺς*, *οἶτος*, *οἶκτος*, miſer, caſſus, *κῆδος*, *ὀχθέω*, *ἔλεος*, *δύη*, ſons, fribolum, *ἄτη*, *πότμος*, orbare, *ὀρφὸς*, cimber, *κλέπτω*, *λείπω ab Oriente fluxerunt*. Guvia, *σκάμβυκες*, varus, vara. *Facciolatus notatus*. Vibia, ſublices, *σταυρὸς*, crux, *ἴκριον Hebræis natales acceptos referunt*.

CAdo apud Voſſium derivatur à *κάτω* hoc eſt *deorſum*, & a *χάζω cedo*, cujus aoriſt. II. *χαδεῖν*. Neque deſunt qui ducant a *χάω* hoc eſt *hiſco*. Verum nugæ canoræ. Nam *cado* venit ab Orientali כשל *caſal*, ש in *D* verſa. Hebræa vox ſonat *corruere*, *labi*, & ipſum *cadere*. Id adeo verum, ut inde etiam veniat Italicum *caſcare*, nempe ex *caſcal*. Ἡ*μύω cado*, *inclino* ab המעד *emaad vacillavit*, *nutavit*, *lapſus eſt*. *Scabo*, & *ſcobs* derivantur a שבב *ſcabab fragmentum*, ſeu ipſum *ſcobs*. Ἀ*ράσσω*, *ἀράττω amputo*, *abſcindo*, *tundo*, *dejicio* ab הרץ *araz* ex רצץ *razaz*; *quaſſavit*, *confregit*, *colliſit*. Τ*ύπτω verbero*, & Τ*υπτέω verbero*, *percutio*, *tundo* factum a הפעם *tipaam* ex פעם *pulſavit*, *percuſſit*. Σ*παράσσω lacero*, *dilanio* fit ab Hebræo פרץ *paraz rupit*, *fregit*, Σ initiali addita; de qua adi Voſſium. Σ*φάζω macto* veriſſime factum ab זבח *zabah* idem, alternante *Z*, atque *Z* in *S*, & *β* in *φ* abeuntibus. Ὀ*λλύω perdo*, *perniciem affero* venit ab עולל *olel male affecit*, *confecit*. Τ*ρέω tremo* a תרעלה *tarela horror*, *tremor* ex רעל idem. Π*τοέω terreſacio* derivatur a פחד *paad pavit*, *expavit*, atque in *Itpahel exterruit*, duntaxat *D* in *T* verſa. Ὀ*λόπτω vellico*, *decortico* exſtat ab חלף *alap excidit*, *immutavit*. Σ*μύχω attero*, *abſumo*, *corrumpo* factum a מחץ *macaz fregit*, *vul-*

ner-

neravit, *percussit*. Ἐρείπω *everto*, *demolior*, *prosterno* venit ab הרופף *cropep concussit*, *quassavit*. Ῥαίζω *profligo* ab הרס idem, vel a רצץ *razaz quassavit*. Κεάζω *findo*, *frango* a קצה *caza amputavit*, *scidit*.

Cassis *pro* galea *est a Tuscis*, *ac dici videtur quasi* carassis *a* κάρα *id est* caput. Ait Vossius. Jure vir summus, & acute putat hanc vocem ortam a Tuscis, sed male dictam credit quasi *carassis* a κάρα. Verosimilius videtur esse ab Hebraico כסה *casa texit*, *occultavit*, *celavit*, unde כסוי *cesui* & כסות *cesut tegumen*, *operimentum*. Armilausa, æ, vestis genus rubri coloris, forte sagum militare. *Isid. Orig. lib. XIX. c.* 22. *Armilausa vulgo vocata*, *quod ante atque retro divisa*, *& aperta est*, *in armis tantùm clausa*; *quasi armiclausa*. Paul. Nolan. ep. 22. post init. *Sibi illi habeant armilausam suam*, *& suas caligas*. Meminit & Juvenalis Scholiastes *ad Sat. V. vers.* 143. Hæc Facciolatus apud Calepinum. Porro vestis sine dubio est militaris; sed num ista vox constat ex *armis* hoc est ὅπλοις, an ex *armis* scilicet *humeris* dubito; in quam sententiam descendit Isidorus loco citato. Altera vocis pars est *lausa*, quæ fluxit ab Orientali לבש *lavas vestivit*, *induit se*, unde לבוש *leus vestimentum*. *Crates* rara quædam lignorum, viminum, vel ferramentorum connexio venit a Chaldaico קטר *catar ligavit*, *colligavit*. Κυρηβάω *pugno*, & *occurso cornubus* factum a קרב *accessit*, *congressus est*, unde קרב *cereb pugna*, *prælium*. Νίκη *victoria*; & νικάω *vinco* ducuntur a נצח *nizeah vicit*, *superavit* צ in C versa. *Hamus* ab חמס *amas abstulit*, *arripuit*. *Laberna* vox barbara, quæ exponitur ferramentum latronum, vel furum, dicta ab להב *laab mucro*, *acies*. Πέρθω *perdo*, *diruo*, *everto* factum ex פרץ *paratz rupit*, *irrupit*, *disrupit*. *Divido* fit ab *di*, & *vido*. Hoc vero ἀμέσως ab בדל *vadal separavit*, *discrevit*. *Orge* in Glossis Isidori exponitur *occide*. Puto dictum ex הרג *arag occidit*, *interfecit*. Τείρω *vexo*, *affligo* ab Hebræo צור *tur arctavit*, *hostiliter pressit*, unde הציר *etir pressit*, *angustia affecit*, *anxit*, & צר *tar angustia*.

Ὀδύνη *dolor* dictus est per metathesin ab חנור *anud* ex נור *nud doluit*. Ἀχέω *doleo*, *ægre fero*, *tristor* fit ab הכאה *ica ægritudine*, seu *dolore afficere*. Λύπη *doleo* a דאב *daab doluit*, unde דאבה *deaba mœror*, *D* in *L*, atque *B* in *P* versa. *Doleo* fit a תחל *taal* ex חול *ul doluit*. *Mœror* factum a מר, quod idem est; Quod etymon etiam vidit Vossius. Κότος *ira*, nisi ineptire amas, ducas a כעס *caas indignatus est*; & *indignatio*, *ira*. Ὀργη item *ira* venit ab הרגיז *irgiz* ex רגז *ragaz commoveri ira*, und רגז *regaz ira*. Δεῖλος *timidus*, unde δειλόω, manavit a Chaldaico דחל *deal timuit*, unde etiam δέος *timor*; & δείδω, & δίω idem. *Metuo metus* a μόθος. *Nam* μόθος *inter alia etiam* φόβον, *sive* metum *signat*, *ut Hesychius testatur*. *Absque hoc esset*, *non incommode deduxeris ab Jonuo* μεθιέναι *pro* μεθιέναι, *sive a* μεθίημι *hoc est* remitto. *Ac non audiendus Nunnesius*, *qui* metuo κατὰ μετάθεσιν *putat fieri a* δαμάω domo. Hæc ferme Vossius de vocis origine. *Metus* ἀμέσως fluxit ab Orientali מחתה *meita terror* ex חתת *catat territus*, *consternatus fuit*, unde etiam venit μάθος Hesychianum. Ab ipsa voce מחתה *maita* per metathesin forte evasit *timeo*. Φοβέω *timeo* ortum a פחד *faad*, alternan-

nante *P*, atque in *B* versa. Ἀγάλλομαι, & ἀγαλλιάω *exulto* ab חגול *agul* idem.

Βολαὶ dicebantur olim *dolores partus*. Apposite hoc vocabulum descendit ab *ebel* חבל *dolor parturientium*, ut in Jes. LXVI. 7. Ῥέμω *doleo*, *penetro*, *putrefacio* venit a רמם *ramam verminosum fieri*. Ἀτέμβω *contristo*, *tristitia afficio* fit ab האריב *eedib dolere fecit*. Κινύρομαι *lamentor* emersit a קונן *conen lamentatus est*, unde קינה *cina lamentatio*. Ὀδύρομαι *ploro*, *gemo*, *fleo*; sed advertendum prius fuisse ὀδύρω licet inusitatum, cujus origo detegenda. Porro ὀδύρω per metathesin venit ab חריד *erid plorare*. Θρέειν secundum Hesychium est θρηνεῖν, & θρεομένη θρηνοῦσα, & θρεόμενον ὀλοφυρόμενον. Itaque & θρέειν, & θρῆνος *luctus*, *lamentatio* veniunt a תרוד *tarud plangere*, *plorare*. *Lamentum*, & *lamentari*. Delirant Grammatici in assignanda ejus origine. At *lamentum* videtur productum ex *lamen*. Hoc autem factum ex דמע *dama lacrimatus est*, unde *D* in *L* versa fit *lamen*, ex quo *lamentum* fruticat. Ex ipso ידמע *idma*, seu *iadama lacrymatus est*, emersit Græcum ἰάλεμος *lamentum*, *ploratus*. *Lugeo*, & *luctus*, descendere videntur ex נוגה *nuga mœsta* ab הוגה *mœstitia affecit*, *N* in *L* versa. Quare *lugeo*, & *luctus* sæpe sumuntur pro *habitu*, *vultu*, & *veste luctus*, seu *lucubri*, seu *mœstitiæ*. Hinc Livius lib. II. ait: *Matronæ Junium Brutum annum, ut parentem luxere, & tanto tempore P. Valerium*. Idem l. XXII. c. 56. narrat post Cannensem cladem Senatus-Consulto cautum esse, ne Matronæ ultra triginta dies in luctu essent; quod decretum pro dolore accipi non posse contendit sapienter Valla, quandoquidem in potestate Senatus non erat dolori imperare, sed potius vesti lucubri, ceterisque externis doloris indiciis. Id liquido apparet ex Valerio Max. l. I. c. I. n. 15. ubi idem in hunc modum refert: *Senatus per pugnam Cannensem decrevit, ne Matronæ ultra trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his Sacra Cereris peragi possent: quia majore pene Romanorum parte virorum in exsecrabili solo jacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque Matres, ac filiæ, conjugesque, ac Sorores nuper interfectorum abstersis lacrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare tura sunt coactæ*. Ita Valerius M. Μέριμνα *cura*, *sollicitudo* omnino dicta ex מררים *merorim amaritudines*, *exacerbationes*; unde etiam dictum μερμαίρω *curo*, & μέρμερος, & μέρμηρα *sollicitudo*, *cura* geminata voce ex מר *mar*, seu מרר *marar*. Ἐριννὺς forte dicta ab חרון *ira*. Ὀϊζὺς *ærumna*, *miseria* ab הציר *ezir angustia affecit*, *pressit*, *anxit*. Οἶτος *miseria*, *calamitas*, *interitus*, *exitium* dictum ab איד *ed interitus*, *calamitas*, *exitium*, ד in *T* versa. Οἶκτος *misericordia*, *miseratio* ab התחנן *itcanon*, per metathesin ex חנן *canan misericors*, *misertus fuit*. Ἔλεος *misericordia* venit ab חלה *ala deprecari*. *Miser* frustra derivatur apud Vossium ex μύσος *scelus*, vel a μισῶ *odi*, aut a μέλεος. Neque recte ducitur a Mazochio ex מצער *misar parvus*. Nam venit vel ab מצר *mesar angustia*, *pressio*, vel ab מחסור *masor egestas*, *penuria* ex חסר *hasar defuit*, *defecit*, *caruit*. *Cassus* pullulat a חסר idem. Nam nullo pacto ex *careo* extundi poterat. Etenim ex *caritum* fieret *cartum*, non *cassum*.

Kn-

Κῆδος cura, *sollicitudo*, *mœror*, *luctus*, *tristitia* fortasse fluxit ex קוץ *qutz tædere*, & *vigilare*. Ὀχθέω *indignor*, *gravor*, *gravate fero* exstat ab הקיץ *ecit tædio afficere*, ex קוץ, vel ab הקוט *acut fastidio fuit*. Δύη *infortunium*, *miseria*, *calamitas*, *ærumna* ducitur per metathesin ab Hebræo איד *ed* seu *id*, quod idem est. *Sons* exponitur βλαβερὸς, & ducitur a σίνω *noceo*, unde σίνης. Id vero venire videtur ab אסון *ason exitium*, *damnum*, *calamitas*. *Fribolum* si Isidoro fides præstanda, est *divortii genus*, lib. X. cap.8. Hæc lexis licet caret Latini Auctoris exemplo, attamen inde manavisse videtur *fribusculum* apud Ictos. Videsis leg. 32. Dig. de don. int. viv. & leg. 31. Dig. de jur. dot. Haud immerito *fribolum* suam originem acceptam referre debet Orientali linguæ: Nimirum fluxit ex Hebræo פרד *farad separavit*, *divortium fecit*. Ἄτη *damnum*, *noxa*, & ἀτάω *lædo*, *noceo*, *noxam*, *damnum affero* fluxit ab Hebræo איד *ed*, seu *ad* (si τῦ *aleph* rationem aliquam habere curæ nobis est) *damnum*, *exitium*, *calamitas*; *D* in *T* versa. Πότμος *sors*, *fatum*, *casus*, *interitus*, *mors* videtur fluxisse ex פיד *pid oppressio*, *infortunium*, *casus*, sive *eventus malus*, *calamitas*, *perditio*. *Orbare*. *Est ab* orbus . . . . . . : . . Orbus *vero dicitur ab* ὀρφὸς, *quod idem ac* ὀρφανὸς. *Sane apud Hesychium est*, ὀρφοβόται, ἐπίτροποι ὀρφανῶν *hoc est* curatores orphanorum. *Quod si cui vox* ὀρφὸς *suspecta est: per me licebit*, *ut* orbus *dici putet*, *quasi* orphanus *ab* ὀρφανὸς *hoc* (*ut Etymologici Magni auctor ait*) *venit ab* ὀρφνὴ *hoc est* σκοτία, *ut* ὀρφανὸς *sic dicatur quasi* ὀρφνὸς *hoc est* σκοτεινός, *quia nempe* in tenebris, ac squallore versatur. Hæc Vossius, qui sæpe tamquam νήπιος Græculorum delirantium vestigia premit. Porro veriloquium ab uno Oriente arcessi potest. Hinc *orbo*, & ὀρφανὸς, seu ὀρφὸς Hesychianum descendunt ἀμίσως ab Orientali חורב *ereb vastitas*, *desolatio* ex חרב *harab vastari*, *desolari*. *Cimber*, si Festo credere fas est, lingua gallica denotat *latronem*. Porro fluxit ab Hebræo גנב *ganab furatus est*, *surripuit*, *G* in *C*, & *N* in *M* versis; nam hæ litteræ affines sunt. Hinc ex *Gamal Camelus*. Ex ipso גנב *ganab* ortum quoque gr. κλέπτω *furor*, *surripio*. Λείπω *linquo*, *relinquo*, *desum*, *deficio* factum a רפה *rapa remittere*, *deficere*, & *ripa remissum reddit*, *destituit*; *R* in *L* conversa.

Guvia, *lignarii instrumentum fabri*. Isid. lib. XIX. c. 19. *Cantherium gallice guvia*. Ita Bochartus tom. II. col. 1210. Sane *guvia*, quod est *cantherius* venit ab גב *gav*, unde גבים *gevim cantherii*, *trabes*. *Guvia* vero *vas vitreum* fortasse a גביע *scyphus*. Σκάμβυκες quid sint, præter alios, docet Vossius in voce *Varus*, ubi ait: *Varos esse furcillas*, *argumento est*, *quod sic interdum dicantur furcillæ*, *quibus tolluntur retia*, *quæ* σκανδάληθρα καὶ σκάμβυκες *Græcis dicuntur*. Porro τῦ σκάμβυκες singularis debet esse σκάμβυξ. Id vero fluxit ex Hebræo גב *gab*, unde גבים *gebim trabes*, *S* addita ab initio, id quod Græcis familiare esse arguit Vossius in de permut. litt. ubi ita habet: *Plenioris soni gratia* Σ *principiis vocabulorum sæpe numero addebant Græci*, *dicentes* φῶ, σφῶ, φάζω, σφάζω, μῶ, σμῶ, σμήχω, μέρδω, σμέρδω, μῦς, σμῦς, μύδρος, σμύδρος, quæ ex antiquis auctoribus adducit Hesychius. Dicebant quoque σμίκρος, & σμύραινα pro μίκρος, & μύραινα. Hæc Vossius. Cui alia addi possent, uti

σμα

σμάραγδος pro *μάραγδος*, *σφάκελος* pro *φάκελος* atque alia id genus. *Varus*, ſeu *vari* quid denotent, diſcimus ex Varronis quarto de L. L. *Vallum*, ait, *vel quod ea variæ ærumnæ eſſent*: Nam ærumnæ ſecundum Feſtum ſunt *furcillæ*. Idem evincitur ex Lucano lib. IV. ubi ait:

Aut dum diſpoſitis attollat retia varis
Venator.

Ubi ſane nihil aliud ſunt *vari*, niſi furcillæ, quibus tolluntur retia, quæ apud Græcos dicuntur *σκανδάληθρα*, & *σκάμβυκες*. Videſis Voſſium in hac voce. At Facciolatus in *vara* apud Lucanum loco citato non *varos* maſculino genere, ſed *varas* eſſe intelligendas contendit. Ait enim: *Varæ ſunt furcillæ bicornes erectæ, quibus retia ad aucupium tenduntur*. Verum infirmam cauſſam fovendam aggreſſus videtur Facciolatus, qua facile cadet, quoſcumque judices adhibuerit. Nam liquido, & manifeſte Varro facit a Voſſio, quandoquidem Varro ait: *vari, ac ærumnæ eſſent*. Haud vero inficiari poſſumus occurrere apud auctores vocem *varam*, & *varas*, quæ *lignum tranſverſarium* deſignat. Quod attinet ad etymon cum *varus*, tum *vara*, atque ipſa *vibia* dicta ab בריח *veria vectis*, vel Chaldaico עבריץ *averin repagula*, ע, utpote quod eſt ſpiritus, in *S* verſa, & *R* in *L* abeunte. *Σταυρὸς palus*, *vallus* videtur deſcendere ex שתל *ſatal*, unde שתילים *ſetilim plantæ*, *L* in *R* verſa. *Crux unde ſit*, *obſcurum eſt: nec puto etymon ejus crucem Grammaticis figere debere. Videtur proxime accedere ad ἰκρίον, quod notat* palum erectum, *vel* tabulam arrectariam. *Sane & Heſychio eſſe dicitur σανιδίωμα ἢ ξύλον ἐν ᾧ οἱ κακοῦργοι ξέονται. Atque ita apud Suidam legas, ἰκρίῳ ἰουδαῖοι τὸν Σωτῆρα προσήλωσαν*. Hæc Voſſius de origine. Porro autem *ἰκρίον* venit ab הקורה *acora trabs* ex קרה *contabulare*, unde etiam *crux* evaſit, vel a קרש *cereſc tabula*, *aſſer*.

EXERCITATIO IX.

CAPUT I.

*D*Eus , θεὸς , thoyt *orientale audit . Notantur Grammatici .* Iſis, *unde*, & *cur* ſervatrix *dicta .* Curitis *Juno* , & curis haſta . *Ejus etymon . Falſus Mazochius .* Murcia, *quid*, & *unde .* Ceruſmanus *ab Oriente . Idem eſſe, ac* dominus cæli *evincitur .* Crepi , *iidem* , *ac* Luperci *ſecundum Feſtum .* Comotriæ *Veſtæ miniſtræ . Ab ejus miniſterio ſibi partum nomen .* Veleda *virgo apud Germanos ; tantumdem valet apud Hebræos .* Corybantes *ab* קרב, *vel* כרוב , *vel a* חובר . Aruns , Erichtho magum *denotant .* Μάγγανον *uti diverſa notat, ita diverſæ originis eſt .* Carmen *prius* caſmen, & caſmenæ *a Phœnicio* קסם *nuncupatæ .* Λῖνος , αἴλινος , nænia, οἴμη, rumor, hymnus , hymen , ὕδω , αὐλὸς , laus, ἐλλινίω , λάω , λαλέω , λάσκειν , λέσχη, convicium *ab Oriente profecta .* Aphrodite . *Grammaticorum nugæ .* Βινέω , ποιέω , ἕπω , opus *Hebræam originem jactant .* Duſius . *Occurritur Voſſio .* Druides , Œdipus , Evages ; *reſiſtitur Bocharto :* Brachmanes , Samanei *a plagis Orientis tranſmiſſa .* Gigantes *a* proceritate *dicti ; necnon ex* נפלים *dicti* νεφελογένεαι , νεφεληγερέτης Ζεὺς . *Ex ſimilitudine* νεφελῶν nubium *cum* nephilim *orta ſabula .* Phalantus, Aſtylus , Atlas , Riphæus *Phœnicio idiomate appellati .*

D*Eus* gr. θεὸς fruſtra a Grammaticis ducitur a θέειν *currere*, vel θεᾶσθαι *intueri* , vel δεὸς *timor* . Nam iſtud vocabulum eſt Orientale , uti mox patebit ; idcirco Phœnicium , ſive Hebræum etymon inveſtigandum . Heic autem rem ſic ordiri in animo eſt . *Deus* Latinis , Græcis θεὸς , hoc vero haud multum abludit ab Ægyptiaco *Thoyt* , quomodo nuncupabatur *Mercurius* , ſeu *Theutates* . Hinc Voſſius poſtquam pueriles Grammaticorum etymologias in medium protulit , ait : *Sed tamen verius puto ſic vocari a* די *id eſt* ſufficere , *unde* שדי , *quod ſolus Deus ſit* αὐταρκής . *Vel potius ab Ægyptio nomine Mercurii Alexandrini , quod Ciceroni eſt* Thoyt , *Arnobio* Theutates , *Lactantio* Theut , *Euſebio* Thoth , *unde & lubens deduxerim Germanicum* god : *quamquam vulgo* god *dici velint*, *quaſi* goet *id eſt* bonus . *Mihi propria magis conjectura placet , quia ſciam* Mercurium , *ut Ægyptiis* Thoth , *ita Teutonibus dictum* woth , & guoth, *ſive* guod , *unde* κατὰ συγκοπὴν god . *Paullus Warnefridi l.* 1. *de geſtis Langobardorum cap. IX.* Wodam ſane , quem adjecta littera Guodam (*ſic ſcribo*) dixerunt , ipſe eſt, qui apud Romanos Mercurius dicitur , & ab univerſis gentibus , ut Deus ado-

adoratur. Hæc auctor memoratus. At satis, superque miror, tantum virum hærere in assignanda ejus origine ab Ægyptio *Thoyt*. Porro dispiciendum, an vera sint, quæ litteris Scriptores commendarunt, atque hujus originis vestigia exstent in archetypo fonte Hebræo. Porro apud Hebræos Isai. c. XIX. 3. occurrit vox אטים *iththim divini*; nimirum quos consulebant Ægyptii; & quoniam prophetia propria Dei est, hinc vox אטים translata ad θεὸν denotandum. Ceterum vox אטים *iththim*, cum Isaias de Ægypto loquatur, videtur Ægyptiis familiaris, & significatio magis patuit; cui sane respondet Ægyptiacum *Thoyt*, de quo supra. Vocabulum אטים *itthim* sive significet *divinos*, sive potius sint *idola* Ægyptiorum, magis origo nostra firmatur. *Isis*, ait Vossius in Etymologo, *facile credo esse ab* אשה *hoc est* mulier. *Sed asseverare non ausim ejus cultum cepisse originem ex eo, quod Ægyptii ab Israelitis audissent virginem fore θεοτόκον, quæ conjectura est Casparis Peuceri de divinat. Exstispicum*. Ita Vossius. Verum facilius autumo *Isis* dictam ab ישע *iasa salvavit*, *servavit*, & *iesa salus*, *auxilium*, *conservatio*. Neque id temere. Nam Isidem sanitati restituendæ præesse crediderunt Ethnici, idcirco teste Pausania l. VIII. nomen *servatricis* apud Arcadas nacta est. Quod sane adprime quadrat etymo τῆς *Isidis*, quod præstitimus. Insuper idem suadent vota Isidi soluta ob valetudinem confirmatam, de quibus optime disserit Fabrettus c. VI. a p. 469. variisque inscriptionibus rem conficit. Hinc illa carmina Tibulli, quæ nos docent in Isidis templis tabellas curationum indices fuisse suspensas l. I. eleg. 3. ubi ait:

Nunc dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Præter Fabrettum loco superius allato adeatur Philippus a Turre in dissert. qua agit de Diis Aquilejensibus.

Curitis Juno dicta est a *curis hasta*. Vossius in voce *quiritare* ait: *Meo judicio a Curibus est* Quirites, *&* Quirinus; *non contra. Nam* Quirites *proprie, qui* Cures *incolebant Sabinorum oppidum, in quo regnabat Tatius* . . . . *Dubium vero, num* Curibus *sit nomen a* Curis, *quæ Sabinis, Festo teste**, hastam *significat: an* hastæ *a* populo hastato *sit impositum nomen*. Hæc ille de voce *Quirites*, & *Curis*; cur vero Juno dicta sit *Curitis* ne γρῦ quidem. Servius de *Quirino* disserens in I. Æn. affirmat sic fuisse nuncupatum, quod *hasta* uteretur, quæ Sabinorum lingua *curis* dicitur. Macrob. Saturn. l. I. cap. IX. *Quirinum* (scilicet Janum) *quasi bellorum potentem ab* hasta, *quam Sabini* curim *vocant*. Mazochius apud Vossium in voce *Curitis* ait: Curetis, *sive* Curitis (*quorum illud in Servio locis pluribus, hoc apud Festum in* Curitim, *&* in Çelibari *scriptum legitur*) *alierum erat Junonis nomen. Et quidem Junonem Faliscam sic appellatam fuisse, docuit Tertullianus Apologet. c. XXIV. his verbis:* Faliscorum in honorem Patris Curis, & accepit cognomen Juno. *Quamvis autem in eo dissentiat Septimius a ceteris, quod hi a* curis *hoc est* hasta *vulgo sic dictam velint, non a Patris sui nomine; tamen ex Florente nostro hoc discimus, quod* Curetis, *seu* Curitis *erat Faliscorum, hoc est Etruscorum numen. Verior tamen, fateor, ap-*

pel-

pellationis cauſa erat , quod Juno Faliſca haſtata erat : haſta autem Curis , *aut* Quiris *dicebatur : unde &* Quirino *etiam , &* Quiritibus *ajunt quæſitum nomen . At in cujuſnam linguæ peculio vox* curis *erat? In Sabinorum, ajunt. Verum cur a Sabino vocabulo dea , quæ Tuſcorum erat , nomen accepiſſet ? Atqui mihi facile perſuadeo , ita Sabinos vocem* Curim *uſurpaſſe , ut eam tamen primitus ab Etruſcis acceperint : de quo minime dubito . Maxime cum idem vocabulum ſit prorſus Orientalis originis . Hebraicum quidem* קִור Cur , *ſeu* quir (*cujus plurale uſurpat Iſaias*) telas *ſignificat : at* קורים Kurim , *ſeu* quirim *Chaldaice eſt* liciatorium ; *uſurpaturque in* Bereſit Rab. 49. . . . . *At texentium liciatorium ſimile haſtæ fuiſſe , conſtat ex pluribus Scripturæ locis ex I. Sam. XVII. 7. & II. Sam. XXI. 19. & I. Paral. XI. 23. XX. 5. Hinc facile & idem nomen ad utrumque ſignificandum uſurpabatur : & apud Tuſcos ex Oriente profectos* Kuris *ſive* Quiris *tum* liciatorium , *tum* haſtam *notabat* . Hæc Mazochius pereruditе de more ſuo adſtruit . Verum licet ne latum quidem unguem ab iis , quæ Auctor docuit diſcedere licet , tamen quod attinet ad etymon , diſſentire reor . Nam קור *telam* notat apud Hebræos , & quamvis קורים in Bereſit Rab. *liciatorium* valet, tamen tum quia *liciatorium* non eſt unum atque idem cum haſta , tum quia nemo eſſe certus potis eſt , hanc vocem קורים antiquitus , atque hoc ſenſu adhibitam apud Chaldæos , tum denique quia origo magis promta, atque verior nobis præſto eſt, ideo eam rejicimus. Porro *Curis haſtam* deſignabat, uti apud omnes in confeſſo eſt, atque ſupra oſtenſum. Atqui apud Hebræos eſt קורה *cora*, ſeu *cura* (nam uti alias ſæpe monui Hebraicum ו modo in *O*, modo in *U* tranſit) quod vulgo exponitur *trabs* , *tignum* , ſeu *haſta grandis* (quandoquidem apud Græcos δόρυ dicitur) idque factum Orientali loquendi genere , atque heroico modo . Idque mihi longe verius rem acu tangere videtur .

Murcia Dea amoris , ſeu Venus , & Dea ſegnium , quæque murcidos homines reddit , uti ait Auguſtin. l. IV. de Civ. Dei c. 16. & Arnob. lib. IV. Inde *murcidus* apud Plautum Epid. 3. c. 12. Sane iſtud vocabulum eſt domo Orientis; nam *ἀμέσως* fluxit ab מרך *morec* , ſeu *murec mollities* ex רכך *racac mollis , tener ſum* . Licet Venus *myrtea* dicta eſſet , tamen non a *myrtea* factum *Murcia* , quæcumque ea ſit Dea ; nam immanis eſt diſcrepantia inter utramque vocem , ſed ab Oriente uti vidimus . *Murgiſo iners , deſidioſus* ſecundum Feſtum . Dictus a מרגיז *margiz* ex רגז *ragaz contremiſcere* , ut ſit *trepidus* , *contremiſcens* ad aggrediendum opus . *Ceruſmanus* . Joſephus Scaliger cenſet *cerimonias* dici ab antiquo *cerus* id eſt *ſanctus* , unde in Saliari carmine *cerus manus* id eſt *ſanctus* , *bonuſque* . Vide Voſſium in voce *cærimonia* . Feſtus , ſeu ejus compilator Paulus Diaconus in voce *Matrem Matutam*, *cerus manus* interpretatur *creator bonus* . Verum in re veteri, atque obſcura non aliunde lux nobis affulgere poterit , niſi ab Oriente . Sane cum iſta vox ſit perantiqua , in carmine Saliari adhibita, atque Feſtus conjunxerit cum *Matre Matuta* , non alium eſſe puto , niſi *Solem*, qui creditus *pater auroræ* . Adde quod Solis cultus eſt vetuſtiſſimus . Sane fluxit ab Hebræis hocce vocabulum, nimirum a חרס *ceres ſol* , & אמן *aman nutrivit, fidelis fuit.*

 Sed

Sed potius eamdem vim habet *Cerusmanus*, ac *Balſamen* punicum; uti videre licet e Plautina Pœnulo, ubi Hanno Pœnus hac voce utitur. Hinc Philo Byblienſis ex Sanchoniatone Berythio apud Euſebium Præparat. Evangel. ait: τὸν γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνου οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμεν καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. Ad verbum igitur eſt, uti admonet Voſſius, Ζεὺς ὀλύμπιος: nimirum בעל שמים *baal ſcemaim* Hebraice, *dominus Cœli*. Et ſane *cerusmanus* fuerit *cerſamen*, pro כר שמים *car ſcemaim princeps Cœli*. Ceterum ſi *cerus ſanctum*, & *manus bonum* ſignificare certaveris, erit *cerus* a קדיש *cadis ſanctus*, *D* in *R* verſa, & *manus* ab אמן *fidelis*, *verax*. Sed priori ſententiæ hærendum.

Greppos, ſeu potius *Crepos* ait Feſtus, *Romani Lupercos dicebant, a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in Lupercalibus nudos diſcurrere, & pellibus obvias quaſque feminas ferire*. Profecto dictos credo a כפר *capar*, ſeu *cipper expiavit, expiationem fecit, placavit*, quod proprium erat Lupercorum, qui Lupercalia celebrabant, ſeu ſacrificia. Hinc fortaſſe ex נכפר *nicpar* idem, *N* in *L* verſa atque metatheſi adhibita fluxere *Luperci*; nam anilis fabula eſt eorum, qui de *lupo*, ſeu *lupa* deducunt. *Comotriæ*, *Romæ Veſtæ Miniſtræ nuncupatæ ſunt* uti Feſtus eſt auctor. *Comotria* autem Miniſtra Veſtæ non aliunde mihi dicta videtur, niſi ab Orientali voce כמר *camar*, quod in Niphal eſt *incaleſcere*, *flagrare*, *atrari*, unde participium כומרה *comera* nimirum femininum, & ה in ת abeunte *comerat* כומרת, & metatheſi facta τοῦ *R*, & *T Comotria*. Adde quod ex eodem כמר exſtat apud Hebræos כמרים *cemarim*, quos exponunt vulgo *ſacrificulos*, ſed proprie, *atratos*. Hinc in *Targum*, ut monet Buxtorfius כומרא & *pluraliter* כומרין *cumrin Sacerdotes gentiles*, & *idololatræ*. *Hodie Judæi Monachos ſic vocant*, & כומרית *cumrit eſt Monialis*. Appoſite *Comotriæ* Veſtæ Miniſtræ erant, quæ cum ignem fovere, atque nutrire deberent, mirum quantum inter ſe conveniant. *Veleda* erat quædam Virgo apud Germanos tantæ auctoritatis, ut ab eorum pleriſque loco numinis haberetur, teſte Tacito de German. c. VIII. Et Stat. Sil. IV. v. 90. ait: *Captivæque preces Veledæ*. Porro vox *Veleda* profecta ab Orientali בתולה *vetula virgo*, unde metatheſi facta *veleta*, & *veleda*, *T* in *D* abeunte.

Corybantes Sacerdotes Matris Ideæ dicti ab קרב *carab acceſſit*, atque *obtulit*, quod proprium Sacerdotum, vel a כרוב *cherub*, quadere videſis, quæ in *Cerberus* dicta habebimus. At Strabo in X. *agnoſcit*, ait Voſſius, *ex quorumdam mente non* Curetas *ſolum*, & Idæos Dactylos, *ſed etiam* Corybantes, Telchinas, *eoſdemque credi*, *vel parum differre*. Igitur cum *Corybantes* iidem credantur, ac *Telchines*, aut ſaltem parum differant, forte rectius dicti ſunt a חובר *cober*, ſeu *cobera ſocius*, *ſocia incantans*, metatheſeos beneficio; quod quadrat cum Telchinibus. *Aruns tis Vates Tuſcus* divinandi arte celebris Luc. l. I. *Eritho Theſſala maga* ambo dicti ab חרטום *artom*, ſeu *arthom magus*. Μάγγανον *venenum*, *præſtigiæ*, *machinamentum*, ſeu *machinamentum præſtigioſum*; item *peſſulus*, *repagulum*, *obex*. Quod attinet ad primam ſignificationem venit a מעונן *megonen præſtigiator*, *præſtigiis utens* ex

עונן

עונן *præſtigiari* . Μάγγανον vero quatenus denotat *peſſulum* factum a מנעול *mangul* idem *L* in *N* verſa . *Camenæ* , & *carmen* , unde dicta , expediendum . *Carmen pro vincta oratione* , ait Voſſius , *unde veniat non ita apertum eſt . Vir ſummus cenſet eſſe ab Chaldæo* כרמא carma : *hoc eſt* vitis , *vel* vinea, *quæ Hebræis* כרם cerem. *Nempe arbitratur vocem hanc primo ſignare vitem ; inde cœpiſſe accipi pro* dolio : *item* ſcena plauſtro impoſita , *unde* carmina *fundebantur. Quod probat ex illo Heſychio:* Καράμα , πίθος . Καράμα ἡ ἐπὶ τῆς ἁμάξης σκηνή . *Ac* ſcena *quidem* , *unde* carmen *dicebatur* , *ſic ei dicta putatur* , *quia* vite *eſſet tecta ; nam a vinitoribus* , *ac vindemiæ tempore* carmen *eſt inventum* , *ſaltem comicum* , *& tragicum : eoque & carmini inde nomen* . . . . *Mihi tamen ſimplicius* , *veriuſque videtur* , carmen *eſſe factum a* caſmen , *quod a* caſno , *unde & primo* Caſmenæ *dictæ* , *quæ poſtea vocatæ* Carmenæ , *poſtremo* Camenæ , *ut recte monet Varro l.V. de L.L. &c.* . Hæc vir clariſſimus . Sane iſthæc via ineunda , nimirum , quod primo *caſmen* dictum , ideo τοῦ *caſmen* , & *caſmenæ* inveſtiganda origo . Porro cum *caſmenæ* , tum *caſmen* ἀμέσως veniunt ab Orientali קסם *caſam divinavit* ; unde קסם *ceſem divinatio* , *oraculum* , quod omnino certum eſt . Hinc quiſque per ſe facile colligere poteſt, quanti faciundæ aliorum falſæ origines; quandoquidem a veriloquii ſcopo aberrant . Hanc etymologiam tamen jam Cl. Bochartum vidiſſe reperi . Hic quoque juvat aliorum vocum huc facile pertinentium inquirere originem.

Λῖνος *erat canticum* θρηνητικὸν , ait Voſſius in voce *leſſus* , *ut ex Athenæo* , *& Euſtathio conſtat*. *Quod etiam* αἴλινος *dicebatur ex* αἶ Λῖνος , *quia proprie fuerit deploratio Lini herois ejus* , *qui Uraniæ filius fuit* . Verum ita rem comparandam puto , ut αἴλινος ſit vox primigenia , unde λῖνος ; quidquid contra de Lino fabulantur . Nam αἴλινος ἀμέσως fit ab Hebræo אנינה *anina lamentum* , *ploratus*, tantummodo priore *N* in *L* mutata . Hinc fortaſſe majori jure fluxit *nenia* ab אנינה , & νηνίατος recta ab אנינות *aninut* , ſeu *aninuta* idem , unde & αἰανὸς *mœſtus* , *gravis* , quam ab נה geminata; licet & נענה *naana* , & *naanat* ex ענה *ana reſpondit* , *cecinit* , *cantavit* , & *afflictus fuit* , haud admodum alludunt . Οἴμη pro *via* profluxit ex אם *em* , quod exponunt *bivium* , pro ᾠδῇ vero , ſeu *carmine* fit ab אמר *amar dixit* ; hinc Heſychio eſt etiam λόγος , ἱστορία , φωνή . Ab ipſo *amar* ſeu אומר *omer dictum* , *ſermo* factum *rumor* per metatheſin , quod equidem verius , quam illud Voſſii inſanientis ductum a ῥεῦμα *fluxus*, vel Mazochii a דום *dum ſiluit*. *Hymnus* venit etiam ab אומר *omer*, ſeu *ymer dictum*, *ſermo* ex אמר *amar dixit*, *locutus eſt ;* unde & *hymen* , & *hymenæus* recta deſcendunt . Ὕδω quod vulgo explicatur *celebro* , *cano* , *dico* omnino eſt ab Hebræo הודה *ode* , ſeu *yde* , quia ſæpe ו tranſit in *Υ* græcanicum , eo quod ו medium eſt inter *U* , & *Υ* græcorum , *celebravit* , *laudavit* . Αὐλὸς *tibia* ab חליל *alil fiſtula* , *tibia* . *Laus* , & *laudo*, unde natales repetunt , haud recte extricare valuere Grammatici . Voſſius ducit vel a λαὸς *populus* , vel a λάω id eſt *eloquor ;* iccirco adducit illud Heſychii : Λάε ἐψόφησεν , οἱ δὲ ἐφθέγγετο . λάειν , φθέγγεσθαι . Mazochius noſter ducit ab הודה *odah laudavit* ל præfixo . At mihi verior , ſim-

ſimpliciorque videtur origo illa *ἀπὸ τοῦ* הלל *illel laudavit* , ſeu הלול *ilul laus* . Ab ipſo הלל *illel laudavit* exſtat *ἐλλινίω celebro* , *ὕδω* . *Λάειν* vero , ſeu *λαίειν φθέγγεσθαι* dictum a לחש *laas eloqui*, *elocutio*, *pronunciatio*, *ſermo*. Indidem geminata principe ſyllaba factum *λαλέω* . *Λάσκειν dicere*, *eloqui* , & *λέσχη ſermocinatio* , *conſabulatio* facta ambo ab eodem לחש *lacaſc* idem metatheſi adhibita *τοῦ S* , & *C* . Ab ipſo Orientali לחש profectum *leſſus* , ſeu *lauſus* apud Latinos *ejulatio funebris* , ſeu *lugubris ;* ſane לחש *laas muſſitatio*, *ſubmiſſa locutio* , & generatim *elocutio* , *pronunciatio* . *Convicium* a *con* & הוכיח *ociah arguit* , *diſceptavit* . Sed redeamus , unde oratio diverterat .

Aphrodiſia opera audiunt *laſciva ;* dicta ita ab *Aphrodite* Ἀφροδίτῃ id eſt *Venere* . Vulgo dictam volunt ab *ἀφρὸς ſpuma*, verum hæc ſunt fabulæ. Nam fit ab אפרת *aphrat* , ſeu הפרת *iphrat* geminata ת , unde *aphrotite* , & verſa priore *T* in *D ἀμέσως ἀφροδίτη* emergit . Venit vero ex פרה *phara fœtificavit* , *fœtum edidit* , & in Hiphil *fœcundavit* , *fœtificare fecit* . Hinc haud immerito *Venus* ducitur a בנה *vana filios procreare ;* unde etiam mea ſententia , & periculo *βινέω* , quod *ineo* , *coeo* exponitur , deſcenderit . Hæc adeo vera , ut nihil ſupra . *Poeta* dicitur a *ποιεῖν* , hoc vero a פעל *paal* , quod idem ſonat ; ex ipſo הפעל *apaal* fit *opus* , *operor* , & *ἕπω* , quod idem deſignat . *Duſius* . Voſſius in voce *Diabolus* ita rem auſpicatur . *Germanis inferioribus* Diabolus *vocatur* duvel , *quod corruptum ex* diabel . *Nota affinitas litterarum* B , & V . *Sed & alteram habent appellationem . Sane Belgæ eum vocant* de droes . *Veriſimile autem eſt* , *quia a* Druſo *Tiberii fratre ſæpius cæſi Germani* , *ac magnam partem domiti* , *hinc factum eſſe* , *ut ejus nomen ab iis*, *qui* Druſi *fortitudinem laudarent* , *pro viro forti cœperit uſurpari quaſi alterum* Druſum *dixeris : quomodo hodieque loquimur : ab illis* , *qui* Druſum *odiſſent dirarum loco habitum ſit* , *adeo ut nunc quoque hominibus improbis* , *ac impotentis animi perfamiliare ſit* , de droes hael U , *quod eſt* , Diabolus te auferat . Hæc ille . Sed ut hance conjecturam firmet , licet ait , non magnopere ſe laborare , tamen dicere poſſe , non Germanos modo, ſed etiam Gallos , veteres (quorum eadem , ac Germanorum veterum lingua fuit) voce hac uſos eſſe ; quod evincere ſe poſſe loco quodam B. Auguſtini , ſed apud eum pro *Druſios* , corrupte editum *Duſios* certet . Locus eſt l. XV. de Civ. Dei c. XXII. *Celeberima fama eſt* . . . . *Silvanos* , *& Faunos* , *quos vulgo incubos vocant*, *improbos ſæpe exſtitiſſe mulieribus*, *& earum appetiſſe* , *& peregiſſe concubitum ; & quoſdam Dæmones* , *quos Duſios Galli nuncupant*, *hanc aſſidue immunditiam & tentare*, *& efficere &c.* Verum poſtea ejus ſententiam , tamquam ictus cœleſti fulmine in melius vertere ſe parat ubi ait : *Fieri tamen queat* , *ut non omnes eodem modo hanc vocem ſonuerint* , *ſed alii* does , *alii* droes *dixerint : aut ut veteres dixerunt* does , *poſteriores vero apte* R *inſeruerint* , *ad exprimendum rei horrorem* . *Confirmat hanc rem* , *quod in Iſidori quoque Gloſſis legatur* . Duſius dæmon . Hactenus idem . Igitur cum conſtanter legatur *duſius* , non *druſius* , haud audiendus Voſſius . Denique hæc lexis Gallorum propria , & antiquiſſima . Sane per metatheſin eſt a שד *ſed dæmon*.

Drui-

Druidæ, sive *Druides*, uti habet Vossius, *erant apud Gallos, qui Græcis Philosophi, Persis Magi, Indis Gymnosophistæ, Assyriis Chaldæi, uti scribit in proœmio Diogenes Laertiensis*. Frustra a quibusdam ducitur a *δρῦς quercus*, inter quos numerandus Plinius. *Sed quod ad etymon hoc attinet . . . . placet sapiens Strabonis consilium, qui negat in appellationibus gentium barbararum quærendas esse etymologias Græcas*. Ait ipse Vossius; licet deperit ducere ejus originem a *Britannis, quibus*, ut ejus verbis utar, *Germanica lingua in usu fuit*. Adisis ipsum in hac voce. Verum, quidquid contra obstrepit, ejus origo Orientalis est; nam *ἀμέσως* arcessitur ab Hebræo דרש *daras scisitari, inquirere, consulere*, quod proprium Philosophorum, Magorumque, vel quia *consulerentur* ab aliis; uti II. Paral. 17. 3. דרש לבעלים *consuluit Baalimos*; vel quia utpote Philosophi, & sapientiæ studentes *omnia inquirerent*. *Œdipus* unde nomen sit sortitus, fabulantur Grammatici; verum mihi persuadeo facile hoc nomen comparatum ex חידה *ida ænigma*, & פער *paar aperuit*, eo quod *ænigma solvisset*. *Evvages Gallorum Philosophi*. Bochartus tom. II. c. 665. retulit inter gallica nomina, officia, & dignitates; at col. 662. hæc habet: *Evbages, vel Evages, quorum pensum erat scrutari summa, & sublimia naturæ, consulto prætereo* (nam antea aliorum hujusmodi nominum originem adduxerat) *quia vox illa est Doctis jure merito suspecta, cum nusquam alibi, quam in Marcellino occurrat, qui forte οὐαγεῖς legerat in Timagene, voce corrupta ex οὐατεῖς* vates. *Nam Γ & Τ Scriptores sæpe permutant. Tale est οἰγὸν pro οἰτὸν in Theophrasto, & in Hesychio ἰσγέον pro ἰτέον. Vide Cl. Salmasii Plinianas exercitationes pag.* 708. Hæc vir Cl. At contra est, atque ipse conjecerat. Nam si ejus originem probe nosset, haud tale *ἄτοπον* protulisset. Porro *euvages*, seu *euvagis* singulari numero fluxit ex הוא *u*, & הגה *aga meditari, eloqui*, unde מהגים *magi* dicti; sicuti ex הוא, & פרת scilicet ex *u*, & *perat Euphrates* factum. *Brachmanæ*, teste Facciolato, *Sapientes* in India cit. diligentissimi siderum observatores, alterum genus Gymnosophistarum. Nam Bardesanes Babylonius Gymnosophistarum duo tradit genera, quorum illi, qui ex generis successione veluti hereditariam sapientiæ professionem amplectebantur, *Brachmanes* dicti, qui vero electione ad Philosophiæ professionem assumebantur, *Samanei*. Ex Strab. l. XV. Itaque res eo redit, ut qui veluti hereditariam sapientiæ professionem ex generis successione amplecterentur, *Brachmanes*, qui vero electione assumerentur, *Samanei*. Sane *Brachmanes*, & *Samanei* sunt voces plagæ Orientalis, quarum prior venit ex בר *bar* Chaldaice *filius*, & חכימין *sapientes*, seu חכמה *cocma sapientia* tum Hebraice, tum Chaldaice; quasi *filii sapientes*, vel *sapientiæ*; *Samanei* vero a שמר *samar observavit*; seu potius ab חשמנים *asmanim*, & truncata principe littera *semanim magnates, primates*.

Gigantes γίγαντες, παρὰ τὸ ἐκ γῆς ἰέναι: vel a γίνεσθαι, & Dorico γᾶ pro γῆ, quasi γηγενὴς, quomodo Græci vocant. Ad verbum igitur sonet terrigenam, *quomodo* gigantes *vocat L. Florus:* ait Vossius. Sed mihi videntur ab proceritate dicti, ideoque apud Homerum, aliosque ita audiunt. Commo-

modum *γίγας* factum ex גאה גאה *gaa gaa* (geminata voce) *altum* , *eminens esse* . Atque inde apud Græcos fluxit *γίγας*; quam notionem proceritatis veteres animis imbiberant . Homerus Od. X. *οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες , ἀλλὰ γίγασιν* . Quod vero vox ingeminata fuit , id perfamiliare est Orientalibus . Hinc Exod. XV. 1. גאה גאה *gao gaa excellendo excelluit* . Adhæc apud Græcos donati etiam nomine *τῶν νεφεληγερέται* , quarum prior lexis ducitur opportune a נפילים *nephilim gigantes* , quasi *filios*, *genus Nepelim* Græci veteres *Gigantes* vocaverint , unde & fortasse vox *πηλογονοι*, excisa *N* de more *Pe-Nun* , posteriores vero Græci ignari vocis Orientalis crediderint ex *nubibus* genitos ; nimirum ex *νεφελῶν nubibus* . Insuper Jupiter dicitur *νεφεληγερέτης* nimirum a נפילים *nephilim* hoc est *gigantes* & גרס *geres* ex גרס *garas frangere* , *comminuere* , quasi *Gigantum fractor* , unde orta fabella adeo *πολυθρύλλητος de Gigantum pugna cum Jove* . *Phalantus* fortassean etiam ex נפילום *nephilim Gigantes* nomen sibi peperit ; nam dicitur fuisse vir Lacedæmonius , qui cum quibusdam sociis Italiam venit , ubi Tarentum condidit ; sane viri illustres sæpe heroica tempestate istis nominibus insigniebantur. *Astylus* unus ex Centauris dictus fortasse fuit ab אצל *astil magnas* , *optimas* . *Atlas* fertur fuisse filius Neptuni , & Clitones , & regnasse in quadam insula ab illo *Atlantidi* dicta ; dein haud desunt , qui docent tres reges nomine *Atlantes* . Profecto Ἄτλας *Atlas* dictus ab אצל *atil magnas* , *optimas* . *Riphæus* unus ex Centauris dici potest a רפא *rapha gigas*.

CA-

CAPUT II.

Sibylla, talassio, ἴθυμβοι, ὕβρις, jambus, μῦθος, vox, κλόνος, χλεύη, ὕθλος, axamenta, axare, ἀβήρω, melos, jugere, mugio, μυκάω, μογγὸς, ἠρύγω, βώρμος, ἐλλὸς, ἐλιννύω, ἰννὸς, mutus *ab Hebræis arcessenda*. Fritinnio, zinzulo. *Bocharto refragamur*. *Tinnio*, stridor, τρίζω, ῥοῖζος, ζίγγος, χάρις, histrio, cordax, sicinistæ, tanza, danza, chorea, cola, mimus, orchestra, σικχὸς, σκώπτω, jocus *Hebræo fonte derivata*. Α'πύω, ἔπω, πατάσσω, θωΰσσω, ἰάχω, βοάω, ἴβυξ, κήρυξ, κλάζω, κράζω, φάω, αἶνος, λίσσομαι, suadeo, ψεύδω, γεγώνω, κέλωρ, λίγγω, λιγὺς *ab Orientalibus ducenda*.

Sibylla fortasse venit a שביל *sebil spica*, seu *culmus spicæ*, unde fistulæ compingebantur, haud secus, atque inde etiam dictus *subulo* h. e. αὐλητὴς *tibicen*. Vide Vossium, & Mazochium apud ipsum Vossium in voce *Subulo*. Noti enim sibyllini versus, non ii qui nunc circumferuntur; nimirum carmina ligata oratione fudisse compertum fere videbatur apud veteres, apud quos non sejungebatur cantus a spiritu vaticinandi. Inde *carmen* pro *oraculo*. Etenim canendo vaticinabantur. *Talassio canticum*, seu *carmen*, quod in nuptiis canere assolebant, dictum a תהלה *teila laus*, *laudatio* & שיר *sir canticum*, ubi laudes nuptorum texebantur, hand secus fortasse atque *carmen* γαμήλιον Catulli. Ι'θυμβοι genus carminis, & saltationis ridiculæ in honorem Liberi patris secundum Pollucem l. III. Porro vox Phœnicia mihi videtur, atque ita nuncupata ab התנבי *itnabi* Chaldaice *prophetavit*, vel ab התנובה *itnuba*, *proventus labiorum*, nempe *verba*, ex נוב *eloqui*. Inde forsitan quoque dictus *Jambus*. Υ'βρις *injuria*, *contumelia*, *probrum* fit ab חפר *apar probro*, *ignominia affecit*, *P* in *B* versa. Ab ipsa חפר geminata voce ortum *probrum*. Μῦθος *verbum*, *dictum*, *oratio* ortum a מוצא *motza*, seu *mytza prolatum*, *pronunciatum*: hinc apud Psaltem מוצא שפתי, *prolatum labiorum meorum*, hoc est *verba labiorum meorum*. *Vox* dicta est ab הקול *vacol*, idem ה in *V* conversa, haud secus, ac Digamma; quo ה aliquando fungitur. Κλόνος *tumultus*, *strepitus* omnino derivatum ex קול *col vox*, *strepitus*, *tonitru*. Χλεύη *irrisio*, *derisio* venit a קלס *celes* idem. Υ'θλος *nugæ* ab התל *etel ludificavit*, *illusit*.

Axamenta, & *axare* quid, & unde sint, juvat dignoscere. Vossius in voce *Axis*, postquam derivavit ex græco ἄξων ait, *quod non minus patet, quando quidem* ἄξονες *quoque Athenis erant tabulæ, quibus erant incisæ Civitatis leges;* uti ipse auctor persequitur, paucis interjectis ita rursus scribere aggreditur: *Ab more eo axibus inscribendi leges, profluxit vox* axare, *pro* nominare. *Festus;* Axare, nominare. *Glossæ Philoxeni:* Anaxant ὀνομάζουσι. *Ubi*

malim adaxant, *ut proprie signet, ad axem, sive asserem, sive tabellam decretum aliquod adscribo, ut publicitus innotescat. Litterarum tamen ordo requirere videtur, ut* anaxant *retineamus, cum legatur inter ea, quæ* n *habent post* a. *Porro pro* axis *in quibusdam libris scribitur* assis . . . . *Imo similiter ab ipsa* assium, *seu* axium *voce, & assamenta dixere & axamenta : unde est, quod Scaliger in conjectaneis velit,* assamenta *esse ab* assare, *quod interpretatur* in unum solum hominem poema condere : *idem vero ad Festum velit* axamenta *dici ab* axare *id est* nominare, *qua de notione ex Festo, & Glossis paulo ante diximus : vel quod ibidem addit, ab* axibus, *quod inscriberentur Græcorum leges* ἐν τοῖς ἄξοσι, *quemadmodum superius retulimus. Verum omnino postremum etymon prioribus, meo judicio, verius certiusque est.* Hactenus Vossius. At ἀσύστατα docuere propter inscitiam germanæ originis, quæ ab Oriente petenda. Etenim primo etiamsi *axamenta* dicta ab *axibus*, tamen *axare* unde extricandum? Secundo difficile captu videtur, qui ab eo more inscribendi leges axibus fluxerit *axare*, hoc est *nominare*. Verum tempus postulat, ut ad veriloquium nostrum producendum accedamus. Sane autem *axo*, unde *axare* apud Festum, & *anaxare* apud Glossographum, est *nomino*, ὀνομάζω. Cum itaque ita se res habeat, omnino *axo* venit ab חשם *ascem nomen*, & Syriace השמה *ascama*, seu *ascami vocare*, versa *Sc* in *X*; nam isthæc littera duplex *X* tantumdem est, ac *Sc*; hinc Æoles pro ξένος dicebant σκένος, pro ξιφίας σκιφίας, atque id genus alia innumera. Atque id etymon verius se prodit. Quod vero spectat ad vocem *axamenta*, scilicet unde ejus natales investigandi; id videtur obscurius. Nisi me fallit opinio, haud inconcinne duci potest ab Orientali השיח *esiac meditari*, *eloqui*; vel ab השמיע *iscmia audire fecit*, *audiendum proposuit*, *pronunciavit*, *sonum edidit*. Ἀβήρω exponitur *canto*; forte fluxit ex הפרט *aparat*, unde פורטים *portim modulantes*, *P* in *B* conversa.

Melos μέλος *membrum*, & *carmen*. Fortean secundo sensu venit a מהלל *laudavit*; vel a זמר *zamar canere*, *psallere*, unde זמרה *cantus*, *carmen*, *Zain* abscisso, & *R* in *L* abeunte. *Jugere* est a *jugo* tertiæ, quod de *milvorum voce* dicitur secundum Festum, qui ita habet : *Jugere milvi dicuntur, cum vocem emittunt*. Hinc quoque Glossæ Philoxeni : *Jugit* ἰκτῖν βοᾷ. Non vero arbitror a sono effictum, uti Vossius putat, plerisque omnibus animantium vocibus accidisse; sed ab Hebræo יהגה ex הגה *aga meditari*, *eloqui*, *mussitare*, *gemere*, quod proprium *columbæ*, *rugire*. Hinc ex מהגה forsitan ortum verbum *mugio*, vel a מגעה ex געה *gaa mugiit*, *boavit*; quod verius autumo. Ab eodem fonte venit μυκάω idem, *G* in *C* tantum abeunte. Μογγὸς dicitur opponi ei asino, qui clara pollet voce. Itaque fluxit ex מהגה ex הגה *meditari*, *mussitare*, *gemere*. Ἠρύγω *mugio* exponitur. Dictum ab Hebræo ערג *arag vociferatus est*, & *mugiit*. Hinc Joel I. 20. habet : *Bestiarum agri quælibet ad te vociferabitur*, *mugiet* teste Buxtorfio in suo Lexico Hebraico, & Bocharto in Hieroz. Βῶρμος *genus cantici* ab agricolis Maryandinis cani solitum haud incommode duci potest ab Hebræo פורט *poret modulans*, *cantans minutatim*; *P* in *B* versa, & *T* in *M*. Ἐλλὸς audit *mutus*.

tus . Hinc Sophocles in Ajace : Ε'φῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν : ubi ἰχθύες ἐλλοί sunt iidem atque ἰχθύες ἄφωνοι . Apud Athen. quoque l. VII. dicuntur ἰχθύες ἐλλοί . Neque id loquendi genus adeo insolens est , ut ab illo abhorreant Latini . Commodum Horatius Od. III. l. 4. ; *mutos* vocat *pisces* , ubi ait :

O mutis quoque piscibus
Donatura cycni , si libeat , sonum?

Age modo videamus , num isthæc notio firmari possit origine orientali . Ita scilicet . Etenim ἀμέσως descendit ab אלם *illem mutus* ex אלם ab נאלם *neelam mutus fuit* , *obmutuit* , unde etiam ἐλιννύω *mutus sum* . Quod vero spectat ad ἐλλός, quod exponitur *hinnulus* fieri facile potuit ex עיר *air* , *R* in *L* exeunte . Exponitur ista vox *pullus* , licet *asini* proprie , attamen denotasse videtur generatim *pullum* . Hinc ortum quoque *hinnus* , ἰννὸς, ὕννος , & γίννος , ע in *G* versa . Sane ἰννοὶ , seu γίννοὶ sunt *fœtus mulini* , *equini*, *asinini*, uti videre licet apud Vossium . Ideo Hesychius habet : Ι'ννὸς , ὁ πῶλος ὁ ἐξ ἵππȣ πατρὸς καὶ μητρὸς ἡμιόνȣ ἄλλοι δὲ ὄνȣ . *Mutus* apud Vossium derivatur a μύδος , vel μυττὸς , vel μύτης, hoc est ἄφωνος , ὁ μὴ λαλῶν , uti exponit Hesychius . At nisi ista vox suspecta sit , ipsa quoque , & latinum *mutus* fluxere ab Hebræo מחשה *mase*, quod occurrit Neh. VIII. 11. ex חשה *siluit* , *mutus fuit* ; *S* in *T* de more abeunte.

Fritinnio κυρίως est *cantare hirundinum* , *aliarumque minutarum avium* . Varr. l. VI. de L. L. usus : *Ejusdem* (Ennii) *ab hirundine* , *Nefrende fritinni suaviter* . Auctor carm. de Philom. tribuit cicadis v. 35. ubi ait : *Fritinnit rauca cicada* . Profecto fluxit ex Hebræo פורט *foret* ex פרט *farat modulari* , *concidere vocem* , seu *minutatim canere* . Neque *fritinnio* admodum abesse videtur ab verbo *zinzilulo* . Etenim utrumque minutis avibus adscribitur . Porro *zinzilulare* esse dicitur verbum exprimens cantum quarumdam avium submissiore voce , & crebris flexionibus canentium . Auctor carm. de Philom. v. 43. ait :

Regulus , atque Merops & rubro pectore Progne
Consimili modulo zinzilulare sciunt.

Bochartus p. 65. Hieroz. part. I. habet : סים sis *pro hirundine* , *quæ Italis circa Venetiam* zisilla , *& cantus ejus* zisillare , *ut latine* zinzilulare , *in Poematio de Philomela* . Clarius idem Hieroz. par. poster. pag. 62. ait: *Vox* סים, est ὀνοματοποιητικη , *qua Hebræis fuit animus hirundinis* ψιθυρισμὸν *utcunque imitari* . *Ut Italis circa Venetiam* , *quibus* zisilla *est hirundo* , *&* zisillare *hirundinis more* πτυβίζειν , *vel* ψιθυρίζειν . Zinzilulare *dixit auctor Philomelæ* .

Regulus , atque merops , & rubro pectore Progne ,
Consimili modulo zinzilulare sciunt.

Quasi Prognes id est hirundinis , *vox sit* zizi , *unde* zinzilulare *dici debuit* , *ut Italice* zisillare . *Sed euphoniæ causa additum est* N *epentheticum* , *quod in Romanis vocibus frequens* . *Tale* lingo *ex* λείχω , linquo *ex Æolico* λείκω *pro* λείπω , tango *ex* θίγω , pango *ex* πάγω , *pro* πήγω , densus *ex* δασύς , pinguis *ex* παχύς &c. Itaque Bochartus credidit dictum a *zizi* voce hirundinis ;

 sed

ſed falſus. Etenim venit apertiſſime ab Hebræo צלל *zalal tinnire*, *pſallere*; *palpitare*, unde צלצלים *zelzelim cymbala*, מצלות *tintinnabula*, & צלצל *locuſta*. *Tinnio* a ſono factum ait Voſſius. Mazochius apud Voſſium in additamentis ducit ab Arabico טנן *tanan*, ſive טן *tanna*, quod ſignificat *Tinnire*. Verum nonunquam huic auctori, uti alibi fortaſſe adnotavimus, voces a Latio ad nuperos Arabas, & Chaldæos advectas, puras, putaſque Arabicas, & Chaldaicas contendere in more poſitum eſt. Porro *tinnio* omnino fluxit ex Hebræo צלל *tzalal*, quod idem eſt, צ in *T*, & *L* in *N* converſa, uti moris eſt. *Stridor eſt* ὀνοματοπεποιημένον, *ut* fragor, *&* murmur, *ut cenſet Scaliger cap. XIII. de cauſſ. L. L. Vel a* τρίζειν, *quod eſt* ſtridere. *Gloſſæ Philoxeni*: Stridet τρίζει. Τρίζειν *vero a ſono eſſe*, *dubium non eſt*. *Vel eſt ab* ἔστριδον. *Nam* στριγμὸς *quoque pro* τριγμὸς *legas apud Ariſt. in* IV. *hiſt. animal. Ita Voſſius*. Sed *ſtridor*, & τρίζω ab uno, eodemque fonte manaſſe autumo, ſcilicet ab Hebræo צרח *tzarah clamavit*, alternante צ. Unde per metatheſin quoque fluxiſſe videtur ῥοῖζος. Ζίγγος exponitur apud quoſdam *apum ſtridor*. Appoſite deſcendit ex צעקה *zeagga clamor*.

Gratiæ, Græcis χάριτες, unde dictæ, præſtat inquirere. Plane χάρις *gratia* haud abſurde duci poteſt ab Hebræo חנן *chanan gratioſus fuit*, *gratiam fecit*, unde חן *chen*, & חנינה *chanina gratia*, tantummodo *N* in *R* converſo. *Hiſtrio* quid, & unde domo ſit, διὰ βραχέων ne pigeat inveſtigare. *In vett. Gloſſis exponitur* παντόμιμος. Παντόμιμοι *autem iidem qui* ὀρχησταὶ, *ſive* ſaltatores: *uti Lucianus* περὶ ὀρχήσεως *tradit*. *Sed priuſquam* ὀρχησταὶ *ſe a dramatis ſepararent*, *quod Auguſti ætate cœpit a Pylade*, *& Bathyllo*, hiſtriones *non ſolum ſaltabant*, *ſed etiam diverbia prænunciabant* . . . . . . Hiſtrio *dictus a quodam*, *cui nomen* Hiſtro: *ut quidem Plutarchus ſcribit probl. c. VI. Feſtus aliter*: Hiſtriones, *inquit*, dicti quod primum ex Hiſtria venerint. *Idem legas apud Iſidorum* . . . . . . *Non dubium autem quin* hiſtrio *ſit a voce* hiſter, *quæ Thuſcis ſignificat* ὀρχηστὴν, *ſive* ſaltatorem, *qui &* ludio *vocatur*. *A Thuſcis enim & rem & vocem accepere Romani*: *uti docet Livius pene initio lib. VII.* Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Hethruria acciti ad tibicinis modos ſaltantes, haut indecoros motus more Thuſco dabant. Imitari deinde eos juventus ſimul inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus cœpere, nec abſoni a voce motus erant: accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hiſter Thuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum. Hæc ferme Voſſius. Porro cum ſit thuſcum verbum ab Oriente profectum. Atque ex iis quæ de iſta voce tradit Livius, haud injuria ducitur ab יצר *iaſtar finxit*, *formavit*, unde יוצר *ioſter formans*, *formator*, *fictor*, *figulus*, & יצר *ieſter figmentum*, *cogitatio*, utpote qui κυρίως varias ſaltationes, & motus dabant, atque mire vox ludiones, ſeu ludii accedit Orientali origini. *Cordax* κόρδαξ genus ſaltationis comicæ haud immerito derivatur ab Orientali כרר *carar ſaltavit*, *ſubſiliit*.

Siciniſtae, *dicti mimi*, *qui vitam mortui repræſentarent*, *&* ſicinnium *ſaltarent*. *Gellius l. XX. c. III.* Quos ſiciniſtas vulgus dicit: qui rectius locuti ſunt,

ſunt , ſicinniſtas littera *N* gemina dixerunt . Sicinnium enim genus veteris ſaltationis fuit . Saltabundi autem canebant , quæ nunc ſtantes canunt . Poſuit hoc verbum Accius poeta in Pragmaticis, appellarique ſicinniſtas ait nebuloſo nomine, quod ſicinnium , cur diceretur , ei obſcurum eſſet . Heſychius : Σίκιννις ὄρχησίς τις ςρατιωτικὴ Σατύρων , σύντονος ἀπὸ τῦ σείεσθαι καὶ κινεῖσθαι . ἦν δὲ καὶ ἐμμέλεια τραγικὴ , καὶ κωμικὴ κόρδαξ . Hactenus Voſſius . Porro σίκιννις *ſaltationis* genus fruticat ab Hebræo זנק *ſinnec exſiliit* , *ſubſiliit* , ſeu ἐκπηδήσατο ſecundum Lxxviros , per metatheſin τῦ ק . *Danza* Italis denotat *ſaltationem* . Fortaſſe ortum ab Orientali , ſeu Chaldaico דוץ *dutz exſilire* . Hinc fit quoque *Tanza* idem ; vox barbara . *Chorea* exſtat a *chorus* Χόρος ſecundum Voſſium , qui ita diſſerit : *Chorus*, Χόρος , *unde* Χορεία , chorea , tripudium cum cantu : *ut multitudo*, *quæ ad hoc convenit*, Χόρος, *idque vel* ἀπὸ τῆς Χαρᾶς , *quod Plato ſcripſit : vel ab* מחולת , *truncato capite & converſo* ל *in R*. *Quomodo a* Pale *Dea* , *non* Palilia *tantum* , *ſed &* Parilia *dixerunt cum Latini* , *tum Græci : Similiaque ſunt* Latialis & Latiaris ; mortuaria , & mortualia &c. Hæc citatus Auctor . At res poſtulat , ut eam ſecus ordiamur . Nam Χόρος licet apud Græcos deſignat cum actionem ſaltandi , ſcilicet tripudium , tum multitudinem ſaltantium ; tamen κυρίως & principe ſignificatione denotavit *tripudium* , *choream* . Hinc vides , cur facili via , nulla adhibita mutatione , atque ἀμέσως venit ab Orientali כרר *carar* , unde כרכר *ſaltavit* , *ſubſiliit* . *Cola ſaltatio* teſte Heſychio in voce Κῶλα & καλύβιδες , ſeu καλλύβιδες . Adeatur Caſaubonus in Ath. t. II. p. 569. Haud immerito derivari poteſt a חולל *colel ſaltavit* . *Mimus* , μῖμος a μιμεῖσθαι *imitari* dictus . Fortaſſe hocce vocabulum factum a מון *mun ſimilitudo* , *imago* , ſcilicet eo quod ſimilitudinem alterius per geſticulationes, ſive per membra referret , geminata priore littera , ſive ſyllaba . *Orcheſtra* venit ab ὀρχέομαι , ſeu ὀρχέω *ſalto* , quod apud veteres in uſu erat . Sane ὀρχέω factum ab הכרר *acaror* , quod idem eſt , per metatheſin . Σικχός exponitur quoque apud Suidam σκώπτης . At cum apud Auctores non occurrat hoc ſenſu , age videamus, an verum ſit quod ipſe tradit . Scilicet ita eſt . Nam venit ex Hebræo צחק *ſacac irriſit* , *jocatus eſt* . Σκώπτω *irrideo* , *cavillor* , *dicteriis & ſalibus utor* . Videtur factum ex גדף *gidep contumelia* , *convicio* , *probro affecit* , S addito . *Jocus* fortaſſe fluxit ab יהגה *jaga meditari* , & *effari* , *eloqui* , ut proprie ſit *effatum meditatum*.

Ἀπύω *ſono*, *vociferor* , *loquor* fluxit vel ab הפיה *epia locutus eſt* , vel ab יבב *ibeb vociferatus eſt* , *B* in *P* converſa . Ab ipſo הפיח *epiah* ortum Græcum ἔπω *dico* , *loquor* ; ἕπω vero *facio* alias derivavimus.

Παπάσσω *cum ſtrepitu palpito* , *ferio* , *percutio* , ita ut ictus ſonitum , & fragorem , ſive ſtrepitum edat , unde πάταγος *fragor* , *ſtrepitus* . Porro facile ortum ab פצח *patah fragorem* , *ſonitum edidit* , *perſonuit* , צ geminata . Θωύσσω *clamo* , *vociferor* exit ex Hebræo תשאה *taſaa* ex שאה *tumultuari* , unde תשאות *teſuot fragores* , *tumultuationes*, *clamores* , *acclamationes* . Ἰάχω *vociferor* , *clamo* eſt ab יהגה *iaga* ex הגה *aga loqui*, *gemere*, *rugire* , *G* in χ abeunte . Βοὴ *clamor* , *vociferatio* , & βοάω *boo* , *clamo* omnino profectum ab He-

Hebræo יבב *ibeb vociferatus est*, *Jod* de more defectivorum *Pe-Jod* evanescente, atque abjecta una *B*, quod non insolens videbitur iis, qui vel minimum linguam Hebraicam callent. Ab ipso יבב *ibeb* fortasse venit quoque ἴβυξ *avis clamosæ species*. Κήρυξ a γηρύειν derivari asserit Eustathius. At Mazochius commentar. in Tabul. Heracl. pag. 151. Adn. 15. putat Κάρυξ primitus, non vero Κήρυξ dictum. *Origo Hebraica*, addit, *id suadet; quippe cum a* קרא kara clamavit, *meo judicio* Κάρυξ *fluxerit*. Porro autem res mihi secus instituenda videtur. Etenim apud Danielem occurrit כרוזא *caroza præco* (ו in *υ* de more verso, uti alias monuimus) כרז *ceraz proclamavit*, unde venit κηρύσσω. Κλάζω, & κράζω *clamo* ab ipso כרז *ceraz*, quod idem valet, derivata sunt. Neque reponi posset Danielicam vocem corruptam ex Græco κήρυξ. Nam vox illa in Oriente patrem, ut ita dicam, ciere potest, nimirum כרז *ceraz clamavit*, *proclamavit*. Id ita certum, & ratum, ut nemo adhuc hance litem intendere ausus fuerit, scilicet esse istud vocabulum ex Græco petitum. Φάω, unde φημὶ *dico*, *loquor* venit a פוח *fuah* idem, quod jam vidit Mazochius. Αἶνος *apologus*, *fabulosum dictum*, seu *proverbiale*, *assensio*, *dictum quodlibet*, & *laus*. Porro mihi videtur esse ab Hebræo ענה *ana respondit*, *dixit*, *locutus est*, *cecinit*, *cantavit*, *laudavit*. Λίσσομαι *supplico*, *precor* venit ab inusitato λίσσω. Id autem investigandum restat. Porro per metathesin ortum ab Orientali שאל *saal rogavit*, *petiit*, & in Niphal *exorari*, *precibus obtinere*. *Suadeo* apud Vossium derivatur vel a *suavis*; vel ab ὕδω *celebro*. Verum inepta commenta Grammaticorum, qui Orientalis linguæ inscitia laborant. Nam facile descendit ab סות *sut*, quod exponitur *incitavit*, *seduxit*, *persuasit*; soluto ו in *au*, sicuti Syri amant, & *T* in *D* abeunte. Cujus etymi haud me pœnitet. Ψεύδω facile profectum a פתה *pata* idem, *S* addito, quod haud insolens esse ad ravim usque alibi demonstratum. Γεγώνω *clamo*, *vociferor* ducitur a Grammaticis ex γνόω idem. Porro fit a ענה *gana clamavit*, *vociferatus est*; *Ain* ע in *G* verso, uti ex עומורה factum *Gomorra*, aliisque, uti doctis probatum viris. Κέλωρ *vox* παρὰ τὸ κέλω, vel καλῶ derivatur apud Etymologum. At contra est. Nam ἀμέσως venit a קול *kol vox*, *sonus*; unde etiam κελωρύω exstat. Κέλαδος *clamor*, *strepitus*, *tumultus* emersit ex ipso קול *kol vox*, *sonus*, unde etiam κελαρύζω. Λίγγω *strideo*, & λιγὺς *argutus*, *canorus*, λιγαίνω *argutum sono*, *concinne cano* factum ex נגן *nagan pulsare*, & נגן *nogen fidicen*, נגונה *negina pulsatio fidium*, *modulatio*, *N* in *L* versa.

CA-

CAPUT III.

MAngo *unde ducit H. Stephanus, & Vossius. Uterque falsus. Ejus origo.* Mutuum, *μοῖτον apud Siculos. Utrumque ab Oriente advectum.*

MAngo. *Henricus Stephanus in Thesauro* Μαγγανευτὴς, *inquit*, veneficus, præstigiator: & Latinum mango, procul dubio hinc factum est. *Sane id etymon jam olim Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis observarat. At μαγγανευτὴς a μάγγανον, quod φάρμακα, & γοητεύματα inter alia notat, Hesychio teste. Nec* veneficorum, *aut* præstigiatorum, *propria sunt hæc vocabula, quando apud Nazianzenum legere est λιπαραὶ τράπεζαι, καὶ τὰ μαγείρων μαγγανεύματα, καὶ κομψεύματα: quod Festus* artificium coquendi, *Plinius* mangonium *appellat.* Mangoni *igitur nomen ex eo fuerit, quia τῷ μαγγάνῳ, sive* fuco, *colorem falsum inducit mancipiis, ut carius vendat. Unde Fabius l. II. cap. XVI.* Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiuntur. *Tamen nec eo recurrere opus, si Græcum sit μάγγας, vel μάγγων, quod censet vir summus Salmasius. Qui apud Plutarchum in quæst. Sympos. l. V. cap. VII. legit οἱ μαγγάδες, οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες. Id interpretatur*, mangones, qui servos inde venales exportant. *Vulgo legitur ibi μιγάδες.* Hactenus Vossius. Verum res animadversione digna. Quandoquidem confundere videtur Vossius, quæ secernenda. Primo autem immane quantum distat Μαγγανευτὴς *veneficus* a *mango* scilicet σωματέμπορος, ἀνθρωποκάπηλος. Hinc alibi *μαγγανευτὴς* & *μάγγανον præstigiæ* a nobis derivata sunt ab Hebræo מעונן *megonen præstigiis utens, præstigiator*. At *mango* Latinorum cum κυρίως eum qui *vendit homines*, *venalitium denotet*, rectius videtur esse ab Orientali מקנה *migne possessio*, *emtio*, *negotiatio* per metathesin, & ק in *G* versa. Quod attinet ad Salmasium, qui legit *μαγγάδες* pro *μιγάδες*, nollem ita facilem ad innovandas lectiones. *Mutuum*. Vossius, ut Jurisconsultorum originem attulerit, sic adjecit: *Sed Varro Siculam esse vocem censet l. IV. de L. L.* Si, inquit, datur, quod reddatur, mutuum, quod Siculi *μοῖτον*. *Addit ita μοίτου voce usum Sophronem: Sed uti* mutuum *dici volunt ex* me, & tuum: *ita μοῖτον fortasse quasi μοὶ τεὸν, vel μοὶ τὸν*, mihi tuum. *Nam τὸν est Doricum pro σὸν. Varronis sententiam firmat Hesychius in μοῖτος, ubi μοῖτος exponitur χάρις, quia* gratia est animi mutuo bene facere. *Salmas. de usuris pag.* 35. Mutuum a Siculo *μοῖτον*, quod est *χάρις*, & gratia. Inde mutuum pecuniæ usus gratuito commodatus, in quo reddendo nihil ultra accepti summam debetur, quam grati animi *testatio*, hoc est, *χάρις*. Ita Vossius, qui adjecta Turnebi sententia, sic denuo persequitur: *Sed Varronis tamen sententiam maxime probo, quod Romani pleraque omnia habeant a Siculis & Pelasgis.* Hæc idem Auctor. Verum ad Siculos hocce vo-

vocabulum ab Oriente profectum. Sane *μοῖτον* factum ex Hebræo משאיל *mesail mutuavit S* in *T* versa, ex *R*. שאל, vel a משא *masa debitum*, & *mutuum* prout vulgo exponunt.

EXERCITATIO X.

CAPUT I.

ADdix: agina *quid: utrum apud Veteres libra donata fuerit lingula. Festus notatus:* Α'χάνη, acnua, sacoma, σηκόω, antes, ordo, ἴσος, μέσος, medius, alius, ἕτερος, λοίσιος, λοξὸς, κάρσιος, σκολιὸς, ἀγκύλος, γογγύλος *Hebræi peculii exsistunt*. Parasanga, amussis, εὐθὺς, ἰθὺς, ὀρθὸς, jus, ἄβαθ, ars, catechesis, gnarus, *seu* narus, narro *orientis domo profecta*. Φωλεὸς, lustrum, tongo, tiro, erudio, rudimentum; *Vossius notatus*, moneo, θέμις, ritus, alcoranus *ab Oriente orta*. Cerdo, τέχνη, strues, ἄρω, ἀρτύω, βανοὶ, colossus, διψάω, ζητέω, δίζω, ἐρωτάω, αἰσθάνομαι, μῆτις, μῆδος, βȣλη, dolus, μάργος, νενίηλος, νεννὸς, ἠλεὸς, ἠλίθιος, μέλεος *ab Hebræo fonte derivata*.

ADdix, ἄδδιξ, quod occurrit apud Aristophanem, ubi ait: ἀλφίτων μελάνων ἄδδιχα, est *mensura quatuor chœnices continens*. Videtur dicta ab מדה *midda mensura* ex מדד *madad*, *M* abscissa. *Agina*, quid significet, nemo recte exposuit, sed potius aginari omnes videntur. Nam sibi ipsi Eruditi non constant. Hinc Vossius ait: *agina, quia in ea trutina agitur, vertiturque. Unde* aginari *pro negotiari, aut triticari. Ut ab hoc* aginator, *qui levi lucro movetur, haut secus ac* agina *exiguo pondere attollitur, deprimiturque*: Festus: *agina est, quo inseritur scapus trutinæ, id est, in quo foramine trutina se vertit. Unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur*. Ubi peccat Festus eo, quod asseruit esse in quo trutinæ scapus inseritur, seu in quo foramine trutina se vertit. Plane id verum, nimirum esse *trutinæ scapum*, qui revera attollitur, deprimiturque, seu ejus scapum una cum *lingula*, si de stateris sermo esset. Nam *lingula* haud usurpabatur in libra apud Veteres, sed tantum in stateris. Idque potissimum, atque facile quisque noscere poterit ex iis, quæ in Museo nostri regis, quod jure auro contra carius, ex Herculani fossionibus erutæ asservantur. Hinc Tertullianus adversus Hermogenem cap. LXI. *In neutram partem pronus, & præceps mediæ, quod ajunt, aginæ æquilibrato impetu ferebatur*. Ubi advertas isthæc verba, nimirum *mediam aginam æquilibrari*. Peropportune haud multum abludit Hebraicum הקנה *agana*, quod exponunt *scapum in statera, seu libra, unde bilanges dependent*. Α'χάνη genus mensuræ frumentariæ forsitan venit a תכן *tocen*

mensura, *forma*, seu ab הכין ex כון, quod idem est. *Acna*, seu *acnua* mensura agrorum continens pedes centum viginti, si fides Varroni. Videtur descendere ex Hebræo הקנה *acana canna*, *calamus*, quo veteres pro mensura usi; quadere apud Hebræos קנה המדה *calamus mensorius*, qui erat sex cubitorum, uti adstruit Targum. Inde quoque forsitan emerget græcum ἄκαινα genus mensuræ agrorum. Apud Apollonium l. III. ejus Scholiastes tradit, denotare tum *pedum* aculeo insignitum, tum μέτρον δεκάπεν, seu *decempedam*. Hinc Callimachi versus, qui utrasque significationes continet.

Ἀμφότερον κέντρόν τε βοῶν, καὶ μέτρον ἀρέρης.

Sed rursus in medium ita prosilit Vossius: *Sed prior significatio magis propria. Est enim* ἄκαινα *sic dicta* ἀπὸ τῆς ἀκῆς ab aculeo, *quo boves incitantur. Inde translatum ad mensuræ genus . . . . . . Mensura tamen non convenit, cum Varro dicat, acnam longam, latamque esse pedes CXX. Adde quod Columella Bæticum esse vocabulum dicat. Sed si Latini, ut ait Varro, sic dixere, Bætici a Latinis acceperint. Et videtur acena utrumque mensuræ genus notasse: puta pedes decem, & pedes CXX. Ut idem fuerit decempedæ nomen, & mensuræ eam duodecies complectentis*. Hæc supra laudatus Auctor. Ab ipso קנת *canat* forte originem trahit & *candetum* (alternante *T*, quorum prius in *D* versum) genus mensuræ agrariæ centum pedum. *Sacoma*, *Græce* σήκωμα, & Dorice σάκωμα. *Videtur esse verbale a* σηκόω, *unde* ἀνασηκόω, *quod est*, προστίθημι τὸ ἐλλιπές. Σηκόω *autem videtur esse a* σηκὸς *significante* σταθμόν τινα, ἤγεν ὁλκὴν, *quod & Eustathius suspicatur. Tamen . . . . . . Notat* sacoma, æquipondium, *sive quod in libra apponitur ad æquilibrium faciendum*. Hæc fere Vossius. At σηκόω (unde ἀνασηκόω) licet inusitatum fluxit ex Orientali שקל *sacal pendit*, *appendit*, *ponderavit*, unde משקל *miscal*, & *miscol pondus*, & *perpendiculum*.

Quoniam autem heic sermonem de mensuris κυρίως, modo de iisdem, & μεταφορικῶς inibimus. *Ordo* ducitur apud Vossium ab Hebræo טור *tur* idem; sed venit ab עדר *adar ordinavit*, *disposuit* per metathesin. *Antes* οἱ τῶν ἀμπέλων στίχοι, τάξεις, ὄρχατοι dicti ab הטור *attur ordo*, priore *T*, quod nascitur ex *Daghes* in *N* de more abeunte. Ἴσος *æquus*, ἰσόω *æquo* ab ושוה, *isue*, seu *ise* ex שוה *sava æquari*, *æqualem esse*, seu potius ab ישר *iasar* idem. Μέσος, & *medius* unde sint, dignoscendum. Apud Vossium ducitur *medius* ab Hebræo מד *mad metiri*, quia metiendo medium cognoscitur. A Mazochio apud Vossium *medius*, & μέσος utrumque ducitur a Chaldæo מצע *metsa medius*. At vereor, ne vox Chaldaica nota aliqua suspicionis inuri possit. Rursus & *medius*, & μέσος, & fortasse ipsa Chaldaica lexis, si superis placet, originem jactant meo periculo ab Hebræo מחצה *Meetse dimidium*, & *medium*, ex חצה *dimediavit*, & *dimidium*, *medium* uti Jos. X. 13. בחצי השמים *in medio Cæli*. Et Exod. XI. 4. בחצות הלילה *circa medium noctis*. Hinc Lxxviri apud Jos. capite citato verterint κατὰ μέσον τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃. Apud Exodum loco citato: περὶ μέσας νύκτας ἐγὼ εἰσπορεύομαι εἰς μέσον Αἰγύπτȣ. Ab ipso המחצה *amasa*, seu *emasa* ortum aliud vocabulum nimirum ἥμισυς *dimidius*. *Alius*, ἄλλος *alter* veniunt ab אחר *aer alius; alter*

ter ab אחרת *aeret* dumtaxat *R* in *L* versa. Λοίσθιος *postremus* a ראשת *resit principium*, *primum*, *R* in *L* mutata, sicuti & *novissimus* ponitur pro *postremo*, *ultimo*. Λοξὸς *obliquus*, *non rectus* fit ab לוז *luz*, seu *loz*, unde נלוז *naluz perversus*, *qui non recte incedit*; uti Proverb. XIV. 2. ונלוז דרכיו *Et perversus viis suis*, ubi LXX ita habent: ὁ δὲ σκολιάζων ταῖς ὁδοῖς; quod proprie *obliquum* notat. Ab ipso לוז venit Hesychianum λὶξ, quod ipse Hesychius πλάγιον exponit, unde etiam *obliquus* venit. Κάρσιος *obliquus* a קרס *caras curvum*, *reflexum*, *obliquum esse* sine dubio descendit; Unde ipsum *curvum*, & κυρτὸς profectum est. Σκολιὸς quod idem, ac κάρσιος, πλάγιος factum ab עקל *scal tortuosum*, *perversum*, ע *Ain* quod spiritus est, in *S* verso, sicuti quoque ex עקרב factum *scorpio*. Α'γκύλος *curvus*, & *tortuosus* est ab עקל *agal* ipso. Γογγύλος *rotundus* frustra quæras a Grammaticis unde ortum. Verum descendit a גל *gal*, geminata principe littera, seu ipso גלגל *galgal orbis*, *sphæra* ex *galal volvit*, *devolvit*, unde est γογγυλέω, quod idem valet. Ad rem γογγυλίδια exponuntur μικρὰ σφαιρία. Forte ab ipsa radice ortum στρογγύλος. Denique ab ipso גל venit γυρὸς *gyrus*, *L* in *R* versa.

Parasanga παρασάγγης Ægyptia mensura, ideoque ipsum nomen. Videtur esse a פרס *paras divisit*, & אנך *anac libella*, *perpendiculum*. *Amussis* definitur regula lignea, vel ferrea perfectæ rectitudinis, qua utuntur fabri ad coæquanda opera, & ad planam æqualitatem dirigenda. Sane factum hocce vocabulum ab המישור ab ישר *rectificavit*, *æquavit*, *complanavit*. Ab ipso ישר *iser*, seu *iasar rectus* venit ἰθὺς idem, *S* in *T* versa, sicuti Chaldæi facere amant. Ex ipso ישר *rectus* eadem mutatione facta nimirum τοῦ *S* in *T* venit εὐθὺς item *rectus*; inde per metathesin ὀρθὸς. *Jus* missis aliis omnibus, secundum Galeotum Martium de doctrina promiscua l. VII. & Franciscum Sanctium in paradoxis, *prima sua significatione signat* olera, *aut* pultem, *sed quia in conviviis pares unicuique partes dabantur*, *ideo metaphorice jus vocatum*, quod suum unicuique tribuit. Plane si isthæc nobis arridet sententia, *jus* venit ab אור, quod in plurali *olera* notat. Ceterum sine ulla injuria videtur duci posse ab הורה *ore docuit*, *instituit*, *monuit*, unde תרה *tora doctrina*, *lex*. Heic quoque παρέργως verba facere animatus sum de quibusdam nominibus, quæ *doctrinam*, ant *institutum* designant, seu *doctum*, vel *doctorem*. Hinc Α'ββαθ secundum Hesychium Cypriis *magister* dictus ab Orientali אבא *aba pater*, *doctor*. *Ars* tum ingenua, tum mechanica audit. Porro *ars* fit ab Hebræo חרש *aras aravit*, *exaravit*, *insculpsit*, *fabricatus est*, *machinatus est*, quæ quidem omnia *artis* significationi quadrant.

Catechesis ab ἦχος *sonus*, *sonitus*, & ἠχὼ *echo vox repercussa*. Venit ἦχος ab הקול *acol vox*, *sonus*, *sonitus*. *Gnarus narus*. *Alterum etymon magis placet*, *ut* gnarus κατὰ συγκοπὴν *sit ab antiquo* gnaruris, *quod a* γνώριμος, ω *in* A *converso*, *uti interdum fieri ostendimus in* galea. *Nec* gnaruris *tantum dixere pro* gnarus: *sed & gnaruro pro* gnarum reddo: *unde* gnaro κατὰ συγκοπὴν, *&* κατ' ἀφαίρεσιν *naro*, *sive ut nunc scribimus*, *narro*: *sed unico R scribi debere ait Velius Longus*, *propterea quod fit a* gnarus. *Hæc quæ dixi firmat Fronto*, *cum ait*: Dicimus, quod volumus: loquimur invicem: narramus

ramus quod ignoratur &c. Hæc Vossius. Sed verisimilius est *gnarum* esse a *narum*; id vero ab Orientali aliquo nomine. Sane Hebræis exstat הורה *ore docuit*, *instituit*, unde *N* præmisso, cum sit heemantica littera, emersit *narus*, & *G* præposito *gnarus*. Ab ipso הורה *N* præmisso fit quoque *naro*, seu *narro*; nam uti vidimus, secundum Velium Longum, unico *R* scribundum. Neque significatio valde recedit; etenim, uti modo ex Vossio recitavimus, ita Fronto de ea voce disputat: *Dicimus, quod volumus: loquimur invicem: narramus, quod ignoratur*. Itaque optime venit ab הורה *docuit*, *instituit*. Φωλεὸς est *lustrum*, *latibulum*, Ionibus vero παιδευτήριον, sive διδασκαλεῖον *schola*, *ludus*. Quod spectat ad priorem significationem est ab פלא *fala occultari*, *occultum esse*, sicuti quoque *lustrum* fit ab נסתר *nistar occultavit*, *abscondit*, & סתר *latebra*, *abditum*; ex qua voce haud absurde fluxit vocabulum *syrtis*, cum sit *latens*. Quod vero attinet ad significationem τοῦ παιδευτηρίου per metathesin venit ab אלף *illeph discere fecit*, *docuit*. *Tongo, vel tongeo est nosco. Vel est* ex tango, *quomodo dicimus* rem acu tangere. *Vel ex* teneo, *ut dicimus* rem omnem tenere. *Quod malim: quia &* vinco *notat*. Tenere *autem valet quandoque* κρατεῖν, *atque* obtinere: *G infertum, ut ab* ἔσπαρον spargo, *a* mari mergo, *a* jure jurgo. *Festus:* Tongere Ælius Stilo noscere esse, quod Prænestini tongitionem dicunt pro notione: & vincere etiam quandoque videtur significare. *Adduxit & hoc Ennii, ut plenius ex Paulo constat* . . . . Alii Rhetorica tongent. Hæc Vossius. Sed unde sit, potius delirat, quam vere derivat; dum a *tango*, vel *teneo* ejus originem ducere conatur. Porro hocce verbum purum, putumque Orientale est. Plane Hebræis est נכר *nicer cognovit*, *agnovit*, unde תנכר *tancer*, ex quo tantum *C* in *G* versa emergit *tongo*. Si spectas significationem τοῦ *vincendi* venire posset a נצח *nitteac*, quod idem valet, beneficio metathesis.

Tiro frustra apud Vossium derivatur *a* τέρην *tener*, *quia tener*, *& rudis*, *vel quia se primum terit*, hoc est *exercet*. Nam originis Orientalis esse malim. Iccirco reor fieri ex Hebræo תורה *tora institutio*, *doctrina*, & הורה *ore docuit*, *instituit*; ut proprie sit, qui institutione, doctrina instituitur, seu prima rudimenta docetur. *Erudio*, *rudio*, & *rudimentum*. De hisce vocibus hunc in modum disputat Vossius . . . . *Alias rudis est adjectivum, unde* rudire, *a quo* rudimentum ἰδιωτισμὸς, πρωτοπειρία, *ut exponunt Glossæ Philoxeni:* πρωτοπαιδεία, *ut interpretatur Onomasticon. A* rudire *quoque est* erudire, *quasi* extra ruditatem ponere. Ita de origine Vossius. Sed pace sua dicam, allucinatus est. Etenim si ex *rudis* qua notat *impolitum*, *asperum*, *durum*, fluxisset *rudire* inusitatum, & *rudimentum*, sicut *rudis* notat *durum*, *asperum*, ita *rudire*, *rudimentum*, *impolitiam*, *duritiam* significare deberet. Sed contra accidit; quandoquidem *rudimentum*, & *rudire* ἁπλῶς notat *institutum*, & *instituere*, *docere*. Hinc facile venit ab Hebræo הורה *ore*, seu *oret instituit*, *docuit*, *monuit*, *T* in *D* verso. Ab ipso הרה *ore monuit* fit מורה *more*, unde emergit *moneo*, tantum *R* in *N* conversa. Θέμις *lex*, *institutum*, *jus*, *fas*; Eustathio θέμιστες sunt *consilia*, *con-*

consultaque. Apposite originem ducit ab Orientali טעם *thaam judicium*, *consilium*, *sententia*, *edictum*, seu *jus*. Idque verissimum esse etymon evincit.

Ritus pro consuetudine *plane est a Græco τρίβος κατὰ μετάθεσιν*, & B *ejecto*, *ut* omitto *dicimus pro obmitto*. Τρίβος *est a* τρίβω, tero: *nec modo* viam tritam, *sed* & morem tritum: *Unde Hippocrati* τρίβον λαβεῖν adsuescere. Hæc Vossius. At secus sentit doctissimus Mazochius apud Vossium, qui licet longiori oratione & significationem & etymon vocis prosequitur, tamen dignus, qui κατὰ λέξιν exscribatur. Is ergo ita orditur: *Ritus vox Etrusca est*, *quæ* & *in Tab. III. Iguvina reperitur*, *ubi* PEHTE *idem est*, *quod Rite*. *Est autem consentaneum*, *ut Etruria*, *quæ rituum magistra semper habita est*, *etiam vocabulum ipsum in Latium invexerit*. *At miseret me Vossii a* τρίβος *vocem Ritus* ἐτυμολογοῦντος. *Quid his facias*, *qui quantum est Latialis sermonis de Græco Musarum ingratiis*, *auferunt?* *Atqui Etruscos ab Oriente pleraque sua habuisse in Tyrrhenicis ad nauseam demonstravimus*. *Ne plura: Hebræum* דת dat & *Chaldaicum* דתא deta jura, *ac* leges *significat*. *Ubicumque autem* Daleth *in vocibus Orientis occurreret*, *eam litteram Tusci* Rhotacismo *delectati in caninam litteram commutabant*, *aut commutare ex modo pronunciationis videbantur: de quo* . . . . *Ergo ex* Deta *fiebat* Reta, & *cum terminatione Latina Ritus*. *Quæ vox proprie jura significat: quia vero apud Hebræos leges aliæ sunt cæremoniales*, *aliæ morales*, *aut judiciales*, *hinc apud Etruscos Latinosque* Ritus *hæc omnia significabat*. *Habes de etymologia*, *ac vera vocabuli notione*. *Nunc videndum an ea significatio cum Latinorum scriptorum usu conveniat*. *Primum exemplum affero tituli Digestorum* De ritu nuptiarum, *a quo tamen titulo cæremoniæ absunt*. *Ad hæc Plinius XII. 8.* Ritu (*hoc est lege*) naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. *Tacitus de Mose:* Novos ritus (*leges Mosaicas intelligit*) contrariosque ceteris mortalibus indidit. *Sed nusquam plura exempla quam in ablativo Rite reperias* (*quod non esse adverbium*, *sed auferendi casum ostendit* E *breve*, *tum illud Statii XI. Theb.* 285. Hei mihi primitiis ararum, & rite nefasto Libatus) *quem ablativum passim pro jure sive lege veteres formulæ accipiunt*. *Quare utrumque tamquam synonyma junxit Plautus Cistell.* Itaque hanc lege, & rite civem cognitam Alcesimarchus . . . . . possidet. *Idem Pseud.* Qui rite succesit bonis. *Auctor ad Herenn. l. I.* Testamentum ipso præsente conscribunt, testes rite affuerunt. *Quæ exempla non ad meras cæremonias*, *sed ad jura pertinent*. *Sic* rite facta in l. VI. D. ad l. Corn. de fals. & rite facta delegatio in l. II. C. de Novation. *Et quod ex Tertulliano solet in disceptatione de nuptiis injussu patrio factis afferri in lib. II. ad uxor.* Nam nec in terris filii sine consensu parentum Rite, & Jure (κατὰ συνωνυμίαν *scil.*) nubunt. *Ad hæc* rite contractum matrimonium, & rite contractæ nuptiæ *in* l. III. & VI. C. de interd. matrim. *Et alia sexcenta*. Hactenus Mazochius. Verum licet summas, immortalesque gratias tanto viro agam, eo quod germanam vocis notionem detexerit, tamen de origine dissentio; tum quia duriuscula, tum quod non est adæquata.

Por-

Porro *ἀμίσως ritus* fluxit ex תורת *torat*, seu *tora lex*, quæ vel usurpatur pro integra lege Mosews, vel pro specialibus quibusdam legibus, uti conjugii, Sabbathi &c. Hinc videas cur in titulo Digestorum propositum de ritu Nuptiarum, a quo tamen titulo, uti optime advertisse Mazochium supra vidimus, cæremoniæ absunt. Sane illæ formulæ *de ritu nuptiarum*, *rite contractum matrimonium*, *rite contractæ nuptiæ* in l. III. & VI. C. de interd. Matrim. nihil aliud redolent, seu spectant, nisi תורת, seu legem conjugii Mosaici. Atque id apertius perspicitur ex Tacito de Mose ubi ait: *Novos ritus contrarios ceteris mortalibus indidit;* qui plane *ritus* nihil aliud sunt, nisi *Mosaicæ leges* (quod & ipse Mazochius indigitavit) uti *Conjugii*, *Lepræ*, *Sabbathi*, ceteræ. Adhæc *ritu*, seu *rite* ex ipso *ritus* deductum cum significet *modum*, seu *morem* venit ab ipso תורת *torat*, *forma*, *ratione* (quam vocem Grammatici hoc sensu deducunt a תור): hinc apud Tullium *pecudum ritu* in l. de Amic. & Phil. II. c. 25. *latronum ritu*. Apud Virg. Æn. VII. v. 741. *Ritu Teutonico*. Denique vox תורת *torat* denotat *institutum*, *doctrinam*, cui fortasse simile erit illud *ritus* apud Maronem Æn. XII. v. 836. ubi ait: *morem*, *ritumque* sacrorum, nempe documenta, doctrinam: Sicuti *Instituta* sunt *publici mores*, & *civilis disciplina;* unde Valerii M. l. II. titulus *de institutis antiquis:* & eod. l. c. 1. ait: *Injiciam stylum tam nostræ Urbis, quam ceterarum gentium priscis, ac memorabilibus institutis*. Neque aliter dicitur *disciplina*. Postremo *ritus patrii* apud Tullium II. de leg. c.16. ubi ait: *In lege est, ut de ritibus patriis colantur optimi*, videntur haud abesse ab institutis, de quibus supra.

Τέχνη *ars*, & τεύχω *struo* ab תכן *tacan aptare*, *disponere*. *Strues*, & *struo* veniunt ab יצר *iastar*, (seu צור *stur*) *formavit*, *finxit*. Ἄρω, atque ἀρτύω descendunt ab חרש *aras fabricatus est*. *Cerdo*, unde sit, ita exponitur apud Vossium in voce *lucrum*. *Cerdonem quidem ἀπὸ τοῦ κέρδους, id est* lucro, *sic dici plane putamus*, (*qui enim lucello magis inhiant, quam hoc hominum genus?*) Hæc ille. Sed cum *cerdo* κυρίως denotet *artificem quemlibet*, idcirco occurrit apud Martialem III. 59. *sutor cerdo*. Et in Iscript. apud Sponium *cerdo faber*, facilius, & verosimilius derivatur ab Orientali חרש *caras faber*, *artifex*, ש in *D* abeunte: hinc Dorienses pro ὀσμὴ dicunt ὀδμὴ, ἴδμεν pro ἴσμεν, κεκαδμένος pro κεκασμένος, atque id genus alia. Βαναὶ τέχναι. Hesychius. Id profectum ex בנה *ædificavit*, *exstruxit*. *Colossus* a חרשה *carosa artificium*, *fabrefactura*, ex חרש *artifex*, & *machinatus*, *fabricatus est*, versa *R* in *L*.

Alcoranus, si fidem præstare haud renuimus Scaligero in notis apud Eusebium, lex Mahumedis venit ab Arabico אל *al* articulo, qui vocibus præponi assolet, & κυρὰν, ἀλκυρὰν. Vossius in voce *manacus* hæc habet διὰ βραχέων de ea voce, *Scaliger in notis ad Eusebium*, ait *Mahumedis lex κυρὰν*, *ἀλκυρὰν*. At quid κυρίως notet κυρὰν, unde domo, neuter patefecit. Mihi autem κυρὰν vocem Arabicam esse blandior, quæ profluxit ex Orientali קרא *cara*, quod non modo *vocavit*, verum etiam *legit*, unde קריאה *ceria* exponitur *lectio*, *prædicatio*, & מקרא *sacra Scriptura*, unde facile lex Mahumedis prius κυρὰν nomen sibi adscivit, atque dein *alcorano*. Ἐρωτάω *rogo*, *interrogo*

go venit ab הורש *edras* , & *D* in *T* verſa , atque metatheſi facta . Sane Hebraicum הורש idem adamuſſim denotat . Αἰσθάνομαι , ſeu inuſitatum αἰσθάνω venit ab אזן *izen attendit* , & *auribus percepit* , quod nempe pertinet ad aures & animum . Inde etiam factum latinum *ſentio*.

Διφάω *quæro* , *ſcrutor* fluxit ex צפה *tzapha exploravit* , *ſpeculatus eſt* . Ζητέω *quæro* , & *ſtudeo* , *conor* omnino venit a צדה *zada quærere* , *venari* , unde צדיה *induſtria* , *ſtudium* . Idque adeo verum eſt , ut inde etiam manaverit *ſtudeo* . Atque per metatheſin denique δίζω item *quæro* . Μῆτις *conſilium* , & μῆδος idem dicta ambo ab מועצות *moetot* , & *moedot conſilia* ; nam צ *medium* inter *T* , & *D* , idcirco ſæpiſſime mutatur in *D* , & *T* . Id exempla paſſim arguent . Βȣλη *conſilium* procul dubio venit ab תחבולות *tabulot ſolertiæ* , *conſilia* , abſciſſa ſyllaba principe ſcilicet *ta* . *Dolus* , gr. δόλος fluxit ex Hebræo התעלל *itallel* abſciſſa ה initiali , & ת in *D* verſa . Sane Orientis vox ſonat *egit* , *præclare ſe geſſit* , *machinatus eſt* , *malitioſe factitavit* , *ludificatus eſt* . Hinc apparet, cur veteres uſurpabant vocem *dolum* cum adjuncto *boni* , & *mali* . Nam & aliquando in bonam partem accipiebatur pro ſollertia , ſeu calliditate , hoc eſt ſtratagemate , quod adverſus hoſtes adhibebatur . Sæpe vero in malam partem. Dolus vero malus ſecundum Servium eſt quædam machinatio alterius decipiendi gratia , cum aliud ſimulatur, aliud agitur . Ad rem Tullius de offic. III. ait: *Cum ex Aquilio quæreretur, quid eſſet dolus malus , reſpondebat cum eſſet aliud ſimulatum , aliud actum* . Quæ ab Hebraica veritate haud diſcrepant.

Μάργος *inſanus* , *ſtolidus* fit ab Hebræo משגע *meſuga amens* , *inſanus* , dumtaxat converſa *S* in *R* , ut *Valeſii* , & *Valerii* , atque alia exempla , quæ apud Voſſium videre eſt . Νενίηλος *attonitus* , *demens* , *vecors* oritur ex נואל *noal ſtulte agere* , & *ſtulteſcere* , *ſtultum eſſe* , geminata priore ſyllaba. Adhæc *noal* eſt pro *neeval* , quod magis accedit græcæ voci . Demum νεννὸς apud Heſychium eſt *fatuus*, *ſtultus*, haud indignabitur genus ſuum repetere ab eodem נואל *noal* , de quo modo dictum habuimus. Ἠλεὸς *ſtultus* , *inſanus* & ἠλαίνω *inſanio* , atque ἠλίθιος idem veniunt ab Orientali הלל *alal inſanivit* , atque הלל *illel inſanum reddere* , unde הללת *olelat* , & *olelut inſania* ; & quoniam participium τȣ̃ הלל facit מהלל *meullal inſanus*, rectius inde factum μέλεος.

CA-

CAPUT II.

A'Γγος, ἄγκος, acerra, ἀορταὶ, ἀσὺρ, ἄλεισον, ἄμνιον, ἄσυλλα, κάρταλλος, bacar, bombylius, βυῤῥὸς, caccabus, γύαλαι *Hebrææ originis ſunt. Quid* λίθος γυαλὸς. *Noſtræ conjecturæ*. Γυλιὸς, calix, cantharus, calpar, κάλπη: *unde id vocabulum ducit Mazochius. Notatur*. Catinus, ciborium, κέρνος, ἐσχάρα, κώθων, κοῖξ, cophinus, corbis, κρώσσος, cirnea, κύπαρος, κύπελλον, cupa *ab Hebræis ſunt. Facciolatus falſus*. Κύαθος, δέπας, ἤγανον, φορμὸς, gabatæ, irnea, λάρναξ, λαρκὸς, λάσανον, lebes, μανὴς, mactra, matula, orca, ὑρχὴ, pelvis, riſcus, σάπιδος, ſinus, ſcyphus, σῆλια, τήλια, μάπον, aero, ampulla, ἄμβιξ, βίκος, bria, culeus, κάρδοπος, χύτρος, aſcos, κήθιον, πρόαρον, σαργάνη, πίνθος, δεῖνος, πῶμα, κύμβος, κελέβη, κόρυκος, hoſtus *ab Oriente manarunt*.

A'Γγος *vas quodlibet* omnino fit ab Orientali אגן *agan crater*; γ geminata. A'γκος vero *vallis* venit ab הגיא *agge* idem. *Acerra Voſſio in Etymol. videtur Tuſcum vocabulnm*. Sane (*inquit in* Acerra) ſacrorum vocabula pleraque Tuſca ſunt & ab Orientis linguis deflexa. *Hinc eidem Voſſio videtur per μετάθεσιν factum ab* חרר charar *quod eſt* incendere. *At Servio ad V.* 745. Acerra *eſt* arca turalis: *quod & Gloſſæ innuunt. Id ſi eſt ab Hebræo* charar (*id eſt* incendere) *ea de cauſa oritur, quia arca illa continebat id, quod incendi deberet, tus ſcilicet, quod ævo poſteriore* incenſum *eſt appellatum; ſicuti &* θύη (*unde* tus) *eſt* ſuffimentum, θυμίαμα. Ita Mazochius apud Voſſium. At Feſtus quid ſit *acerra*, rectius videtur proſecutus inquiens: *Acerra, ara, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur. Alii dicunt, arculam eſſe turariam*. Porro Orientale eſt, ſed profectum ab הכיור *acior concha vaſis genus, focus*, ſeu *foculus, vas ad ſovendum ignem*, & *ſuggeſtus*. Quæ quidem omnia quadrant cum verbis Feſti. A'ορταὶ ſecundum Pollucem ſunt *veſtium conditoria, arculæ*, κιβωτοὶ, κίσαι, dictæ ab חרטים *aritim loculi*. A'σὺρ: ita habet Bochartus Geogr. S. l. II. c. VII. c. 738. A'σὺρ, κρατὴρ ὑπὸ φοινίκων. Aſur *id eſt* חזור hazur. *Phœnices ita craterem vocarunt ab orbiculari forma, plane ut Syri globum* חזור ezur, *vel* izur. Sed pace tanti viri dicam, nihil eſt, quod ejus originem ab accidentibus potius, quam ab ipſa re petamus. Plane ἀσὺρ venit ab Hebræo אשישה *aſiſa*, ſeu *aſis lagena, crater*. A'λεισον haud abſurde per metatheſin ducerem ab חצלחת *aſalat*, ſeu *asloit patina, paropſis, lebes, ſcutella*. A'μνιον, & A'μὶς, utrumque ab Oriente ad Græcos deductum. A'μὶς *matula vas urinarium* venit ab חמת *hemet uter, lagena;* appoſite Euſtathius ab antiquis Atticis hanc vocem aſpiratam fuiſſe tradit. A'μνιον idem Euſtathius Od. X. ſignificare adſerit *vas, quo jugulati animantis excipitur ſanguis*, quaſi ἀμένιον,

τι ὄν hoc est *μένος*, sive *αἵματος σερνπκόν*. Cretenses vero *ἄμνιον* dicere *ἀγγεῖον εἰς ὅ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων ἐδέχοντο, ἄμνιον τι ὄν, παρὰ τὸ αἷμα*. Sane ut verum fatear, nihil aliud *κυελως* denotasse videtur, nisi *ἀγγεῖον*. Hinc descendit ex Orientali, seu Chaldaico המאן *aman vas*. Α῎σιλλαν, ni fallor, memini me legisse significare *fiscinam*. Ergo dicta ab הסל *asal*, quod Genes. XL. exponitur *canistrum*, seu *fiscus*, & Jerem. cap. VI. סלסלות exponuntur *corbes vindemiatoriæ*, *κάρταλλος* apud LXX, quod fortasse respondet nostrati vindemiatoriæ fiscinæ.

Bacrio: Bacar vas vinarium simile bacrioni. Bacrionem dicebant genus vasis longioris manubrii: hoc alii trullam appellant. In Glossis vero Philoxeni est *εἶδος ἀγγείου*. Plane ex Hebræo בקק *bacac*, seu *bac evacuavit*, unde venit בקבוק *bacbuc lagena*, ortum. *Bombylius βομβυλιὸς στενὸν ἔκπωμα βομβοῦν ἐν τῇ πόσει*, apud Pollucem, nimirum *angustum poculum, quod inter bibendum bilbit*. Videtur factum ab Hebræo נבל *nebel uter*, *lagena*, *N* deperdito, & *B* geminata. *Byrrhus*. *Hesychius: βυῤῥὸς κάνθαρος Τυῤῥηνὸς*: Byrrhus, poculum est Tyrrhenicum. *Videtur fuisse immanis capacitatis, ut propterea* בור bor (inde *βυῤῥὸς*) *id est* cisterna *diceretur: sicuti labrum illud prægrande in Templo* Mare æneum *vocabatur*. Ita Cl. Mazochius apud Vossium. Id certissimum, atque heic repetendum duco, quod alias sæpe monui, Hebraicum nempe ו *Vau* cholem, utpote medium inter *O*, & *V*, atque utrumque valens, multoties mutari in *υ* Græcorum, uti ex בור *Byrrhus βυῤῥὸς*, ex בוץ *Byssus* &c.. Verum iis, quæ docte, atque erudite Mazochius adspersit, hoc unum adjiciendum restat, nimirum בור etiam aliquando redditum *ἀγγεῖον vas* apud Lxxviros, uti perspicere licet ex Concordantiis Græcanicis Trommii. *Cacabus* a *κάκαβος*, *pro quo frequentius κάκκαβος legas gemino κ κ. Imo latine quoque rectius* caccabus *dixeris, quomodo scribitur ea vox in Pandectis Florent. Cum autem (quemadmodum ex quarto Athenæi paret) voce κακκάβη, & κάκκαβος utantur Aristophanes, & Antiphanes scriptores antiquissimi; frustra dubitat Isidorus, num forte eam vocem Græci acceperint a Romanis: quod nonnisi in iis vocabulis locum habet, quæ irrepsere in linguam Græcorum, postquam devicti sunt a Romanis*. Ita Vossius. Igitur vox latina *cacabus*, & græca *κάκαβος* veniunt ab Orientali חבת *cabat* (geminata principe syllaba) quod exponitur *sartago*, & *caccabus*.

Γυάλαι Megarensium lingua *pocula* dicuntur, uti discere licet ex Athenæo l. II. ex Phileta: haud vanus aruspex essem, si eam vocem derivarem ex גלה *gula lecythus*, *lenticula*; *γύαλον* vero *cavitas*, *vola*, & *vallis*. Necnon *γυαλὸς* exponitur, *qui manibus contrectari potest*. Ab Etymologo vero *κύβος*, *λίθος τετράγωνος*. Hinc venit ab ipsa radice nimirum גלל *galal volvit*, *devolvit*, unde גליל & גלילה *limes*, *confinium*, *tractus*, *terminus*, & גליל *versatilis*, *volubilis*, *orbis*; quod facit cum prima significatione scilicet, quod sit id quod manibus contrectari potest. Heic vero amplius conjectare ita arridet. Apud Eustathium dicitur *λίθος γυαλὸς ἀγκάσασθαι*; scilicet *λίθος γυαλὸς* quod exponitur, uti modo vidimus, *quod manibus contrectari potest*; apud Esdram vero occurrit אבן גלל, quod secundum Vulgatam est *lapis*

ini-

impolitus , juxta Rabb. Salom. & Kimchium , Pagninum , Ariam Montanum , aliosque *lapides marmoreæ* , secundum Syrum , Junium , Tremellium Piscat. Castalionem, aliosque *lapides prægrandes* , juxta LXX λίθοι ἐκλεκτοὶ : Κατὰ λέξιν vero *lapis convolutionis* . Hinc Cant. c. VII. v. 2. אגן הסהר *crater tornatilis* secundum Vulgatam , hoc est *eximius* , *affabre laboratus* . Et cap. V. v. 14. ידיו גלילי exposuit Vulgata *manus ejus tornatiles ;* ita quoque LXX . Verum cum & גליל *galil* significet *volubilem*, *versatilem* , & *orbem* , *sphæram*, uti גלגל quoque, haud temere est, quod LXX verterint ἐκλεκτοὺς , κυρίως *rotundos ;* sed quoniam quæ rotunda , item perfecta , concinna , idcirco LXX reddiderunt *lapides eximios* , *perfectos* . Atque id præteriens adspersi . Γυλιὸς vasculum militare venit ab ipso גלה *gula lecythus* , *lenticula* . Calix . *Non dubitandum*, *quin* calix *sit á* κύλιξ , *ut ait Priscianus in quinto* . . . . Κύλιξ *autem dicitur* παρὰ τὸ κυλίεσθαι *teste Athenæo*, *& Eustathio* . *Olim enim* torno calices *fieri solebant* . *Ita scripsit Theophrastus de terebintho tractans* , τορνεύεσθαι ἐξ αὐτῆς , καὶ κύλικας Θηρικλείους . Ita ferme Vossius . Sed tum *calix* , tum κύλιξ ab Oriente profecti ; nam ἀμέσως veniunt ab Hebræo כלי *celi vas*. *Cantharus* κάνθαρος, *vas vinarium Baccho sacrum* . *Dicitur* κάνθαρος , *quia figuram habet* scarabæi , *qui Græce dicitur* κάνθαρος . Ita idem Vossius . At ista Grammaticorum somnia . *Cantharus* scilicet *vas* derivatum ex קטר *catar* , unde מקטר *thuribulum* , *thymiaterium*.

Κάρταλλος exponitur *cophinus* , seu *corbis in angustum desinens* , sæpe occurrit apud LXX, venit ab אגרטל , quod exponitur *pelvis*, principe א detruncata . *Calpar genus vasis fictilis* , *sive dolium a Græco* κάλπη , *quod est* urceus , *sive ut Glossæ Cyrillo tributæ explicant* , urna : *Hesychius similiter exponit* ὑδρίαν , στάμνον , hydriam , urnam . *At* στάμνος urceus , urna , *ut est in Cyrilli Glossis* . *Atque hæc prima est* , *propriaque* calparis *significatio :* μετωνυμικῶς *autem pro* vino *accipi solet* , *ut Nonius ait* , *valideque firmat illo Varronis l. I. de vita Pop. Rom.* Quod antequam dolii nomen prolatum esset , cum id genus vasorum calpar diceretur ; id vinum calpar appellatum . Κατ' ἐξοχὴν *autem* calpar *vocatum id vinum* , *quod libabant Vinalibus* . *Festus :* Calpar vinum novum , quod ex dolio demitur sacrificii causa antequam gustetur . Jovi enim prius sua vina libabant , quæ appellabant festa vinaria . *Idem tamen alteram quoque significationem agnoscit* . *Nam mox subdit :* Calpar , genus vasis fictilis. Hæc Vossius . Eadem ferme habet Mazochius apud eumdem præter ea , quæ subdo : *Calpar Tuscum vocabulum esse*, *ostendit tum terminatio in R apud Etruscos frequens* , *tum quod sacrorum nomen est* . Eidem majus pondus addunt verba Varronis nimirum *quod antequam dolii nomen prolatum esset* , *id genus vasorum* calpar *diceretur* , quæ verba plane innuunt eam vocem vetustissimam , proinde ab Oriente manasse per Etruscos ad Latinos. Atque Mazochius ducit a Chaldæo קלפא *kalpa*, quod vasis genus est, tum Levit. XVI. 8. tum alibi. Sed antequam germanam vocis afferamus originem , non possum quin de tanto viro quædam addam. Is enim in variis operibus & præsertim in Spicilegio Biblico , & in Additionibus Vossianis sæpe queritur viros eruditos voces mere Chaldæas e Græco fonte ad Chaldæos

deflexas arbitrari. Ita in voce *cedrus* apud Vossium; aliisque quamplurimis; uti *furni*, *caligæ*. Sed frustra est. Nam illæ voces sunt recens ab Chaldæis nuperis e græco fonte deflexæ. Idem judicium esto de voce Chaldaica קלפא *calpa*, quod est ipsissimum gr. *κάλπη*. *Κάλπη* autem per metathesin factum ab כפר *cepor crater*, *pulvis*.

Catinus *in virili dixit Mæcenas apud Sosipatrum l. I.*

Jugeribus fumans calido cum farre catinus.

At in neutro quoque catinum *dici indicat Priscianus l. I. cap. de num. litt. & Isidor. l. XX. cap. VI.* Catini *geminam notationem ponit Varro l. IV. de L. L.* Vasa in mensa escaria, ubi pultem, aut jurulenti quid ponebant, a capiendo catinum nominaverunt, nisi quod Siculi dicunt *κάπνον* (*leg.* *κάπανον*) ubi assa ponebant. Hactenus Vossius. Verum & *calinus*, & *κάπανον* venire possent ab עטין *atin*, seu *catin mulctrale*, uti plerique exponunt, licet alii aliter explicant. Ab ipso עטין *atin*, seu הטנא *corbis*, factum *atanuvium poculi genus*, seu *vasis*, unde & *ἄτπανον* hoc est *τήγανον*. *Ciborium*: *Κιβώριον*, *Αἰγύπτιον ὄνομα*, *ἐπὶ ποτηρίου*. Sane venit ab Orientali כפור *cepor*, dumtaxat *P* in *B* versa, *crater*; *pelvis*, seu ipsum *ciborium*. Hinc apparet liquido, falli maxime, qui vel deducunt a *κιβωτὸς*, & תבה hebraicum, vel a similitudine foliorum, vel a folliculo fabæ ejusdem nominis. *Κέρνον*, & *κέρνος*. Pollux l. IV. c. V. inter *saltationum* species refert nominatas fuisse *τὰς ἐσχαρίδας*. Schol. Nicandri vocari *κέρνους* scribit *crateres mysticos*, *ἐφ' ὧν λύχνους τιθέασιν*. Porro Hebræis est כיור *cior focus*, *foculus* vas accommodum fovendo igni, unde nempe ex ipso כיור, atque אש *esc ignis* coaluit gr. *ἐσχάρα focus*. Denique *κέρνος* apud Athenæum l. II. atque apud Hesychium est *vas figlinum*, seu *poculum*. Sane ipsa vox כיור *cior* etiam vasis genus notat, & כירים *ceraim testus*, *vas fictile*. *Κώθων genus poculi Laconici* factum ex כוס *cos poculum* *S* in *T* abeunte. *Κοῖς coix* vas formarium apud Pollucem forte venit vel ab כור *catinus*, *fornax*, seu *focus*, vel vas ad liquandum metallum, vel a חור *canistrum*.

Cophinus *κόφινος* vas vimineum, corbis. *Cave autem putes, esse a Syro* קופניז. *Nam Syri contra, ut alia multa, ita illud quoque a Græcis acceperunt. Isidorus l. XX. c. IX.* cophinus dici *ait*, quasi covus, nempe ob cavitatem. *Sed eo refellitur, quod Aristophanes, & alii Græcorum veterum usurpent*. Ita Vossius. Est quoque mensura Bœotica aridorum, & liquidorum. Hinc tum Græcum, tum Latinum *cophinus* est ab Orientali כף *caph*, quod non solum denotat *curvum*, *curvaturam*, *cavum*, verum etiam *acerram*, *vas concavum*, *acetabulum*; & numero plurali *spathas*, *ramulos palmarum*. Quæ omnia quadrant notioni *corbis*, seu *vasis viminei*. *Corbis* unde deducendus, delirarunt Grammatici. Atque ipsi Vossio aqua hæsit. At hocce nomen omnino orientale; nam fluxit ab כלוב *celub* idem, tantum *L* in *R* conversa; quarum litterarum commutatio æquissima. *Κρώσσος urceus*, *hydria*, est ipsum Hebræum חרש *ceres testa*, seu *vas testaceum*. *Cirnea* vasis vinarii genus fit ab כיור *cior* genus vasis, seu concha. *Κυπάρους* ait Hesychius nuncupabant *τὰ κοῖλα ἀγγεῖα*, *καὶ χωρητικά*. Theophrastus vero *προάνθησιν*

θησὶν τινὰ τῆς πεύκης, καὶ τῆς πίτυος appellat κύπαρον. Plane quod attinet ad primam significationem venit a כפר *cepor crater*, *pelvis*; quod vero ad alteram spectat, advertendum כפר *coper* vel denotare *picem*, atque etiam *cyprum* arborem quamdam: quod facit cum iis, quæ Theophrastus adstruit. Unde venit κύπαρος quoque Hesychii, quod ipse *resinam* interpretatur. Κύπελλον item *poculi genus* venit ab ipso כפור *cepor crater*, *pelvis*, versa *R* in *L*.

Cupa vas vinarium, in quo mustum e torculari excipitur, atque etiam *cyathus*, uti patet ex illo Nævii: *Duas cuppas mero plenas exhausit*: uti docet Facciolatus apud Calepinum. Verum quod attinet ad secundam significationem hæc habet Vossius: *Sed si recte hæc ei tribuitur significatio* (quod Scaliger in *copam* negat) *non tam a* cauponibus *erit*, *quam*, *ut Nunnesio etiam visum*, *a* κύββα, *quo* ποτήριον *significari Hesychius docet*. *Sane multi cum vasis genus est* cuppa, *gemino pp scribere malunt*. Hæc Auctor. Heic autem tum *cupa*, tum κύββα veniunt a כף *cap cavum*, *vola*, *manus*, *acerra*, *acetabulum*. *Cupella*, *æ*, *f. g.*, *vel cupellum*, *i n. diminut. a cupa poculi*, *vel vasis genus a* κύπελλον. Ita Facciolatus apud Calepinum. Verum sibi ipse refragatur. Nam si *cupella* diminutivum a *cupa*, qui pacto simul derivari potest a κύπελλον? Rectius *cupellum* venit a κύπελλον. Κύαθος *cyathus*, vas potorium. Si aures præbemus Grammaticis, dicitur a χύω *fundo*, quasi χύαθος, *quia inde liquor fundatur*. *Sed verisimilius est*, ait Vossius, ob cavitatem *sic dici ab antiquo* κυάθω *pro* κύω. *Unde* κύτος, & κύτταρος *quibus* cavitas, sive ventricosum, & cavum *significatur*. At hæc omnia somnia. Porro ἀμέσως fluit ab כוס *cos*, seu κύς (nam ו Hebraicum apud Græcos abit in υ ὑψιλόν; quod plus vice simplici usuvenire vocibus græcanicis ab orientali fonte deductis satis, superque, prout sese obtulit occasio, demonstratum ivisse reor) & *S* in *T* mutata, quod sonat idem, ac *cyathus* nempe *poculum*, *calix*. Heic quoque obiter advertendum, litteram hanc Hebræorum scilicet ו, cum apud ipsos Hebræos media sit inter *O*, & *U*, atque utrumque valeat, omnino respondere τῷ ὑψιλὸν græcorum; atque falsum esse, quod afferunt, nimirum τῷ hypsilon nullam Hebræorum litteram respondere posse. Δέπας poculum dictum ab Hebræo צפחת *tzapah*, seu *tzapat*, quod exponitur *ampulla*, *lecythus*, צ in *D* versa, quam commutationem haud infrequentem esse autumo, neque importunam. Nam Hebræorum צ *Tzade*, ut quisque experiundo liquido norit, medium est inter *T* & *Z*. Denique omnibus res comperta est, *Z* sæpissime abire in *D*, cujus commutationis periculum facile apud Vossium in de permutatione litterarum facere poteris. Ἤγανον ab אגן *agan crater*. Φορμὸς *sporta*, *corbis*, *teges*, *storea* forte venit a פנים *phanaim facies*, & *qualibet externa rerum facies*, & פנים *phenim intimum*, *interius*.

Gabatæ vasa forte dictæ ab גביע *gabiah scyphus*. *Hirnea*, seu *Irnea*. *Irnea pro quo vulgo* hirnea *est* vinarii vasis genus: *cujus diminutivum* irnella, *quod Festus* genus vasis in sacris *esse dicit*. *Non audiendus Gothofredus*, *cum pro* irnella, urnula *mavult*. Irneæ *voce utitur Cato de R. R.* c. LXXXI.

 In-

Indito in irneam fictilem. *Et Plautus Amphith. Act. I. sc.* 1.

Cadus erat vini, inde implevi irneam.

Sic enim habent Codd. MSS. & vett. editt. pro quo in libb. quibusdam cirneam *invenias. Monet Scaliger ad catalecta Virgilii, antiquos pro* irnea *dixisse* erneum, *atque id esse* ὄρνεον, *quia* avis figuram *haberet*. Hæc Vossius. Verum id quod tradit Vossius de proprietate vocis, neque audiendus Nonius. Nam *irnea*, seu *hirnea* fluxit ab ארון *aron arca*, *loculus*, *feretrum*. Λάρναξ *arca*, *loculus*, *capsa* fluxit ex ארון *aron*, quod ipsissimum est, geminata *R*, atque priore *R* in *L* versa. Λαρκὸς *corbis e vimine plexus*, κόφινος, φορμὸς venit ab ארגז *argaz arca*, *capsula* (eadem mutatione adhibita, atque in λάρναξ (ex ארג *arag texere*. Λάσανον exponitur χυτρόπȣς *olla pedibus donata*, vel *sella familiaris*; Latinis *lasanum* per metathesin venit ex צלחת *salaat*, quod exponunt *gabata*, *scutellam*, *lebetem*, seu *sinum*, *manicam*. *Lebes* forte ortum ab נבל idem *N* excisa, atque metathesi adhibita. Μανὴς est poculi genus apud Athen. l. II. Plane venit ab Chaldaico מאן *man vas*. *Mactra* vulgo a Grammaticis ducitur a μάσσω *pinso*, eo quod proprie fit vas in quo pinsitur farina. At cum aliud vas quoque significasse videatur, haud abluderet a voce hebraica מקטרה *thuribulum*. Verum nolo cum Grammaticis pugnare. *Matula, unde sit, age videamus, an conjectura possimus assequi. Illud constat Græcis* ἀμίδα *dici. Hinc puto levicula* μεταθέσει, καὶ συγκοπῇ mada, *vel* mata *dixere*, & ὑποκοριστικῶς matula, & *altera diminutione tum* matella *Plauto*, & *Varroni apud Nonium*; *tum* matellio, *quomodo dicebatur*, *ubi a* matulæ *figura longius recessit*, *ut Varro scribit l. IV. de L. L.* Ita Vossius. Porro tum ἀμὶς, de quo supra, tum *matula* ab una eademque voce fluxerunt. Nam, cum prius κυρίως fuit *mata*, unde postea *matula* ὑποκοριστικῶς, uti ipse Vossius fatetur, sine controversia fit ab חמת *emet*, seu *amat uter*, *lagena*. Idque verissimum videtur.

Orca. Omnino autem vas orca, *uti &* urceus, ait Vossius, *est ab* ὑρχὴ, *quod Æolicum est*, *ac* vasis fictilis genus *notat simile ei*, *quod Græci* βῖκον *vocant*. *Ubi Pollux respicit illud Aristophanis in Vespis*.

. . . . τὄποισι καὶ δωροδοκȣ̃σιν

Ὑρχὰς, οἶνον δάπιδας . . . . .

Sed Pollux legit ὑρχὰς οἴνȣ. *Monet autem ad hunc locum Scholiastes* ὑρχὰς *esse vasis fictilis genus*, *duas habens ansas*, *in quo salsamenta reponerentur*. *Quod ipsum iisdem verbis tradit Suidas*. Ὑρχαὶ, *inquit*, κεράμινα ἀγγεῖα ὑποδεκτικὰ ταρίχων, δύο ὦτα ἔχοντα. *Atque ita* orcæ *vocabulo utitur Persius*, *sat. IV.*

Mœnaque quod prima nondum defecerit orca.

Ab hujus vasis similitudine ad alia quoque id nomen translatum. Hæc Vossius. Verum & *orca*, & ὑρχὴ, & *urceus* fluxerunt ab Orientali הקערה *acara scutella*, vel ab הכיור *acior* (per metathesin) *labrum*, *concha*, seu *vasis genus*, unde כירים *ceraim testus*, *vas fictile*, quod videtur magis quadrare. *Pelvis* forte *N* deperdito fit ab נבל *nebel* idem, atque *B* in *P* versa. *Qualus* proprie est cistæ, seu vasis viminei genus; hinc dictum puto a

חור *cor*, seu *quor foramen*, & *foraminosum opus*, seu *canistrum*, *R* in *L* versa; seu potius a כלי *queli vas omne*. *Riscus erat cista pelle contecta, vel e vimine, seu juncis compacta; dicebatur quoque locus concavus in pariete, qui fenestella clauditur. Priorem notionem docet nos Pollux, qui Antiphanem* ῥίσκῳ *voce pro* cista vestiaria *usum testatur: item Donatus in illud Terentii Eun.* 4. *VI.* Ubi sita est? in risco. *Ubi ait:* In risco, cista pelle contecta, nomen Phrygium. *At posteriorem notionem indicat Nonius his verbis:* Riscus, loca in parietibus angusta . . . . . . *Quod ad* ἔτυμον, *fortasse illud quærere non attinet, cum Donatus dicat esse vocabulum Phrygium. Sed multa Phrygibus cum Græcis communia fuere: eoque commode deduxeris a* ρύσκω, custodio, *quia vestes* risco *servarentur*. Hæc Vossius. At falsus est. Nam hocce vocabulum cum vix apud Græcos in usu sit, atque Phrygium audiat apud Terentium, omnino orientale est, nimirum ab ארגז *argaz* (abjecta principe littera א, & metathesi facta) quod exponitur *arca*, *capsula*, ex ארג *texere*, utpote κυρίως denotet *opus textrinum*. Verum Bochartus id etymon vidit.

Sapidos σάπιδος *vas* apud Suidam dictum vel a צפחת, vel a סף *sap pelvis crater*. *Sinus*, & *sinum*. *Est & sinus vasis genus: verum tum & priorem producit, ut ex Maronis Eclogis notum est, & secundæ est inclinationis, cum apud Plautum Curcul. in ablativo legamus sino. Quodque ad originem pertinet, putatur sic dici, quia* sinuosum, *atque amplum. Varro in IV. de L. L.* Sinum a sinu, quod sinum majorem cavationem, quam pocula habeant. *Verisimilius autem Turnebus & alii, qui sic dici ajunt a* δῖνος, *quo* vortex *significatur. Nam magna est inter D, & S affinitas: ut in* ἴσμεν ἴδμεν, ὀσμὴ ὀδμὴ. *Unum tamen scrupulum injicit, quod* sinum *non videtur fuisse figuræ turbinatæ, uti* δῖνος. *Quare forte* sino *nomen a* δινέω verso, gyro, *quia in eo* ὕδωρ δινεῖται *hoc est* circumagitur. Hæc Vossius, qui videtur potius ipse δινεῖσθαι. Porro *sinus*, seu *sinum* ἀμέσως venit a צנצנת *sinsenet* geminata voce, quæ ἁπλῶς est *sinet*, seu *sin urna*, *paropsis*, *scutella*, quod haud abludere a veritate reor. *Scyphus* σκύφος forte a גביע *gabiah* idem σ addito, atque *G* in *C*, & *B* in φ versa. Τήλια, & σήλια est vas situlæ figura, & vas in quo farina subigitur. Sane venit ab צלוחית *seloit*, seu *salaat gabata*, *lebes*, *sinus*. Φορμὸς *sporta*, *corbis* a פנים *phenaim facies*, *superficies*, *quælibet externa rerum facies*, *N* in *R* versa, unde venit etiam *forma*. Μάπον exponitur mensura vendentium, ut cauponum, atque hujus generis aliorum. Concinne μάπιον derivatur a מדד *madad mensuravit*, unde מדון *madon mensura*. Æro, græce φορμὸς, de cujus origine sic Vossius: Æro *idem est* φορμὸς, *sive* phormio: *nempe vasis spartei genus, quod* sportam *vel* fiscinam *dicimus: atque ut* φορμὸς ἀπὸ τοῦ φέρειν *vocatur, ita* aero *dicitur* ἀπὸ τοῦ αἴρειν, *quod est* βαστάζειν. *Vas enim erat tollendo ferendoque aliquid idoneum. Unde liquet, perperam* hæro *scribi cum H, ac pejus etiam* hero, *vel* ero. *Idem esse* æronem, *ac* phormionem, *seu* φορμὸν *indicat Donatus in Phorm. I.* 11. Phormio, *inquit*, non a formula, sed a phormione sparteo, quem nos æronem dicimus trivialiter, & pro consuetudine. *At* φορμοὶ, πλέγματα *ut ex Hesychio constat. Ac in Glossis Philox. legas*; Æro, κοῖξ. Κοῖξ *autem inter*

mi

τὰ ἐκ πλέγματος σκεύη *a Polluce etiam refertur l. X. cap. XLVI. Ubi vulgo corrupte ea vox legitur : sed* æronum *vocem viri docti reponunt . Vitruvius l. V. cap. XII.* Et inter destinas creta æronibus ex vulva palustri factis culcetur . *Ubi vulgo* destinatas *pro* destinas ; *& pro* æronibus, meronibus, *Philander perperam* peronibus . . . . Hæc Vossius . Videtur *æro* facile fluxisse ab Orientali ארון *aron urna* , *loculus* , *pheretrum* . *Ampullæ* originem quam tradunt , utpote risu excipiendam mitto . Interea admodum haud abest ab Hebræo הנבל *anabal lagena* , & *uter* ; quod facit cum significatione *ampullæ* . Nam vetus Horatii interpres nuncupat eam *vas ventricosum* . Ἄμβιξ exponitur *olla* , & *calix* , seu vas potorium venit vel ab חבת *cabit caccabus* , *sartago* , vel ex אוב *ob uter*.

Βῖκος *urna* , seu *vas habens ansas* , *doliolum* , *lagena* , vel factum ab פך *lenticula* , vel בקק *bacac evacuavit* , unde בקבוק *bacbuc lagena* . Ab פך *phac* vero venit etiam φάκος *vas* . *Bria* vasis genus ἀγγεῖυ εἶδος fluxisse puto ab בור *bor* , quod etiam apud LXX *cantharus* exponitur . *Culeus* , Κόλεος , & κυλεὸς *vagina* , *culeus* , atque etiam *loculus* , *hydria* apud Hesychium . Hinc apposite venit ab כלי *celi vas* . Unde fluxit quoque , nisi mavis a græco κυλεὸς , Chaldaicum קולא *cula* , quod in Targum *pelvim* , *hydriam* , quam originationem obtrudebat Mazochius noster . Κάρδοπος *mactra* videtur constare ex קערה *ceara scutella* , seu כיור *labrum* , *concha* , *vasis genus* , & צפחת *dapaat ampulla* , *lecythus* . Χύτρος *olla* venit vel ab קערת *cearat scutella* per metathesin . *Ascos* græca vox est, nempe ἄσκος *uter*, factum ab Hebraico אסוך *asuc* , quod exponitur *lecythus* , vas olei , seu unguenti . Κήθιον , & κηθάριον vas , in quo calculi , & sortes injiciebantur , dictum a כוס *cos calix* , seu כיס *loculus*, *S* in θ versa . Πρόχρον apud Atticos dicitur *ligneus crater*, in quo vinum miscetur secundum Athenæum l. II. ex Pamphilo . Plane dictum ex פרור , quod exponunt vulgo *caccabum* . Σαργάνη *sporta* , *cista* , *crates* , & *vinculum* , *nexus* fit ex שרג *nexum esse* , *implicari* , *intorqueri* . Τίνθος *venter*, *vas* , πᾶν χῶρημα *a* דור *pelvis*, *crater* , & דד *uber* , *mamma*, *D* duplici in *T* conversa . Δῖνος , seu δεῖνος , genus vasis fictilis basi carens , & inferius rotundum apud Athen. l. II. Poll. l. VI. Aristoph. in Vespis. Hinc Hesychius: Δεῖνος εἶδος ἐκπώματος . Porro δεῖνος ἀμέσως factum ex Hebræa voce דוד *dud* altera *D* in *N* abeunte de more , quod exponitur *canistrum* , *sporta* , *crater* , *pelvis* . Πῶμα *operculum* venit a Chaldæa voce פום *pum* , seu *pom os* . Κύμβος *curvus recessus* , & *ollæ fundum* , κύμβον *acetabulum* , κύμβιον *poculi genus* ductum a כף *cap curvatura* , *cavum* , *acerra* , *acetabulum* ; *P* geminata , nam ex כפף *capap* venit , quarum prior in *M* , altera in *B* evasit ; quæ litterarum commutatio ad manus est. Κελέβη exponitur *poculum ligneum*. Dictum a כלוב *celub canistrum* , *cavea* . Κόρυκος *saccus* , & *follis* fit ab Hebræo עור *gor* , seu *cor* alternante *C* , quod *corium* , *pellem* denotat . *Hostus* mensuræ genus a χωςὸς , quod est *acervus* , ducitur apud Vossium . At quoniam vox redolet antiquitatem , atque nomen vasis est , ab Oriente ad Etruscos advenit , nempe ab אשישת *asisat lagena*.

EXER-

EXERCITATIO XI.

CAPUT I.

AI'όρ , αἰορπάτα , ἀνὴρ , homo ab Oriente profecta . Querelis Agricolæ Vossius facit satis . Scaligeri , Vossii , Mazochii , & Grammaticorum etymon improbatur : genuina horum originatio producitur . Βροτὸς , πέλλω , fuo , ἔω , εἰμὶ , ſum , eſcit , ἔσκον , φύω , maſculus , βρέφος , σκίναρ , nympha , σπήπη *ab Hebræis derivata .* Ipſe *ſæpe peculiarem ſignificationem imbibit ,* Idem , αὐτὸς , οὗτος , iſte , μὶν , ἶν , ἕ , pappus , κάσις , σήγωρ , τύρος . filius , ἶνις , φύλον , βάδας , λαικαστὴς , κάζω , κάσσα , cadeſa , κασάλβη , mœchus , adulter , κύω *ab Orientali fonte manarunt .* Implere *uſurpatur non ſolum de brutis , verum etiam hominibus accommodatum . Notatur Facciolatus .* Nubo , mullare , μύλλειν , οἰφάω , ὀπυίω *Orientis quoque ſe produnt .*

AI'op ſignificat *virum* , *hominem* . Hinc αἰορπάτα , & αἰορπάται dictæ *viricidæ* ἀνδροκτόνοι Amazones lingua Scythica , teſte Herodoto l. IV. Verſa *S* in *R* venit ab איש *vir* , unde א , utpote quæ ſpiritus eſt , verſa in *V* oritur etiam *vir* . Πάτος vero a פצע *pata vulneravit* fortaſſe derivatum . A'νὴρ apud Etymologum derivatur ab ἄνω , vel ἀνύω *perficio* . Sed ſomnia . Nam Orientale nomen eſt, atque recta fit ab אנוש *enos*, ſeu Chaldaice אנשא *anaſa homo* , *vir* , tantummodo ש in *R* converſa . *Hominis* etymologia miras , infinitaſque ſevit lites inter Eruditos . At primo Rodolphus Agricola epiſt. ad Alexandrum Hegium inepte quæri putat , unde originem trahant *homo* , & græcum ἄνθρωπος ; eo quod nullius rei nominandæ prior , antiquiorque hominibus cura fuerit , quam ſui ipſius . Uti habet ipſe Voſſius . Sed hance opinionem refellere juvat Voſſii verbis , licet longioribus . *Nam ratio hæc ſolum aliquid coloris habet in ea lingua , quæ omnium prima fuit . Quippe initio conditi generis humani neceſſum fuit primum hominem curam ſuſcipere rebus omnibus apta nomina faciendi . . . . Sed aliarum linguarum longe alia ratio eſt . Quippe omnes cum lacte parentium linguam imbibimus : ſed temporis progreſſu vocabula multa litteris , ac ſyllabis integris immutantur : etiam gentium commigrationibus fit linguarum miſcela , veteribus vocabulis deletis , novis novæ gentis inductis . Hæc vocum immutatio non communi conſilio fit aut paucorum auctoritate, ſed quaſi ſponte, nec id agentibus hominibus ex eorum commerciis provenit . Quare manifeſtum eſt nihil impedire quominus & in vocibus uſitatis convenientiam ſpectemus , & ab uſitatis vocabulis recurramus ad antiqua ; & a gente una ad eam , quæ cives ſuos in alteram transfudit . Nec hic ordo aliquis ſpectandus : quaſi homines prius ſibi ,*

hinc

hinc proximis , inde aliis , atque aliis rebus nomen imposuerint , prout in sensus propinquitatem , aut in mentem ob utilitatem , aut dignitatem prius singulæ incurrebant . Nam hoc tum demum haberet locum , si gens aliqua aut primores , velut in consessu deliberasset de vocabulis fabricandis , quod putare puerile est . Hæc si cogitemus , fatebimur caussæ nihil esse , cur non homo sive ab alio Latino vocabulo , sive ab alius gentis voce nomen possit accepisse . Hactenus Vossius , quem κατὰ λέξιν exscripsimus eo quod res ita postulabat . Secundo unde venit , restat inquirendum . Scaliger putabat dici ab ὁμῶς , seu potius ὁμοῦ *simul* (uti reponit Vossius) *eo quod est animal politicum , & sociabile* . Non desunt qui potiori jure dictum autumant ex *humo*, eo quia inde conditus . Postremo Vossius suspicatur *homo ex* hoom , *seu* oom *hoc est* odom *factum esse eliso D , & facta* μεταθέσει . *Quandoquidem Syris* homo *dicitur* odom , *non* Adam , אדם , *nempe quia* (τ) *semper per O enunciant , Nestorianis , & aliis paucis exceptis* . Mazochius vero noster ita suam exposuit sententiam . *Homo multitudinis initio fuit nomen , sicuti & Hebraice* אדם , adam *pro universo genere*, *proque hominum multitudine passim sumitur . . . . Ideo erit hominis appellatio ab* המון amon , *quod est* hominum multitudo . . . . . *Vel erit ab eodem Hebraico themate , quatenus coitionem significat . Ab* המה ama *enim* tumultuari , *&* coire *fit* Homo , *animal sociabile , & impatiens solitudinis* . Hæc ferme Mazochius in additionibus apud Vossium . Ut autem ad etymon veniamus , tempus postulat . Porro cum Vossius abunde satisfecerit Agricolæ querelis , idcirco ne γρῦ quidem de ea re . Hoc tantum addo , quod græcum ἀνήρ etiam *hominem* denotat , attamen ἀμέσως descendere ab Orientali lingua supra demonstravimus . *Homo* itaque facilius emollitum puto ex Hebraico מתם *methom* , quod idem , ac *homo* apud Latinos . Abscissa prima *M* , vel rejecta in postremam syllabam, ita ut si celerius repetiveris *methom* , *methom* , tibi præsto erit *thomo* , atque ת , seu *Th* in *H* verso ; nam sæpe *T* ab initio expellitur , est in promtu *homo* . Βροτὸς *mortalis* , unde βροτοὶ *mortales* , *homines* mihi videntur venire ex ברא *bara creavit* , quin imo בריאת *beriat* , quod exponunt *creationem* , & *creaturam* . Quod non admodum improbo . Τέλλω *orior* , aut *fio* κυρίως denotet , oportet . Nam composita ut ἀνατέλλω , ἐξαντέλλω , ἐπανατέλλω *oriri* designant , & ἐπιτέλλω , ὑποτέλλω idem evincunt . Itaque τέλλω factum ex Orientali זרע *zarah* idem , nempe *ortus fuit* , atque etiam dicitur de Sole . Hinc Sam. II. cap. 23. יזרח שמש hoc est *orietur Sol*. Haud secus ac Græcis familiare est ; mutata *Z* in *T* , atque *R* in *L* , quo nihil frequentius.

Fuo , unde *fui* , *forem* , *fore* , *futurus* apud Vossium ducitur a φύω *nascor*, *fio* , *sum* . Sed quoniam nostrum φύω dumtaxat *nascor* designat , atque iccirco alterius significationis , aliunde *fuo* ducendum . Sane *fuo* κυρίως cum designet *sum* omnino est ab Hebræo הוה *fava* idem ; nam ה cum sit spiritus , haud secus ac *H* Latinorum, in *F* vertitur . Ab ipso orientali הוה ortum græcum ἔω *sum* , quod dein εἰμὶ . *Sum* sunt qui derivent ab εἰμὶ , haud quoque desunt , qui venire putant a futuro ἔσομαι per abscissionem τοῦ ε . Mazochius vero ducit a שום, *quod est ponere* , aut *poni ; nam id verbum non*

rato

raro passive significat, ut Idem habet. Verum haud mihi videntur isti rem recte, atque ordine ordiri, atque instituere. Nam istud verbum est omnino anomalum. Etenim mutuatur tempora ab alio verbo Orientali, unde originem traxit. Hinc *sum*, quod ad rem, antiquitus dicebatur, atque inclinabatur *esum*, *esis*, *esit*, *esumus*, *esitis*, *esunt*, & quædam tempora τῦ εἰμὶ, ut ἔσομαι, atque etiam εἶς, ἐστὶ, conficiuntur ab altera voce Hebræa יש *ies est*, *es*, *sunt*. Et quoniam vox יש pronunciatur *iesc*, inde fortasse natum antiquum *escit*, quod forsitan erit idem, ac præsens *esit*, seu *est*. Inde quoque ἔσκον pro ἐὸν, licet Grammatici doceant σκ intrusum more Æolum. Φύω *nascor* est a פרה *phara fœtavit*. *Masculus* esse dicitur a *mas* apud Vossium, unde *masculetum*. Sed in alia omnia ire mihi suadet origo Hebræa. Nam recta est ex מזכיר *mascir masculus* ex זכר, quod *masculum nasci* denotat in *Niphal*, & *masculus*, *mas*, quatenus nomen verbale. At forte mirari subit, cur non sit ortum *masculus* ex *mas?* Verum contra evenit, nempe *masculus* fit ex Hebræo, atque ex *masculus* contractum, seu decurtatum *mas*, sicuti ex *axilla* est *ala*. Βρέφος *infans*, *fœtus recens editus* forsitan dictus ex פרה *para*, seu *phara*, quod est *fœtavit*, *fœtificavit*, *P* alternante, atque priore in *B* abeunte. Σκίναρ denotat *fœtum*, seu *fœturam* apud Nicandrum in Ther. Belle derivatur ex שגר *sagur* idem, *G* in *C*, & *R* in *N* conversis. *Nympha*, νύμφη ducitur ab etymologo ἀπὸ τῦ νέον, & φαίνεσθαι; sed inepte. Nam νύμφη dicta est ab Orientali נבעל *nibal maritari*, sicuti & בעולה *maritata*, *conjugata*, tantum *B* geminata, quarum prior in *M*, altera in φ evasit.

Σπίτη *femina* ortum ducere videtur ab אשת *eset*, abscissa א, atque geminata, seu alternante ת. *Ipse* aliquando videtur accipi pro eo qui præsens aliquid facit, Italice *in persona*. Hinc ita sumi potest pro lege Man. *Atque ut intelligant omnes, me L. Lucullo tantum impertiri laudis* . . . . *dico, ejus (Luculli) adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas, atque instructas, esse deletas; urbemque Asiæ clarissimam, nobisque amicissimam Cyzicenorum obsessam ab ipso Rege, maxima multitudine, & oppugnatam vehementissime, L. Luculli virtute, assiduitate* . . . . . . Nam licet reponi posset vocem *ipso* positam esse pro nomine Mithridatis, cujus paulo ante mentionem fecerat Tullius, tamen denotat *præsentiam* Regis, eo potissimum, quod Orator Lucullum laudat, atque cum omnia alia adjuncta expendisset, etiam id veluti magni ponderis adjunctum ab Oratore selectum esse existimandum est. Etenim Rex præsens magis militum animos accendebat. Huc quoque pertinere possent alii Auctorum loci, uti Maronis Geor. IV. v. 401.

Ipsa ego te medios cum sol accenderit . . . . .
In secreta senis ducam.

Sæpe Auctores id adjungunt claritatis gratia. Atque idem Virgilius Æneid. XI. v. 74.

. . . . *Geminas vestes extulit Æneas* . . . .
. . . . *Quas illi læta laborum*

Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat.

Porro cum *ipse* ponatur vice nominis, modo indicat fieri aliquid ἀμέσως a persona, pro qua adhibetur pronomen, modo non ἀμέσως. *Idem* ducitur apud Vossium ab *is*, seu *id*, & *dem*. Haud mihi importunum videtur derivari ex עצם *etzem idem*, *ipse*. Αὐτὸς, & ὅτος dicti ab ipso עצם *etem idem*, *ipse*. *Iste* forsitan ab הזה *aze* idem. Μιν cum ponitur pro αὐτῷ, pro αὐτῆς, pro αὐτοὺς venit ab מו *mo*, quod est idem sæpe, ac הם *ipsi*, seu המה *emma*. Ἴν dicunt Cyprii pro αὐτὸν, & αὐτὴν teste Hesychio. Videtur ortum ex הוא *u ille*, seu היא *illa*, vel אנון *illi*. Ἕ *se* pronomen, unde ἑὸς *suus* est ab ה *a*, seu *e*, quod denotat *illa*, *ipsa*.

Pappus est *senex*, atque ducitur a græco πάππος, quod denotat *avum*. Verum πάππος unde profectum, restat investigandum. Sane ex Hebræo ducendum. Nam venit ex אב *ab* geminata voce, metathesi facta, atque *B* in *P* versa; qui *patrem*, *avum*, & *majores* designat. Κάσις *frater*, vel *soror*, vel *consobrinus* fluxit ex חתן *catan affinitate junctus fuit*, unde etiam denotat *socerum*, *socrum*, *generum*, & *sponsum*: versa ח in *S*. Σήγωρ *parva* secundum Etymologum videtur descendere ex Orientali צעיר *sagir parvus*, *exiguus*, צ in *S*, & ע *G* versis, uti sæpius ostendimus. Τύνος *parvus* fluxit ab צעיר *tair* idem, *R* in *N* conversa. *Filius* ducitur ab ϝυὸς pro υἱὸς quod idem est, vel a φύλὸν *genus* . . . . . Vel quod maxime omnium placet Vossio ab ἶνις, quod ab Hesychio redditur παῖς, βρέφος, νέος ἀπόγονος, νήπιος. At *filius* mihi opportune videtur duci ex פרה *feri fructus*, & *fœtus*, *partus*; nam פרה *fara* est *fructum edidit*, & *fœtavit*; versa *R* in *L*. Ἶνις vero Hesychii ab נין *nin filius* per metathesin τῶ *Jod*. Φύλον *genus* fortasse dictum ab ipso פרה *phara fœtavit*; de quo supra. Βάδας exponitur *cinædus*; dictus ab בוש *bus*, seu בש *bas puduit*, atque *pudenda commisit* in Hiphil; ש in *D* commutata. Λαικαστὴς *scortator*, & λαικάζω *scortor* dicta ab Hebræo לקדש *lecedes cinædus*, πόρνος. Ex קדש autem factum ל præposito, sicuti ex אום factum לאם *leom*, nempe λαὸς *populus*, ex חפשי, לחפשי *leopsi*, unde *læbesus*, ex אמר, לאמור evasit, unde λάμυρος. Κάζω vero *orno*, *præparo*, *instruo* potuit fieri ex ipso קדש *cadas* idem; nam *Z* pollet æque, ac *D*, & *S*, ideoque sæpe Æoles *Z* resolvunt in *D S*, uti μελίσδειν pro μελίζειν, παίσδειν pro παίζειν; atque his similia. Κάσσα *meretrix*. Frustra Etymologus adlaborat in investiganda ejus origine. Etenim venit ex Orientali קדשה *cadesa* idem, unde *cadsa*, & postea κάσσα. Ab ipso קדשה *cedesa* fluxit vox barbara *cadesa* pro *meretrice*. Necnon inde descendit prior pars vocis κασάλβη. *Mœchus* μοιχὸς ab יחם *iacham* (per metathesin) *coivit*, *concepit*. *Adulter* ab Angelo Caninio apud Vossium ducitur a *gajar*, unde *adultera gajarta*. Sed videtur duriusculum etymon. Si Festum audire velimus; *Adulter*, *&* *adultera dicuntur*, *quia & ille ad alteram*, *& hæc ad alterum sese conferunt*. Κύω *in utero gesto*, & *concipio* ortum a חול *cul*, seu *cil peperit*, vel a יחם *iacam*, quod *concepit* est, contractum. At si conjecturis tantisper vacare licet, potius *adulter* per metathesin ducendus ab ילד

ילד *ialad genuit , peperit* , & *parere fecit . Implere . Impleri dicuntur brutorum fœminæ , cum mare adhibito fœtum concipiunt: Plin. l. XIV. c. 63.* Canes implentur uno coitu . *Col. l. VII. c. 6.* Itaque quinquennis parum habetur idoneus fœminis implendis. Ita Facciolatus apud Calepinum . At pace ſua dicam , non ſolum de brutis , verum etiam de hominibus uſurpatur . Hinc Lucanus de Parthis l. VII. v. 409.

Cui fas implere parentem
Quid rear eſſe nefas?

Et Ovidius XI. Metamorphoſeωn v. 265.

. . . . *Confeſſam amplectitur heros ,*
Et potitur votis , ingentique implet Achille .

Nubo hoc eſt *viro trador* fruſtra Grammatici a *nubes* derivant. Nam fluxit ab Orientali נבעל *nibal* , quod adamuſſim τῷ *nubere* reſpondet .

Mullare antiquum eſt , & denotat *ſuere* ſecundum Feſtum . De quo ita Voſſius : *Mullare , ut in Conjectaneis , & ad Priapeia ſcripſit Joſ. Scaliger eſt a Tarentinorum , & Syracuſanorum verbo* μύλλειν , *quod eſt* περαίνειν , καττύειν. *Utitur Theocritus Idyll. IV. Sed metaphorice pro* ſubigere:

Εἰπ᾽ ἄγε μοὶ Κορύδων , τὸν γερόντιον ἦ ῥ᾽ ἔτι μύλλει
Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα , τᾶς ποτ᾽ ἐκνίσθη .

Dic age mihi Corydon , ſenecio ille num adhuc ſubigit
Illud nigro ſupercilio ſcortillum , quod olim deperibat?

Nam μύλλειν *hic eſſe* πλησιάζειν *docet Euſtathius , ac Scholiaſtes in hunc locum. At male credidit idem Scholiaſtes eſſe a* μύλη , *quod & H. Stephanus cenſuit , qui ſimile eſſe ait iſti Horatiano :* Alienas permolere uxores . *Nam hoc ſi eſſet , non geminaretur liquida . Deinde unde niſi a* μύλλειν , *ſit* mullare , *quod* ſuere *a Feſto exponi diximus ? Quid quod , ut Theocrito* μύλλειν , *ita Latinis* ſuere *notat* πλησιάζειν , *unde Lucilius* pædicones *vocat* ſubulones , *ut oſtendit illud Auſonii ep. 79.*

Lucilli vatis ſubulo pullipremo.

Hactenus Voſſius . Porro μύλλειν venit a מוליד *molid* ex ילד *genuit , generavit* , ſeu מחל idem , vel a מלא *implere* , ſicuti Latinis quoque adhibitum modo vidimus . Οἰφάω ὀχεύω , *coeo* , & ὀπυίω idem valet . Dicta ambo ex עבר *ibber inivit , coivit , & gravidam effecit* , *B* in φ converſa.

CAPUT II.

ARtus, ἄρθρον, ῥέθος, ἄπα, ala, ἄκαρα, βύττος, βάταλος, βασσάρη, βάκηλος, genu, γυῖον, χρῶς, δέμας, δέρη, λόφος, εὐρώπας, ἐπείσιον, ἦτορ, ἦτρον, eugium, dorſum *ab Oriente deflexa*. Doron, ἔχω, λάζομαι, αἴνυμαι, emo, αἱρέω, hæreo, αἴρω, δράττω, κάρα, κάρανος, ἀμφὴ, ἀναφάλαντος, μίλφωσις, κεφαλὴ, θρὶξ, τυλοὶ, σκύνιον, ἔθειρα, carpus, κέαρ, barba, φενάκη, *ſeu* πηνίκη, *unde prima pars* τῦ φερενίκη, cælebs, κόννος, κόττος, χαίτη, κρώβυλος *Hebraicam radicem jactant*. Culus, & κολεὸς *inter ſe diſcrepant*. *Notatur Scaliger*, *Voſſius*. Cunnus, cubitus, κύβιτον, forma, μορφὴ, grallæ *Hebrææ quoque originis exſiſtunt*.

A*Rtus* ἄρθρον fortaſſe profecta ex יתר *iether nervus*, unde & מיתרים *metarim nervos* denotant, vel ab יצר *ietur membrum*. Ρ'έθος *membrum* per metatheſin exſtat ab Hebræo יצר *ietur*, unde יצרים *ieturim membra*. Α῎πα, ὦπα Ταραντῖνοι. Ait Heſychius. Dicta ab אזן *ozen Z* in *T* verſa. *Ala* apud Voſſium ducitur ab ἴλη, quod denotat *agmen*, & peculiariter agmen equitum. At quia non liquet, unde in avibus hoc nomen, ideo ad alias etymologias confugit Martinius. Huic itaque videntur dictæ *alæ*, vel quaſi *avolæ*, *quia iis volant aves*, *quomodo Græcis* πτέρα ἀπὸ τῦ πτέσθαι, *quod eſt* volare; vel ab ἀέλλα *procella*; aut ab ἀλέη *effugium*: vel ut ſit ab Hebræo עלה *alah* id eſt *adſcendere*, *quod alis ſuperiora petantur*: vel ab אל *el fortis*, *quia in alis eſt avium fortitudo*: *unde Hebræis* ala *eſt* אבר *eber* ab אבר *abir fortis*. *Hebræum eſſe*, addit Voſſius, *magis placet*. *Quod ſi eſt*; *ab* ala *fit* ὑποκοριστικὸν axilla. *Verum aliter veteres*. *Quippe cenſent*, *ala* κατὰ συγκοπὴν *factum eſſe ex* axilla. *Docet hoc Cicero Orat. ad Brutum*. Ita Voſſius. At *ala* facillime derivari poſſet ex Chaldaico עלע *ala*, quod exponitur *coſta*. Factum enim ex צלע *zela coſta*, *latus*, verſo צ in ע, uti familiare eſt Chaldæis. Α῎καρα τὰ σκέλη apud Cretenſes dicta ab הכרעי *acre*, ſeu *acare* idem, ſicuti alibi de hoc erit ſermo. Βύττος eſt *pudendum muliebre* apud quoſdam. Facillimum eſſe poteſt fuiſſe nomen Orientale. Quare haud immerito ducendum reor ex בוש *bus*, ſeu *bys* (nam ו Hebræorum æquipollet υ Græcorum) *puduit*, *pudenda commiſit*, unde מבוש *pudendum*, vel a בשר *baſar caro*, & *pudendum*, verſa *S* in *T*; qua commutatione litterarum nil facilius, atque uſitatius. Βάταλος vulgo exponitur *mulieroſus*, *effœminatus*, *cinædus*, atque etiam *podex* apud Eupolemum, uti tradit Harpocration. Derivatur ex ipſo בשר *baſar caro*, *pudendum*, converſa *S* in *T*, & *R* in *L*: quo nihil frequentius. Hinc ab eodem בשר *baſar*, quod denotat, uti jam monuimus, *carnem*, *homines*, *univerſa animantia*, & *pudenda*, deſcendit recta βασσάρη nomen cujuſdam calceamenti, βάσσαρος *vulpes*, & βασσάραι, tum *Bacchi nutri-*

tri-

trices, tum *meretrices*. Qua de re consule H. Stephanum. Βάκηλος exponitur *stultus*, atque hoc sensu esset a בער *bacar bardus*. Sed quoniam exponitur quoque *mulierosus*, & *eunuchus*, *eviratus*, *castratus* rectius venit a בקע *baca scidit*, *rupit*, *dissecuit*. Quare ab ipso בקע *baga* venit vox Persica *bagoas spadonem* denotans; de quo enucleatius alibi.

Genu. *Non dubitandum, quin* genu *sit a* γόνυ, *O in E converso, quomodo ab* ὀδόντες *dicimus* dentes; *& Dores pro* Ἀπόλλων *dicunt* Ἀπέλλων, *unde & veteres Latini* Apello *dixere, non* Apollo. Hæc Vossius de etymo. Hic autem juvat inquirere, num γόνυ profectum fuerit ex Oriente. Porro haud inepte duceretur ex Hebræo קנה *gana*, quod *cannam*, *calamum* designat, & *culmum* κυρίως. Adhæc quoque denotat *os longum brachii instar calami a junctura cubiti usque ad juncturam humeri*: sicuti in hac voce docet ex Kimchio Buxtorfius. Hinc LXX apud Job cap. XXXI. v. 22. verterunt ἀγκῶνα. Quare neque abs re duceret quis ἀγκῶνα ab הקנה *agana* idem. Præterea vox græca γόνυ non modo *genu* significat, sed etiam *internodium*, uti γόνυ καλάμου apud Herodotum in Thalia, quod *internodium arundinis* dicitur a Plinio, & Columella. Itaque fortasse ista fuit princeps, & primigenia vocis significatio, unde dein translata ad denotandum *genu* propter similitudinem. Γυῖον vulgo exponitur *membrum*. Etymologus docet γυῖα significare *pedes*. Secundum alios sunt etiam membra majora, ut *pedes*, & *manus*, atque dicuntur quoque de aliis membris. Apud Hippocratem l. VI. Epidem., ut ipse Galen. IV. comm. docuit, γυῖον usurpatur pro *toto corpore*. Porro ἀμέσως γυῖον constat ex גו *gev corpus*, *tergum*, & *medium*, & גו *gav*, גוא *go*, & גויה *gevia corpus*, unde κυρίως fluxit. Hic advertendum priorem vocis significationem esse τοῦ *corporis*, non vero *membrorum*, sicuti vulgo credunt. Id liquido manifestavit origo Hebræa. Χρῶς *cutis* omnino fluxit ab עור *pellis*, *corium*. Δέμας *corpus* frustra derivatur a δέω *ligo*, *vincio*, vel παρὰ τὸ δέμειν; hoc nempe a membrorum structura; illud vero scilicet a δέω *vincio*; quia ut constet animal, opus est, ut anima in corpore vinciatur. Etenim abscissa priore littera omnino venit ex Hebræo עצם *etzem*, seu *edem corpus*. Λόφος *cervix* factum ex Hebræo עורף *oreph* idem truncata priore littera, & *R* in *L* commutata. Δέρη, & δειρὴ *cervix*, *collum*, *jugum montis* unde sit, in vanum adlaborat Etymologus propter inscitiam orientalis sermonis. Profecto δέρη factum ex Hebræo צואר *tzavar collum*, & צור *tur rupes*, versa צ in *D*, id quod perfamiliare est. Nam צ *tzade* valet *T*, & *Z*, quandoque tantum *T*, ut ex צור *Tyrus*, sæpe vero *Z*, aut *D*, uti in præsenti, & superiore voce vidimus. Εὐρώτας *pudendum muliebre* venit ab ערות *ervat pudendum*, *pudenda*.

Ἐπείσιον exponitur *ima ventris pars in pudendum desinens*: dictum ab הביש *ebis pudenda commisit*, unde מבוש *pudendum*. Ἦτορ *cor*, & ἦτρον *pars umbilico subjecta*, ὑπογάστριον, fortasse dicta ab יותרת *ioteret*, quod exponunt *reticulum hepatis*, seu *intestinum*. *Eugium est medium* τοῦ αἰδοίου γυναικείου, *ut Nonius docet Lucillii, & Laberii loco: adde & alterum Laberii locum:*

Quænam vos dementia suppolitores facit

Cum

Cum cano eugio puellitarier?

Dicitur eugium *quasi* εὔγειον *hoc est* fertile . . . . *Vel potius est ab* εὐδίαιον , *quod proprie* foramen navis *notat* , *per quod effluunt cum pluviæ aquæ* , *tum quæ e sentina exhauriuntur : sed* κατὰ μεταφορὰν *notat* τὸ γυναικῶν μόριον , *ut disertim apud Hesychium scribitur* . Ita Vossius . Verum facilius venire arbitror ex Hebræo הגו *egav corpus* , *tergum* , & *medium* . *Dorsum* unde profectum , docet Festus ubi ait : *Dorsum dictum* , *quod pars ea corporis devexa sit deorsum* . Quam Etymologiam quoque sequitur Vossius . Porro non inepte duxeris a זרוע *zeroah* , seu *deroah* (nam *Z* Chaldaice vertitur in *D*) *brachium* , *lacertus* , & *armum* ; alternante vero *Z* , atque versa altera in *S* . *Doron* δῶρον *donum* , & *palmus* ducitur a δίδωμι *do* cum apud Grammaticos , tum apud Lexicographos . Sed videntur tota via errare . Nam primo vox Orientalis , secundo princeps hujusce vocis significatio est τῦ *palmi* , hoc est *manus* . Hinc Vitruvius l. II. c. 10. docet sic dicta δῶρα , quia *munera semper gerantur per manus palmum* . Plinius l. XXXV. c. 14. ait : *Græci antiqui doron* (δῶρον) *palmum vocabant* , & *ideo* (δῶρα) *munera* , *quia manu darentur :* Porro δῶρον *doron* est ab זרת *zeret*, & *Z* in *D* versa , uti millies usuvenit , *deret* , *palmus* , seu *spithama* . Et quoniam de palmo heic institutus sit sermo , huc originem τῦ ἔχω , λάζομαι , ἄνυμαι afferre juvat . Itaque ἔχω venit ab Hebræo אחז *achaz tenuit* , *possedit* . Λάζομαι *capio* , *apprehendo :* at prius debuit esse (licet inusitatum) λάζω . Id autem factum ex Hebraico נאחז *necaz* , unde *nazo* , & postea *N* in *L* versa λάζω . Porro נאחז est ab אחז *ahaz cepit* , *apprehendit* , quod tandumdem præstat , ac λάζομαι . Α'ίνυμαι *capio* , *tollo* , *aufero* videtur descendere ex נחמם *neemas* , unde per metathesin ἀμέσως venit , quod est ab חמס *amas abstulit* , *arripuit* . Denique ex ipso חמס *amas* venit *emo* , quod primigenia significatione fuit idem ac *tollere* . Hinc Festus tradit apud Antiquos *tollere* denotasse , unde *abemo* , hoc est *aufero* , & *demo* . Necnon Glossæ vett. *abemit* , ἔλαβεν . Αἱρέω *capio* , *apprehendo* factum ab אחז *aaz cepit* , *apprehendit* , *Z* in *R* versa . Et quoniam אחז etiam *hæsit* denotat , hinc quoque ortum *hæreo* . Sane quia Veteres dicebant *Valerii* , & *Valesii* , & *asa* pro *ara* , *lases* pro *lares* , fortasse primitus fuit *hæseo* , unde dein *hæreo*. Ceterum αἱρέω *capio*, & αἴρω *tollo* fluxit ab הרים *erim elevare* , *tollere* , *auferre* , *extollere* , dumtaxat exciso *M* . Δράττω *capio* , *apprehendo* , *arripio* per metathesin venit a רודה *rada* idem.

Κάρα *caput* , & κάρανος αὐτοκράτωρ venit a כר *car*. Nam uti advertit Bocharthus ὁ πάνυ Geogr. S. col. 471. כר car , *ut Hebraice* ducem , *ita Punice* caput *videtur significasse analogica ratione* , & *inde transisse ad Græcos ; quorum antiquissimi* , *ut Homerus* , & *Hippocrates* κὰρ *pro* capite *usurparunt*. *Tale est* , *quod Phœnicium* alpha *pro* capite *sumitur* , *ut Hebræum* אלוף alluph *pro* duce . *Hesychius ;* Α'λφα , βοῦς , κεφαλή , φοίνικες . *Ita legendum* , *non ut vulgo* βοὸς κεφαλή . Hactenus Bochartus . Haud dissimili modo ex אלוף *alluph dux* , & *caput* apud Phœnices , uti ex Hesychio modo demonstravimus, acta vox ἀμφή *caput* , dumtaxat ל in *M* versa . Α'ναφάλαντος dicitur esse

cal-

calvus, cui a fronte, vel superciliis decidere pili. Hinc Levit. c. XIII. v. 41. LXX habent: Ἐὰν δὲ κατὰ πρόσωπον μαδήσῃ ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ, ἀναφάλαντος ἐστὶ. Porro factum autumo ex הנפל *anaphal cecidit*, *excidit*, unde מפלה *cadivum*, *cadaver*, *casus*. Ab ipso מפלה per metathesin fit quoque μίλφωσις, seu μίλφαι, quod exponitur *defluvium pilorum palpebræ*. Hinc Paul. Ægin. l. III. c. 22. tradit μαδάρωσιν, & μίλφωσιν esse ἀπέπτωσιν τῶν τοῦ βλεφάρου τριχῶν. Κεφαλὴ *caput* emersit per μετάθεσιν ab ipso אלוף, unde prius exstat *ephale*, atque *C* addito, ipsum κεφαλὴ, exempla hujus additionis nimirum etiam ab initio vocis suppeditat larga manu, & temere Vossius. Τυλοὶ apud Medicos dicuntur *superciliorum pili* secundum Pollucem l. II. Ita nuncupati ab Hebræo שער *seir pilus*, *capillus*, ש in *T*, uti ostensum, & *R* in *L* abeuntibus. Σκύνιον *summa palpebra*, *cilium* dictum ab eodem *secer*, seu *seger pilus*, *capillus*, ע in *G*, seu *C* versa. Ἔθειρα *coma* venit ab נזיר *nezir*, idem *N* abscissa de more.

Θρὶξ *capillus*, *pilus* perbelle descendit ab Hebræo שער *saar*, seu *seir pilus*, *capillus*, versa ש in ת uti Chaldaice accidit; hinc apud ipsos exstat תור *tor bos* ex שור, תרע *porta* ex שער idem; atque ex תור *taurus*, & ex תרע θύρα evasit; adhæc ex שלג factum תלג, ex שקל תקל atque alia his similia. *Carpus* a כף *cap* idem, unde *cappus*, atque priore *P* in *R* versa fit *carpus* καρπὸς secundum Mazochium apud Vossium. Verum videtur etymon duriusculum. Fortasse venit ex גרף *garap devolvit*, *convolvit*, unde אגרוף *egrop*, quod exponitur *pugnus*. Κέαρ est *anima*. Hinc Vossius in voce *Caro* ait: Κρέας *vero esse a κέαρ*, *quod animam notat*. Porro κέαρ venit a חיה *via vita*, & *animans* & Chaldaice *ceia*. Unde forsitan fluxit quoque ἦαρ, quod non modo denotat *ver*, sed etiam ψυχὴν secundum Hesychium. *Barbæ* originem haud posse expediri credo, nisi ab Oriente lux affulserit. Atque imprimis cum nihil aliud sit nisi *villus*, seu *pili ad mentum* videtur descendere ex פרע *perah*, *P* in *B* abeunte, atque alternante. Allata autem vox vulgo exponitur *coma*, *cæsaries*. Hinc fluxit & φενάκη, seu πηνίκη *coma addititia*, *R* in *N* conversa. Denique ex ipsa voce פרע *perah*, seu *pherah coma* fortasse fluxit prima pars vocis φερενίκη, seu βερενίκη. *Cælebs*. Curtius Papirianus apud Cassiodorum in Collectaneis de Orthographia non *cælebs*, sed *cæleps* per *P* magis probat, atque ita potius scribendum contendit. Hinc ortum esse reor ex Orientali חורף *corep juventus*, *adolescentia*, *pueritia*; eo quod *adolescentes*, seu *pueri*, utpote qui nondum uxores habent, sunt *cælibes*.

Κόννος *barba* facile factum ex זקן *zacan barba*, principe littera abscissa. Κόττος *gallus*, & κοττοὶ *galli gallinacei*, κόττη κεφαλὴ, & πρόκοττα *genus quoddam tonsuræ* forsitan profectum ex קצץ *catzatz abscidit*, *abrasit*, sive ex קצה idem, & קוצות *ceuezot capilli*, *cæsaries*. Hinc sine dubio factum quoque græcum Χαίτη *coma*. Κρώβυλος exponitur *villus puerorum*, seu *cincinni*, *intortique crines* apud Suidam, & Hesychium, apud quem etiam est *nodus capillorum a fronte in verticem reductorum*. Haud inepte duci potest a כרבלה *carbela*, quod vocabulum Chaldaicum κατὰ λέξιν significare potest *cristam ardeo-*

deolæ , ſeu *galli gallinacei* ſecundum Grotium , & Gejerium ; prout refert Calmetus Daniel. cap. III. 31. Queis accenſe Bocharthum Geogr. Sacr. l. I. cap. 52. col. 676. ubi ait : *Pro corollario ſit , quod Britanni noſtrates galli criſtam* cribbel *appellant , ut Hebræi* כרבל *carbel* , *&* *cirbel* . *Culus* . *Culus a* κυλεὸς *hoc eſt* vagina , *ut ſcripſit Joſ. Scaliger ad illud in carmine obſcœno :*

Pſoleon ille vocat , quod nos pſoloenta vocamus ;
Id quod nos culum , coleon ille vocat .

Ac putat idem , Plautum eo alluſiſſe in Milite : Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis ? Ita Voſſius . At , ni fallor, ſecus res ſe habere videtur . Nam κολεὸς κυρίως denotat *vaginam* , & *loculum* , *hydriam* , & venit ab Hebræo כלי *celi vas omne* , unde & *culeus* . *Culus* vero factum ex Hebræo חור *cor* , ſeu *cur* (nam ו modo pro *O* , modo pro *U* uſurpatur) *podex* , ſeu ipſe *culus* , dumtaxat *R* in *L* de more converſa . *Cunnus pro quo veteres* cunus . . . . *eſt natura muliebris , inde dicta , quia hac egeritur* τὸ κύος *hoc eſt* κύημα , *ſive* fœtus. *Hoc autem a* κύειν *hoc eſt* prægnantem eſſe , utero geſtare : ex quo ἄκυτος femina ſterilis *teſte Heſychio* . . . . *Vel* cunnus *eſt a* κόννος , *aut* κοννεῖν . *Heſychius :* Κοννεῖν , συνιέναι , ἐπίςασθαι . Κόννος , ὁ πώγων , ἡ ὑπήνη , ἢ χάρις . Hactenus Voſſius . Porro & *cunus* . & *κύω pario* fluxere ex Hebræo חול *cul* , ſeu *cyl peperit* , unde ἀμέσως κύω . Nam uti toties cramben repetivimus , Hebraicum ו in υ Græcorum tranſit . *Cubitus* , græce κύβιτον . Apud Hippocratem eſt ὠλέκρανον , nempe *os cubiti* , ſeu ἀγκῶν , apud Dioſcoridem vero eſt *nodus brachii* . Hinc Galenus in Lexico Hippocratico : Κύβιτον τὸ ὠλέκρανον , ὅπερ καὶ ἀγκών. Διοσκουρίδης δὴ τὸν κόνδυλον τοῦ βραχίονος οὕτως ὠνομάσθαι φησί. Quare poſſet derivari a כף *cap curvatura* , *cavum* , & *vola manus* ex כפף *capap curvari* . *Forma* quid ſit , docet Feſtus : *Forma ſignificat modo faciem cujuſque rei , modo calidum : ut cum exta , quæ dantur , deforma appellantur . Et Cato ait de quodam ædificio , æſtate frigido , hieme formido . Item forma appellatur puls miliaria* . Appoſite *forma* exſtat ab Orientali פנים *fanaim* , unde tantum *N* in *R* converſa emergit *forma* . Quam mutationem litterarum eſſe facillimam exemplis arguit Voſſius in de litterarum mutatione. Vox Hebræa , ſeu Orientalis פנים *fanaim* deſignat *faciem* , & *quamlibet rerum ſpeciem* , *ſuperficiem*. Ab ipſo vocabulo forſitan pullulavit græcum μορφὴ per metatheſin . *Grallæ* exponuntur ligneæ perticæ furculas habentes , quibus innituntur , qui iis incedunt . Itaque cum ſint *lignea crura* , ſeu *pedes* , metatheſeως beneficio derivantur a רגלי *ragli pedes* . Hinc fit manifeſtum , quam leves ſint aliorum de hac voce origines.

CA-

CAPUT I.

GRemium *quid κυϱίως notaverit , & germana ejus origo aſſignatur* . Ἴλλος , βλάνος , ἴϱιγγες , λῆμα , λήμη , νῶτος , μάρη , μάσσω , tango , πίλλω , ſternuto , μυκτὴρ , nicto , nefrendes , ilia , ἶς , ἀλκὴ , κίκυς , κωλύω , ſaliſo , veto , ἶφι , ἴσχιον , ὄρχις , ὄῤῥος , πνέω , πέος , πόσθη , πηϱὶν , πῆχυς , ῥάρος , ἐρητύω *ab Hebræis orta*. Pes *ab* פעם . *Oſtenditur denotare* pedem . Πατέω , πηδάω , χωρέω , σκάλωμα , ἄτρω , ἄλλομαι , μολέω , κίω , ἔρχομαι , φοιτάω , χϱίμπτω , κολεῖν , ἵκω , ἥκω , στείχω , vito , δραπέτης , βέρης meo , ἀμεύω , iſſo , περάω , varo, σφύζω , ἀῤῥιχᾶσθαι , ἀλάω , πλάνη , λιάζω *Orientalis originis exſtant* . Σῶμα , σαννίον , θυμὸς , πτθὸς , viſcus , ὑπήνη , παρειὰ , πρωκτὸς , vulva , veſica , uterus , tergum , σπάτος , anus *ab Oriente profecta*.

G*Remium* quid ſit , & unde ortum, ita docet Agrætius : *Sinum dicimus exterius expanſum receptaculum : gremium veſtis receptaculum , interius jacens ſecretum . Virg. Pandentemque ſinus , & tota veſte vocantem . Cœruleum in gremium . Gremium autem dicitur a contrario ab ingreſſu difficili* . Sed quamquam improbo hanc etymologiam , tamen puto verum *gremium eſſe interius ſecretum* . Porro id magis , magiſque elucet ex origine hebræa ſcilicet קרב *gereb* (ק in *G*, & ב in *M* verſa) quod eſt *intimum*, *medium* , *venter* , *inteſtinum* . Quod adeo verum , ut ex eodem קרב *cereb* ortum fuerit græcum κόλπος *ſinus* , *gremium* , *R* in *L* , & *B* in *P* abeuntibus . Ἴλλος *oculus* aliquo pacto venire poteſt ab עין *en*, ſeu *in oculus*, *N* in *L* verſa . Βλάνος *lippus* , τυφλώδης profectum ex בלל *balal ſuffundere* , unde תבלל , quod exponitur *ſuffuſio oculorum ; ὑπόχυσις τοῖς* LXX . Ἴϱιγγες dicuntur vulgo eſſe *arteriæ* apud Hippocratem . Haud inconcinne deduxeris ab Hebræo ערקים *aregim* , ſeu *irge* , vel *irege* , quam lexim etiam *arterias* reddunt . Quare etſi LXX Job cap. XXX. νεῦρα ſcilicet *nervos* tranſtulerint , tamen haud immerito *arterias* , ſeu *venas* ſignificare docemur ; quandoquidem inter græcum , & hebræum vocabulum nullum intercedit diſcrimen ; ideoque hanc eſſe germanam vocis ſignificationem facile mihi perſuadeo. Ceterum vox hebræa magis patere potuit , atque etiam hac notione forte inſignita fuit . Λῆμα exponitur *præſens animus* , & *voluntas* , *conſilium* . Sane deſcendit ex Orientali לב *leb* , *B* in *M* converſa . Vox vero לב *leb* deſignat *animum* , & *cor* . Λήμη vero *gramiæ* , *lippientes oculi* dicta a דמע *dema lacrima*, verſa *D* in *L*, quod ſollemne eſt . Νῶτος *dorſum*, *tergum* forſitan dictum a נדן *neden vagina*, & נדנה *nidna corpus* , *D* in *T* abeunte . Μάρη , & μάραι , ſi fides Euſtathio præſtanda , ſecundum antiquos Scholiaſtes ſunt *manus*. Commodum credo dictas ab עמר *amir manipulus* , *R* in *N* mutata . Hinc ex *manus* apud

Latinos fluxit *manua fascis* , *δράγμα manipulus* . Μάσσω *palpo* , *tango* venit a מוש , seu משש *masas palpavit* , *contrectavit* . *Tango* vero, & θίγω a תנע ex נגע *tetigit*. Τίλλω *vellico* est a צלל *talel tinnio*, *palpito* , unde venit ipsum *tinnio*. Μυκτὴρ *naris*, scilicet *odorandi meatus*, *nasus* fortasse dictum ab מקטר *mictar suffimentum* , & *thuribulum*. *Nicto is*, (fiutare), ῥύζω , *ad canes pertinet* , *cum sentiunt odorem leporum* , *aut perdicum* . Ennius apud Festum . Ita Facciolatus apud Calepinum . Porro *nicto* vel ortum a נקטר *nictar* ex קטר *suffivit* , vel נזכר *nitcar odoratus est* . *Sternuto* , *unde* sternutamentum, *est a* sternuo : *hoc vero non quidem a* sternendo *est* , *uti putarunt* : *ac Festus etiam voluisse videtur in* Consternatio : *sed a* πταρνύω , *quomodo priscos pro* πτάρω *sive* πταίρω *dixisse*, *argumento est*, *quod a* πταρνύω, *etiamnum dicatur* πτάρνυμαι. *Significat id* sternuo , *sive* sternuto , Π *vero interdum in S abire eo cognoscimus* , *quod merula avis tum* κόψιχος , *tum* κόσσυφος *dicitur* ; *ut ex Athenæo* , *& Eustathio discimus* . Ita Vossius . Porro *sternuo* ἀμέσως venit ab Orientali זורר *zorer* idem , unde & græcum πταίρω , Π addito ; quod haut infrequens esse te docebit Vossius.

Nefrendes , *nefrundines*, *nefrones* quid sint, docet Festus: *Pro nefrendibus*, *ut antiqui dicebant* , *renes nunc dicit usus recens* . *Sunt qui nefrendes dici putant testiculos* , *quos Lanuvini appellant nebrundines*, *Græci* νεφρὲς , *Prænestini nefrones* . Hactenus Festus . At Vossius rem ita orditur: *Proprie* nefrundo *renem notat* , *estque a Græco* νεφρὸς , *quod idem notat* . *Quia autem &* testiculi *rotundi* , *atque ut in renes urina* , *ita in testiculos defluit* τὸ σπέρμα , *quæ & ipsa dicitur* genitalis urina, nefrundinis *vox translata est ad* testiculos. Hæc ille . Verum *nefrendes* , seu *nefrundines* scilicet *testiculi* , *N* præposito dicti ex פחדי *faade* , idem geminata *D* , quorum prior in *R* evaserit , unde *frunde* , & *nefrundes* . *Ilia* videntur dicta ab Chaldaico עלעין *ilin* , seu *ilein costæ* . Idque verius quam sit ab *ina* , uti habet Vossius in voce *Inane* . *Ab* ina *est* inula , *unde* illa , *vel* ila ; *ut a* vinum vinulum , villum . *Ab* ila *autem dicta* ilia . *Et fortasse etiam* exilis. *Festus :* Exiles , & ilia a tenuitate inarum, quas Græci in chartis ita appellant , videntur esse dicta . *Idem :* Ilia dicta ab ina , quæ pars chartæ est tenuissima . Ἶς unde ἶνες , est *fibra* , atque etiam *vis* , *robur* . Secundum quod spectat ad significatum fit ab עז *os robur* . Ἶνες vero *fibræ* fortasse dictæ a עין *ain* , seu *en oculus* , *superficies* . Ἀλκὴ *robur* venit ab איל *eial fortitudo* , *vis* , *virtus* , & כח *coac* idem , ἐμφάσεως gratia . *Saliso* , *palpito* exponitur in Glossis , unde *salisator* . Forte est ab צלל *salel palpitare* , צ in *S* versa , atque alternante . Κίκυς *vis* , *robur* venit ab כוח *coac* (unde κίκυς) quod idem valet . Κωλύω *impedio* procul dubio ortum ex כלא *cala* , quod ipsissimum audit . Ἶφι *valde* , *fortiter* , ἶφις *robustus* factum ex אביר *abir robustus* , *fortis* , *B* in φ de more conversa . *Veto* verius videtur esse ab Orientali עצר *vatar* , *clausit* , *cohibuit* , *coercuit* , *imperavit* , *prohibuit* , ע in *V* conversa . Vel certo certius ab בטל *vatal cessare fecit* , *impedivit* hoc est *vetuit* . Ἐρητύω *cohibeo* ab עצר *atar* idem ope metatheseos. Ἰσχίον *coxa*, *coxendix* haud immerito quis derivaret ex חשוק *usoc* , seu *asac armus* , *crus* . Ὄρχις *testis*, *testiculus* emersit ex Hebræo אשך

esec

esec idem, commutata *S* in *T*, uti notum lippis, & tonsoribus. Ὄῤῥος, unde ὀῤῥοπύγιον, quod idem forte erit, videtur esse ab ערוה *erva pudenda*, *verenda*. Πνεῦμα *spiritus* a πνέω *spiro*. Πνέω *spiro* factum a נפח *napah spiravit*, *flavit* ope metatheseως. Πέος *penis*, seu *pudendum* fluxit ex hebræo בוש *bus puduit*, unde בושה *busa pudor*, & מבוש *pudendum*, *B* in *P* exeunte.

Πόσθη *penis* venit ab ipso בשת *boset* ex בוש *pudenda commisit*, unde מבוש *pudendum*, *B* in *P* conversa. Ῥάρος *venter* fruticat a רחם *raam vulva*, *uterus*, *viscera*, geminata *R*, & Ῥάριον *infans* a רחם *raam* quoque *puella*. Adeo vera isthæc originatio. Πηρὶν, & ποιρὶν secundum Etymologum dictus quasi σπειρὶν, παρὰ τὸ σπείρεσθαι δὶ αὐτοῦ τὰ τέκνα. At talia obtrudunt Grammatici propter orientalis sermonis inscitiam. Etenim veriloquium clamitat esse ab Orientali פחר *paud*, unde apud Chaldæos פחרי *paade*, & *pida testes*, conversa *D* in *R*, quod adeo certum, & consians, ut nihil supra. Πῆχυς *cubitus* fortasse per metathesin venit a כף *cap curvatura*, *cavum* (ex כפף *capap*) *vola manus*. *Pes a* πέζα, *vel a* ποῦς, *quod Æolice* πὸς, *unde* pes, *O in E converso: quomodo & a* πόδες πέδιλον, *hoc est*, ὑπόδημα. Ποῦς *a* παύσω, *quia* terminat animal; *vel potius ab Hebræo* בוס, *quod est*, calcare, conculcare: *vel a* פשע, *quod est*, incedere, gradi, *a quo* פשע passus, gressus. Hactenus de origine Vossius. Porro autem *pes*, & gr. ποῦς omnino descendit ex Hebræo פעם *paam pes*, unde פעמים *peamim pedes*. Hinc Psal. LXXXIV. *Justitia ante eum ambulabit*, *&* *ponet in via gressus suos*, Vulgatus habet: At, uti adnotat Calmetus, Symmachus, ceterique Interpretes vertunt: *Justitia uniuscujusque præcedet ipsi*, *& ponet in viam pedes ejus:* Δικαιοσύνη ἑκάστου προελεύσεται αὐτὸν, καὶ θήσει εἰς ὁδὸν τοὺς πόδας αὐτοῦ. Sane sensus magis postulat, ut heic *pedes*, quam *gressus* reddantur. Πατέω *calco*, *conculco*, *ambulo* venit a פשע *pasa gressus est*, *incessit*, vel a פסח *transiit*, *S* in *T* mutata, uti assidue usuvenit. Πηδάω *salio*, *salto* fluxit a פזז *pazaz consolidari*, *roborari*, atque in *Phiel*, uti in מפזז exponitur *subsilire*, *saltare*. Χωρέω *eo*, *accedo*, *proficiscor* a קרה *cara occurrere*, *ire obviam*. Ἄτρω *exsilio* a נתר *natar subsiliit*, unde התיר in *Hiphil*. Ἅλω, seu ἅλλομαι *salio* factum ex עלה *ala scandit*, *ascendit*. Μολέω, seu μόλω *venio*, seu *eo*, *vado* ortum ex מעלל ab עלל *alal accessit*, *ingressus est*, *ivit*. Κίω *vado*, *eo* a גוח *guah prodiit*, *G* in *C* abeunte. Ἔρχομαι factum ex הלך *alac ivit*, *ambulavit*, *incessit*, *L* in *R* conversa; unde prius ἔρχω inusitatum, a quo ἔρχομαι demum prodiit. Ἵκω, & ἥκω *venio* ab הקרה *icera* decurtatum, quod est ab קרה *occurrit*. Σκάλωμα est *gradus* apud Polybium. Dictum facile credo ex Hebræo שלב *scalab*, unde שלבים *scelabim gradus*, dumtaxat *B* in *M* de more verso. Quare, detecto veriloquio orientali, cave putes vocem σκάλωμαι descendere ex latino *scala*. Φοιτάω *ito*, *eo* venit a פשע *phasah incessit*, *gressus est*, *S* in *T* conversa. Χρίμπτω *accedo* a קרב *carab* idem. Στείχω *eo*, *vado* facillime factum a צעד *stagad*, seu *stacad* idem.

Vito. *Vitare quasi vi avertere* ait Vossius in voce *Vitium*. Verum res secus se habet. Nam *vito* factum ab הטה *vita divertit*, *deflexit*, *declinavit*, ה ut-

utpote quæ ſpiritus eſt in *V* abeunte, æque ac ſi digamma eſſet. Δραπέτης nullo fere pacto venire potuit a δράω *ſugio*, ſed fortaſſe a תברח per metatheſin factum ex ברח *fugit*, unde βέρης *ſugitivus*. *Meo . . . . . vel ab ἀμέυω, quod notat* meo, vado, tranſeo, *unde ab Etymologici Magni auctore exponitur* πορεύεσθαι, *ab Heſychio* διελθεῖν, περαιώσασθαι. Hæc Voſſius; in quam originationem inclinat. Verum *meo* & ἀμέυω ab Hebræo fonte derivata. Sane Hebræis eſt מוש *mus*, & *amus receſſit, diſceſſit, abivit, movit ſe*. *Iſſo* eſt *ivero* ſecundum Feſtum. At qui potuit ex *ivero* fieri *iſſo*, non video. Igitur res ſecus habet. Porro ni me fallit opinio, videtur eſſe ab Orientali voce יצא *iaza ivit, prodiit, exiit, diſceſſit, progreſſus eſt*. Ad ſacram anchoram nempe ad ſyncopen confugit Feſtus propter inſcitiam Orientalis linguæ. Περάω *tranſeo, trajicio* ab עבר *abar* idem, truncato capite, & *B* in *P* converſa. Ab ipſo עבר *avar* haud immerito derivatur *varo*, & *varatio*, quod ſecundum Salmaſium in Solinum eſt *tranſitus, trajectio*. Unde & *varico*, quod eſt *tranſire, tranſcendere* juxta Varronem in IV. de L. L., & ſecundum Gloſſas. Adiſis Voſſium in voce *Varus*. Hance opinionem confirmat origo Hebræa, litem omnem dirimit; atque iis, qui *varo* pro *curvo*, & *varatio fluminis* pro *fluminis curſus curvatus* accipiendum certant, occludit linguam. Σφύζω *ſalio* venit a פזז *phazaz*, quod & *ſaltare* denotet, σ addito ab initio. Ἀῤῥιχᾶσθαι, unde ἀναῤῥιχᾶσθαι, exponitur *ſcandere in altum manibus*, & *pedibus*. Sane conſtat ex Hebræo הרקד *aracad ſalio*. Ἄλη *erratio*, & ἀλάω, ſeu ἀλάομαι *erro, vagor* ortum ducit ab הרדה *adda* inuſitato *vagari*, unde הרדה *idde*, idem *D* in *L* verſa. Πλάνη *error, erratio*, & Latinum *planus* omnino derivata ab Orientali פלט *palat effugit*, & פליט *profugus, effugiens*, ט in *N* verſa. Hinc *palor* quoque ortum eſt. Λιάζω *agito, jacto, propero, exeo, declino, evito, abſcedo* dictum ab לוז *luz deceſſit, receſſit*, quod ipſiſſimum eſt.

Σῶμα *corpus* ἀμέσως fluxit ex עצם *aſem* idem, dumtaxat abſciſſa *Ain* ab initio. Σαυνίον *cauda, penis* exponitur, & *haſta, telum*. Porro quod ſpectat ad primam ſignificationem venit ab Hebræo זנב *ſanav cauda*. Σαυνίον vero *haſta, telum* fluxit vel a שן *ſen dens, ſcopulus acutus*, & שנן *acuere*, vel a צנה *ſina clypeus, ſcutum*, & numero plurali *aculei, hami*. Θυμὸς *animus*, & *anima, vita, ſpiritus* profectum ex Hebræo נשמה *neſama anima*, & *ſpiritus*, *N* evaneſcente de more Defectivorum *Pe-Nun*, & *S* in *T* abeunte, quod ſollemne eſt. Τιτθὸς *mamma* factum a דד *dad* idem, verſis ambabus *DD* in *TT*. Ab ipſo הדד *adad*, item *D* in θ converſa emerſit οὖθαρ pariter *uber, mamma*. *Viſcus*, ſeu *viſcera* non modo ſunt σπλάγχνα, ſeu *inteſtina*, verum etiam amplius patent. Nam *viſcus* apud Servium VI. Æn. eſt *quicquid ſub cute*. Et ſecundum eumdem l. I. Æn. *Viſcera non tantum inteſtina dicimus, ſed quidquid ſub corio: ut in Latinis viſceratio dabatur id eſt caro. Eſt autem nominativus hoc viſcus, hujus viſceris, ut Lucretius:*

. . . . . . Viſcus gigni ſanguemque creari.

Nec non addit Voſſius eodem modo *uſum Tullium in Tuſculanis ubi ait; in* μαστιγώσει *Laconica ſanguinem e* viſceribus *diffluere, ubi* carnes cuti ſubjectas,

non

non inteſtina *intelligi ſatis liquet* . Necnon Ovidius II. Metam. ait : *De putri viſcere paſſim Florilegæ naſcuntur apes* . Sveton. in Vitell. c. 13. *Quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus , & farra pene rapta e foco manderet* . Porro patefacta genuina hujus vocis ſignificatione , ad etymon properamus . Itaque cum κυρίως denotet *carnem* profectum ab Orientali בשר *vaſar* , ſeu *vaſcar* (unde *viſceris* ἀμέσως , ex quo decurtatum *viſcus* nominandi caſus) ; nam ſæpe *Sin* , & *Scin* commutantur , & *Samec* . Hinc שבלת *ſcibolet* , & סבלת *ſibolet ſpica* . Υ'πήνη *barba* venit ab הפני *apene facies* , *ſpecies* . Παρειά *mala* , *maxilla* , *gena* fluxit ab ipſo פני *pene* , ſeu *panim facies* , *aſpectus* , *ſuperficies* , & *quælibet anterior rerum externa ſpecies* . Πρωκτὸς *podex* , *anus* profectum eſt aliquantulum emollitum ab Orientali פרשדנה *parſedna* , idem *Scin* in *K* , & *Daleth* in *T* abeuntibus , quo nihil verius . *Vulva* rectius duci poteſt ab ערוה *arva pudenda* , *verenda* , *R* in *L* verſa . *Veſica* venit a בשר *baſar* , ſeu *vaſar caro* , *pudenda* . Φῦσα , ſeu φύσσα , φυσάω , *flare* ſcilicet *inflare* factum a נפש *nephas flare* , *ſpirare* , ex נפש *ſpiritus* , *anima* , *halitus* . Unde etiam ortum *viſire* , & *viſium* . *Uterus* , miſſis Grammaticorum deliramentis, recta deſcendit a בטן *beten* , ſeu *venter* , *uterus* . *Tergum* eſt *dorſum* , ideoque venit a זרוע *teroaq* , quod redditur *armus* , verſa *Z* in *T* , & ע in *G* , uti ex עומרר factum *gomorrha* . Σπάτος *corium* , *pellis* κατὰ μετάθεσιν fluxit ex פשט *paſat ſpoliare* , *nudare* , & *pellem detrahere* , *excoriare* , uti Lev. I. v. 6. *Anus podex* fortaſſe factum ex חור *or* idem , *R* in *N* abeunte .

CAPUT IV.

ABolla *quid* , *& unde* . Ἀρβύλη , βαῖτα , balteus , βαλάντιον , causia , κασᾶς , καῦρος , καττύω , facio , ἕπω , operor , πένομαι , necto , σταυροὶ , σπορτὴ , ἄρκυς , stringo , μίτος , μήρινθος , μέρμις , fascis , φάκελλος , εἰλέω , τείνω , στενὸς , σειρὰ , solvo *ab Hebræis originem duxere*. Torus *quemadmodum significationis , ita dissidentis originis est :* τέρθρον , κροσσὸς , gausape , ἰωγὴ , στύω , σπίζω , κυλίω , σκέπαω , limbus , λάφυρα , λῆδος , πέδιλον , πέδη , πέλτη , patagium , pileus , πῖλος *ab Oriente recta fluxerunt* . Paludamentum . *Occurritur multiplici nomine Mazochio deducenti a* paldes *Targum* . *Assignatur germana origo* . Pannus , pallium , peplus , λαῦφος , casaca , κιμβέρινον , κράβατος , rudis , *qua designat* sagum , scruta , σκίρος , φᾶρος , φαλὸς , phaleræ , trabea , τήβεννα , soriculatæ vestes , sutriballus , veteriballus , ζειρὰ , σίκχας , σικχὴ , στολὰς , tomentum , spolio , βεῦδος , galumma , κρόκη , ὁρμιὰ , ζινίχιον , σιγλαὶ , λῶμα , mendicula *ab Oriente derivata sunt*.

ABolla quid , & unde sit ita docet Vossius : *Abolla fuerit ex Græco* ἄβολος , *si verum est , quod putabat Guilielmus Stukius in periplum maris Erythræi : ubi tradit* abolos , *&* abollas *idem esse vestimenti genus . Sed aliud Arriano esse* ἄβολον , *aliud* ἄβολλαν (*utroque enim utitur*) *certissimum est . Siquidem* ἄβολοι χιτῶνες *vocantur , quæ aliter* ἁπλοΐδες *&* ἁπληγίδες , *ut* δίβολαι *iisdem , quæ &* διπλοΐδες . . . . *Omnino autem venit* abolla *a Græco* ἀμβολὴ , *quod ab* ἀναβολὴ , *quo* amictus *Græcis significatur ab* ἀναβάλλομαι induor . *Aristoph. in Vesp. In vett. Glossis* abolla *exponitur* ἱμάτιον , *quod etsi generatim* vestem *notat , tamen speciatim significat* τριβώνιον , *sive* pallium . *Erat sane pallium militare ; unde &* togæ *apud Varronem & Martialem opponitur* . Hæc , atque alia habet citatus Auctor . Verum sanius puto venire ab Orientali אפדה *apuda amictus* ex אפד *amicire* , *P* in *B* , & *D* in *L* exeuntibus . *Armilausa vestis genus rubri coloris , forte sagum militare* , ait Facciolatus apud Calepinum . Isidor. Orig. l. XIX. c.22. ait : *Armilausa* vulgo vocata , quod ante, atque retro divisa, & aperta est, in armis tantum clausa ; quasi *armiclausa* . Vox hibrida sane , atque constat ex *armis* , & *lausa* . Hæc autem ex Hebræo לבוש *leus* , seu *leusa vestis* , *vestimentum* . Ἀρβύλη *genus calceamenti cavi , & profundi* forte venit a כרבלה *carbele* , abscissa C . Porro ista vox , quæ Chaldaica audit , apud Danielem dicitur esse idem , ac *calceamenta* , *calcei* . Unde & κρηπῖδας fluxisse certum est .

Βαῖτα , seu βαίτη dicitur esse *læna consuta ex corio , seu pellibus* . Porro haud absurde duceretur ab Hebræo בשר *basar* , & Chaldaico *batar caro* , *homi-*

mines , *animantia* . *Balteus* thuscum est vocabulum , si credimus Varroni sic scribenti lib. XVIII. rerum humanarum , uti ex libro primo Charisii scimus. Idem l. IV. de L. L. ait : *Balteum* , *quod cingulum e corio habebant bullatum* , *balteum dictum* . Profecto ortum ex Orientali אבנט *abnet* idem , unde abscissa א fit *banet* , unde *banteus* , & postea *balteus* , *N* in *L* conversa . Ab eadem fortasse voce profectum βαλάντιον *crumena*, *marsupium* . *Causia* . De qua voce ita Vossius : *Nomen est a καίω hoc est* uro . *Erat enim pileus latos habens margines ad prohibendum solis æstum: Suidas :* Καυσία εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ. *Romæ tamen quoque usurpatum fuisse indicat locus Martialis l. XIV. dist. 29. cujus lemma* causia ; *non* gausapa , *ut in Aldina leges :*

In Pompejano tectus spectabo theatro ,

Nam ventus populo vela negare solet.

Sententia est : Si ventus impedierit, quo minus theatrum velis tegi possit ad arcendum solis æstum , *caput* causia *tegam* . Hæc Auctor . Apposite fluxisse adparet ex Orientali כסה *casa texit* , *operuit* , *occultavit* , unde כסוי *cesui* , & *cesut tegumentum* , *operimentum* . Inde etiam profectum esse vocabulum *cassida* alias dictum . Adhæc ab eodem fonte manavit *κασᾶς* scilicet *tapes utraque parte villosus* . Καῖρος exponitur *licium*, & *καιρόω stamen necto*, haud inconcinne derivari potest a קור *cur* , unde קורי *cure*, seu *curim telæ :* quam fortasse significationem non respuet vox *καῖρος* , scilicet ut *telam* , & *καιρόω telam texere* , *ordiri* designet . Καττύω , *κασσύω consuo* omnino fit a חוט *cut filum* , & הטט *catat consuere* , unde אחיט *acet* Chaldaice *consuere* , & *conjungere* , *componere* . *Facio* , ἕπω , & *operor* , unde ducenda , modo inquirere heic juvat . *Facio* autem ortum ex פעל *fagal* idem , ע in *G* , atque iterum in *C* abeunte . Ab ipso פעל *paal* sine controversia prodiit græcum *ποιέω* item *facio* , *formo* . *Opus* (unde *operor*) , *est ab* ἕπω , *quod duplicem habet notionem* . *Nam &* operor *notat* , *&* sequor . Ita Vossius . Ἕπω vero *operor* dicitur a Mazochio apud Vossium , ni fallor , ab עבר *abad* idem ; sed verosimilius , & simplicius venit ab הפעל *apaal* , seu *epaal fecit* , *operatus est* . Demum *πένομαι* , atque inusitatum *πένω facio* , *efficio* profectum ex ipso פעל *paal* idem , *L* in *N* conversa ; quod adeo verum , ut nihil supra . *Necto* , *a νέω* , *ut* plecto *a πλέκω* . Νέω *quippe tum νήθειν sive* nere *notat ; tum etiam σωρεύειν* , *sive* congerere , *ut Hesychius docet*. *Nempe quia nentes tum fila ducunt* , *tum ducta in fuso conjungunt* . *Quare* nectere *proprie sit* nendo conjungere : *sed generatim sumitur pro* vinculo aliquo conjungere ac colligare : ait Vossius . At longe abest a vero , quod vult Vossius , præterquam quod durum est etymon illud *ἀπὸ τοῦ νέω* . Porro *necto* fluxit ex Orientali נקשר *nicsar* & Chaldaice *nictar ligavit* , *colligavit* , *devinxit* , ex קשר , quod Chaldaicꝍs קטר ejusdem denotationis . Σταυροὶ *rete venatorium* venit a צור *stud venatus est* , unde מצור *rete ipsum*, *D* in *R* versa, ו in *Au* resoluto. Στροφὴ *zona* est secundum Suidam, & Hesychium. Apposite factum a צרור *tzeror*, & *steror μεταθέσεως* beneficio , quod exponitur *loculus* , *crumena* , *marsupium* , ex צרר *starar ligavit* . Ἄρκυς est *rete* . At Hesychius : Ἄρκυα , δίκτυα , λίνα . Atque insuper addit esse *reticulum* , *ornamentum muliebre*. Fluxit ex ארג *arag texit*,

texit , *ereg textura* , & ארגמן *vestis* . *Stringo* , & στραγγίνω , quod est *torqueo* , *stringo* venit fortasse a שרג *sarag implicari* , *torqueri* , *T* intruso atque in media voce addito , quam additionem fieri multoties , differit Vossius in perm. litt.

Μίτος est *licium* , *filum*, & μίτοι etiam sunt *citharæ fides*. Hinc factum ex Hebræo מיתרים *metarim* , seu *metar funis* , *chorda* , *restis* , *nervus* . Μήρινθος *funiculus* venit per metathesin ab ipso מיתר *metar* item *funis* , unde prius ortum *merithos* , & post μήρινθος , de quo lis erat. Necnon inde quoque erit μέρμις , μέρμιθος , quod clarius , ac propius se prodit esse per metathesin a מיתר *metar* , quod tantumdem valet . *Fascis* ducitur κατὰ μετάθεσιν a σφάκελος , quod in veteribus Lexicis legas idem esse,ac φάκελος *fascis*. Σφάκελος vero occurrit apud Dionysium Halicarn. l. VII. Vide Vossium . Verum antequam originem in medium afferamus , ut res ordine procedat , operæ pretium est monere , litteram Σ adscitam, non nativam esse , ut ita dicam . Itaque φάκελος venit a פתיל *phatil filum* , *funiculus* , *pannus contortus* ex פתל *phatal contorquere*, *intorquere*, *torquere*; ת in *C* conversa, quæ litterarum commutatio adeo famigerata , ut quam maxime . Quod vero hocce etymon veritatis notis insignitum & præditum est , adparet ex eo, quod apud Suidam φάκελος exponitur etiam *gestamen quoddam capitis* . Porro id facit cum Hebræa voce , quod denotat *vittam*, *sudarium*, atque etiam *linteum capitis* secundum quosdam . Εἰλέω *volvo* , *involvo* , *ligo* , unde ἐλλεδανὸς *vinculum* . Frustra hujus vocis originem apud Grammaticos reperies . Sed non incommode duci potest ab אלם *illem ligare* , *colligare* . Τείνω *extendo* κατὰ μετάθεσιν fit ab נטה *nata extendit* . Στενὸς *angustus* ab צר *star* idem , *R* in *N* abeunte . Σειρὰ *catena* frustra derivatur ex εἴρω *necto* ab Grammaticis . Nam est ab שר *sar catena* , unde vox geminata שרשרות *sarserot catenæ* , & שירות *sirot catenulæ*.

Solvo facilius venit a שרה *sara* idem , verso *R* in *L*: quam a נשל *nasal* . Etenim נשל κυρίως denotat *excutere* , *ejicere* , *extrahere* . *Torus ab herba torta* ducitur apud Grammaticos . At si rem accuratius perpendere velimus , inspicere oportet primigeniam vocis significationem . Porro princeps hujusce vocis denotatio statuenda est τοῦ *funis*, quo sensu usum Catonem adstruit Scaliger in conjectaneis ad Varronem de L. L. p. 73. Hinc explicato , & dissoluto nodo in promtu est germana origo . Nam factum ex יתר *ieter funis* , *Jod* de more truncato . Sed quoniam *tori* etiam dicuntur esse in animantibus *partes exstantes carnosæ* , uti loquitur Vossius , idcirco vel ita dicti ab ipso יתר *ieter*, quatenus *nervum* designat, vel a יצרים *ieturim membra* . Nisi potius ducere amaverimus ab זרוע *zeroah* , & postea *teroah* (nam ז in *T* vertitur) quod exponitur *brachium* , *armus* , *lacertus* ; nam in Glossis *torus* redditur ὠλένη ; *torum* ὠλένην . Τέρθρον , & τέρθροι *rudentes* dicti ab יתר *ieter* idem , uti supra monitum , *Jod* abscisso , & geminata voce . Κροσσὸς *fimbria* , *limbus* , & secundum Pollucem κροσσοὶ sunt etiam *fasciolæ* , & *villi* , qui vestibus assui solent . Hinc venit ab קשרים *cisurim redimicula* , *alligamenta* ex קשר *casar ligavit*, per metathesin . *Gausape* peristroma , quo men-

sa

ſa tegebatur: *a Græco γαυσάπης, ut Varro docet in VI. de L. L.* ait Voſſius. Fortaſſe venit a חבש *cabas ligavit*, & *ſtravit*. Γωγή eſt *tegmen*, & ſecundum Suidam, & Heſychium etiam eſt *vox*, *clamor*. Quod attinet ad primam ſignificationem exſtat ab יגן *iagan* ex גנן *ganan texit*, & *protexit*, unde מגנה *magina obtegumentum*. Quod vero ſpectat ad alteram ſignificationem ſcilicet τῦ *vocis* ortum eſt ex יהגה *iaga* ex הגה *aga loqui*, *gemere*, & *rugire*. Στύω *tentigine laboro*, *priapum extendo*, unde στύμα *tentigo*, ſcilicet ἔντασις τῦ αἰδοίῦ. Ita iſta vox exponitur apud Grammaticos. Verum primitus videtur denotaſſe κυρίως *extendere*. Id blandior aſſequi ex origine hebræa. Nam venit ex שטח *ſatah expandit*. Σπίζω *expando* veroſimilius fluxit ab Hebr. פצה *paza extendit*, *pandit*, *dilatavit*, *S* ab initio addita. Κυλίω *volvo* plane venit a גלל *galal*, ſeu *gal* idem, *G* in *C* converſa. Ab ipſo גל *orbis* factum quoque *gyrus*. Σκέπαω *tego* facile profectum eſt ex חפה *capa texit*, *operuit*, σ addito ab initio, uti Græcis ſollemne eſſe inter alios oſtendit Voſſius in de permutatione litterarum. *Limbus fimbria* fortaſſe dictus a להב *laab acies*, *mucro*, & *flamma* ob ſimilitudinem. Λάφυρα ſunt *ſpolia*, ſed quæ vivo hoſti detrahuntur. Hinc dicta ab לבוש *lebus veſtis*, *veſtimentum*, *B* in φ converſa, & *S* in *R*, quod adeo decantatum negotium eſt, ut nihil ſupra. Λῆδος *veſtis* e panno raro, qualis per æſtatem ferre licet. Sane fluxit ex Orientali רדיד *redid*, verſa *R* in *L*. Vox autem hebræa exponitur *carbaſus*, & *pallium muliebre*, ſeu verius *theriſtra*. Appoſite Hieronymus ad caput Jeſaiæ III. ait: *Habent & mulieres theriſtra, quæ nos appellare palliola poſſumus; quibus obvoluta eſt & Rebecca, & hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur feminæ: quæ hebraice dicuntur* רדידים *græce* θέριστρα, *ab eo quod in* θέρει, *hoc eſt in æſtate, a caumate corpora protegant feminarum*. Πέδιλον *calceus*, *talare* dictum videtur a פתיל *patil* (*T* in *D* abeunte) *filum*, *funiculus*, *vitta*, *faſcia* ex פתל *patal contorquere*, *intorquere*. Id quadrat naturæ τῦ πέδιλυ; nam ſubligabatur pedibus; hinc ſæpe Homerus hoc modo uſus eſt: uti Il. B. ait: ὑπεδήσατο καλὰ πέδιλα. Inſuper ex ipſo *patil*, & *patal* nempe *filum*, *funiculus*, & *intorquere*, *contorquere* ortum πέδη *pedica*, *compes*, *vinculum pedum*; atque etiam inde natum Πέλτη *pelta*, *ſcutum* eo quod inſervit *luctantibus*, ſeu *pugnantibus*. *Patagium* eſt genus ornamenti, quod ad ſummam aſſui ſolebat tunicam, ſive muliebrem veſtem. Forſitan fluxit ab Orientali פתיגיל *petigil*, quod muliebre ornamentum eſſe nemo inficias iverit, ſive ſit zona ditior, vel ex ſerico, uti vertit Aquila, ſive veſtis quædam faſcis diſtincta purpureis, ſive faſcia pectoralis ſecundum Vulgatam, ornamentum, inquam, quod non multum abludere videtur ab Latina voce: *Pileus, nec quia* pilos *tegat, nec quod ex* pilis *fiat: ſed a Græco* πῖλος, *quo proprie ſignantur* coactilia, *vulgo* feltra *appellant*. *Sed* μετωνυμικῶς *eo pro* capitis integumento *uſus Heſiodus* ἐν ἔργοις.

. . . . Κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν

Πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν . . . .

Et Ariſtot. l. V. de generat. animal. cap. V. τὰς σκεπαζομένας τρίχας πίλοις ἢ καλύμμασι πολιῦσθαι θᾶττον citius caneſcere pilos, pileo vel integumento alio

 tectos

tectos. *Hinc ὑποχοιρικῶς πιλίον, & πιλίδιον, quo usus Plato III. de Rep.* Pileum *est a Græco πιλίον, quod proprie* pileolum *notat, sæpe tamen usurpatur pro primigenio πῖλος hoc est* pileus. *Sic scribit Plutarchus in T. Q. Flaminio, de civibus Romanis servitute exemtis: καθάπερ ἔθος ἐςὶ τοῖς οἰκέταις, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλὰς, καὶ πιλία φορεῖν. Ubi πιλία simpliciter est* pilea. Hæc de origine Vossius, qui talia ex H. Stephano hausit. Porro *pileus*, *πῖλος*, & *πιλίον* omnino veniunt ex Orientali voce פאר *peer tiara, ornamentum capitis*, uti sæpius in S. Litteris occurrit. *Paludamentum*, ait Mazochius apud Vossium in additionibus, *L. Florus l. V. (& ex eo Jornandes totidem verbis) inter ea numerat, quæ Romani a Tuscis accepta usurparunt. Id nomen a Latinis productius factum fuisse, cum antea esset brevius, ostendit illud Ennii apud Varr. in VI. de L. L.*

Corpore Tartarino prognata paluda Virago.

Ad quem versum notat Varro: Paluda a paludamentis. *Præpostere: nam contra scimus longiores voces a brevioribus oriri. Atqui cum* paluda *apud Ennium sit adjectivum, facile primitivum nomen erat* Palud, *quod sermone Tusco id fere significarit, quod apud Romanos* Paludamentum. *Ac Vossio quidem (ut cui Varronis etymologia a* Palam *ridicula visa esset) libuit id vocabulum ab Hebræo* פלא *arcessere, quod verbum putat tantumdem esse, quod* velare. *Fallitur vir eruditissimus; nusquam enim* velandi *notionem id verbum habet, sed nonnumquam* occultandi. *At aliud est* occultare, *&* abscondere, *aliud* amicire. *Verissima originatio est a Chaldæo* פלדס paldes, *quod in Targum Jud. XIV. 12. pro* סדין sadin *id est pro* sindone *usurpatur* . . . . *Nam inde constat,* Sindonem *genus amiculi fuisse Orientalibus familiare. Adhæc reperitur & in IV. Reg. V. 23. in Targum eadem vox illa* פלדס paldes *sive (ut ibi scribitur)* pildes, *& quidem respondens Hebræo* חרטים charitim: *quod idem* charitim *Is. III. 22. est genus amiculi. Sane vero credibilius puto tum Chaldaicum* paldes, *tum Tyrrhenicum* palud *a communi inusitata radice* פלד pelad *fieri, quæ radix* amiciendi *significationem habuerit: ex quo &* Paluda, *&* Paludamentum *ad Etruscos primum tum ab his ad Latinos fluxerit.* Ita Mazochius, qui sat erudite de ea voce disseruit. At res aliter instituenda. Primo vox Chaldaica suspecta est. Secundo ex Varrone nihil aliud est nisi *insigne*, & *ornamentum militare*. Demum *paludamentum*, & *paluda* videntur voces productæ ex *palus*, unde *paludis*, ex quo *paluda* emersit. Itaque *palus ornamentum militare* venit ex פאר *peer ornavit*, & *ornatus*, *ornamentum*, *R* in *L* abeunte, quod admodum tritum. *Pannus* non inepte duceretur ab אפר *aper velamen*. *Pallium*, & *palla* ducitur a Vossio ex פלא *pala latere*. Sed quia significatio longius abit, rectius idcirco reor descendere ex אפד *apad amicivit*, unde אפדה *apudda amictus*, *Aleph* abscisso, & *Daleth* in *L* converso. *Peplus* fortasse factum ex פאר *peer ornamentum*, geminata *P*, & *R* in *L* conversa.

Λῶπος *vestis*, *vestimentum* omnino ortum ex Hebræo לבוש *lebus* idem, tantum *B* in *φ* conversa. *Casaca* venit ab כסה *casa texit*, *operuit*, *C* alternante. Κιμβέριον, sive *κιμβερικὸν vestimenti genus* dictum volunt a loco.

De

De qua voce Suidas, & Hesychius adeatur. Mihi non displicet deducere ex כביר cebir, quod exponitur *pulvinar*, seu *stragulum*, sicuti sonat & מכבר. Inde nempe ex כביר *cebir*, seu *cabar* fluxit etiam græcum κράβατος, latinum *grabatus*. Hinc apparet, quam importuna, & futilis Græculorum origo, quam in medium afferre Vossium non puduit. *Rudiarii* non solum appellati gladiatores a *rude*, quam jam emeriti acceperant, verum etiam *rudiarii* dicti, *qui nova saga poliunt* secundum Festum in voce *Rodus*, ita scilicet nuncupati a *rudis*, qua designat *sagum*. Haud dubie duci posse autumo *rudem* ab רדיד *redid carbasus*, seu *vestis muliebris*. *Scruta* sunt veteramenta omnis generis, & præsertim res, & vestes laceræ. Ducuntur a γρύτη; eo quod in Glossis Phil., & Cyrill. legitur, *scruta*, γρύτη. Scrutorum *vero, seu* γρύτης *nomine pro quo & γρυτάρια dicitur*, *intelligenda* vasa vilia, *cujusmodi &* frivola *dicebantur*, ait Vossius. Porro fortasse γρύτη descendit a קרעים *geraim fragmenta*, & *lacera vestimenta* ex קרע *gara fidit*, *rupit*, *laceravit*, ut proprie sint res *laceræ*, *usu attritæ*, *ruptæ*. Hinc ex ipso קרע *cara fidit*, *rupit*, ex קרעים *ceraim fragmentum* oritur σκίρος *fragmentum*, σ addito. Φᾶρος *pallium*, item *velum*, seu *tegmen capitis* factum a פאר *pheer tiara*, *capitis ornamentum*, vel ab אפד *aphad amicivit*, א truncato, & ד in *R* converso.

Φαλὸς *conus galeæ*, cui crista inseritur, & φαλοὶ *clavi quidam*, seu *galeæ ornamentum*, φάλα quoque *ornamenta galeæ*, & ipsius capitis ornatus, profecto venit a פאר *pheer ornatus*, & *ornamentum capitis*, *tiara*. Quare non aliunde deflexa est vox φάλερα, Latinis *phaleræ ornamentum*. In qua voce adhuc visitur character hebræi *R*, qui geminatus est, quorum prior in *L*, alter integre exstat. *Trabea*, si credere præstat Vossio, dicta a *trabibus*, eo quod erat *vestis segmentata trabibus purpura expressis*. At isthoc vocabulum tuscum videtur, idcirco Orientale; nam inde ad Tuscos, unde dein ad Romanos fluxere pleraque. Hic autem videtur descendere ex Hebræo צנף *tanap circumvolvit*, *volutavit*, *obtexit*, unde צניף *tanip cidaris*, *N* in *R*, & *P* in *B* versis. Hinc fortasse originem quoque traxit græcum τήβεννα, quod exponitur *toga*. *Soriculatæ vestes*, *quæ sint Plinio l. VIII. c. XLVII.*, *& unde dicuntur*, *satis est obscurum*: ait Vossius, qui varias sententias produxit in medium. Verba Plinii sunt: *Undulata vestis primo e lautissimis fuit*, *inde soriculata defluxit*. Hic autem facilius reor Plinium de *coloribus* verba facere. Nam præmisit vestem *undulatam*, scilicet, quæ *undas* imitatur. Quare dictas puto ab Hebræo שרק *sorec*, quod Mazochius apud Vossium in voce *sericum*, & in Spicil. Bibl. Diss. VIII. p. 2. sec. 2. contendit *esse coloris*, atque *non alium colorem*, *quam purpureum per Serici nomen fuisse antiquitus designatum*. Cujus non me pœnitet. Secus etiam שרק denotare potest *sericum*. Quamobrem de vestibus serici intelligi possent. *Sutriballus*, & *veteriballus*, quid, & unde dicantur, dispiciendum restat. Κυρίως *sutriballus* dictus est sequiore ætate, quod Tranquillus in Vitell. cap. 2. nuncupat *sutorem veteramentarium*. Hinc Gloss. vett. παλαιοράφος, *veterivallus*: παλαιοράφιον, *sutriballum*. Ad rem Juvenalis interpres ad illa verba ejusdem, *consuto vulnere*, habet:

bet: *id est, a sutriballo sutus*. Porro *sutriballus* hybrida vox est, atque constat ex *sutor*, & *ballus*. *Ballus* autem venit ab Orientali בלה *bala*, seu *vale veterascere*, unde בלה *bale vetus, tritum*, & בלוים *beloim veteramenta*. Id adeo verum, ut & vocem *vetera*; & *balla* quod idem sonat, coagmentaverint, unde *veteriballus*. Ζειρὰ genus vestis, seu amiculi, & μίτρα prout accipi debere apud Herodotum tradit Suidas, forte fluxit ab אזר *azor*, quod exponitur *cingulum, cinctura*, ex אזר *cinxit, accinxit*, seu *accinxit se*. Σίκχαι *genus calceamenti* apud Pollucem dictum a שוק *soc soccus, cothurnus*, σικχὴ vero *fimbria* dicta a ציץ *siz* idem. Σπολὰς vestis forte a שפריר *saprir tentorium, augustale* ex שפר *pulcrum esse*.

Tomentum placet Vossio esse a *tumeo*, quasi *tumentum*, quod antea tradiderat Isidorus l. XIX. c. 27. At vocem reor esse Phoeniciam. Porro κνεφως designat *lanam brevem*, & *concisam*, quod Græcis γνάφαλον. Ad rem ortum istud vocabulum vides ex Hebræo צמר *tamer lana*, quod non multum abest a זמר *zamar præcidit*. *Spolio* fortasse rectius manavit a פרע *para nudavit, retexit, abstraxit; S* addito, & *R* in *L* versa. Βεῦδος vestis genus varium, aut purpureum. Non absurdum si duceres a בד *bad linum*, & *lineum*, nempe *linea vestis*. Ceterum si verum, quod Didymus tradit nempe βεῦδεα esse δέρματα, descenderet a בשר *basar pellis*, unde & βαῦτ supra derivavimus. *Galumma* dicitur esse *velamen*. Occurrit apud Martianum Capell. l. I. ubi ait: *Galumma lacteum*. Prima fronte unusquisque facile perspicit haud peculii Latii esse vocem, ideoque ex Oriente profectam. Commodum est ab Hebræo גלום *galom*, seu *galum*, quod exponitur *pallium, toga*, seu *vestis, involucrum*, ex גלם *galam involvere, convolvere*. Κρόκη *stamen, trama, subtegmen* venit a קור *cur tela*, unde קורים *telæ*. Κρόκη vero *littus* secundum Etymol. & Scholiasten Lycophronis, haud importune duceretur a קרקא *carca solum*, ἔδαφος, *fundum*. Ὀρέγω *extendo, tendo* fit ab Hebraico הרקע *araga*, quod tantumdem valet. Ὁρμία *funiculus cum virga*, quo piscatores e seta equina contexto pisces venantur. Videtur ortum ex Orientali חרם *crem sagena, rete, plagæ*. Ζινίχιον *zinichium* exponitur *corrigia calceamenti*. Hocce nomen omnino puto exoticum, atque Orientale. Perbelle fluit ex צינק *zinoc*, quod notat *nervum, vinculum, compedes*. Adde quod Syris usitata vox צנקא, quod secundum Mazochium apud Vossium in voce *calceus, calceum* denotat. Id ipsum ortum autumo ex ipso Hebræo, seu Orientali צינק *zinoq*. Σιγλαὶ sunt *inaures*, ἐνώτια apud Hesychium. Neque falsitatis nota inurenda Hesychio. Nam dictæ ab Hebræo עגיל *jagil* quod ipsissimum, versa ע utpote quæ spiritus densus, in *S*.

Λῶμα *fimbria*, instita dicta a להב *laab flamma, acies, mucro*, eo quod refert *flammam*, seu *aciem*. *Mendicula vestimenti genus, quale illud, quo Meddices Magistratus apud Oscos, utebantur*. Plaut. epid. II. 2. 39. *Quid erat induta? an regillam inducalam, an mendiculam? Dicta est a* Meddice, *teste* Festo. *Sed facetus Comicus jocum captavit in his vocibus. Nam ad Regum, & Mendicorum contrariam sortem alludens, cum regillam nominasset, subjecit* mendiculam. Hæc Facciolatus in isthac voce. Præluserat Vossius in

voce *recta*. Verum, si esset a *Meddice*, inde extunderetur *meddicula*. At *mendicula* κυρίως est ὑποκοριστικὴ vox ab *menda*. Porro *menda* ἀμέσως venit ab Orientali מדה *midda vestis*, resoluto *Daghes* in *N* more Chaldaico. Quod translatitium esse nemo unus inficias iverit.

EXERCITATIO XII.

C A P U T I.

Mos viguit in Oriente, aliisque populis communi nomine suos reges donare. Id usuvenit Coto, Boccari, Sapori, *cui addendus* Balas, Attalus, Abgarus, Murranus, Marrubius, Rix, Seuthes, & Carolus. *Occurritur Vossio*. Bagous. *Hi omnes Orientali nomenclatura nuncupati*. Αἶσα, αἰσυμνήρ, ἄρτυνος, ἄρχων, jubeo, κοίρανος, κύριος, Καῖσαρ, ἐσσήν, saphar, lares, magister, μέδω, κοίλσειν, πρύτανις *ab Hebraeis orta*. *Frustra quidam Eruditi vocem* פרתמים *corruptam ex gr.* παραπίμοι *contendunt*. Rhaetus, Astylus, Rhasena, Rhesus, tyrannus, ἤρατος *hebraeam sapiunt originem*.

Cotys nomen Thraciae regibus commune. Hinc Caesar in suis commentariis narrat regem hunc fovisse partes Pompejanas; & Nepos Iphicrat. c. III. meminit quoque: ubi ait: *Menesthea filium reliquit ex Thressa natum Coti regis filia*. De eodem mentionem facit Tacitus II. Annal. c. 64. Unde itaque colligere licet omnes reges Thraces hocce nomine fuisse donatos; quandoquidem Caesar regem Thraciae ita vocatum sua tempestate nos docet, & Nepos Regis Thraciae sic nuncupati jam inde ab aevo Iphicratis meminit: quas quidem aetates si componas, multis parasangis inter se distare noveris. Id familiare fuit potissimum Orientalibus. Hinc *Pharaones* communi nomenclatura Aegypti reges omnes nuncupati longo tractu temporis, *Sultani* apud Arabas scilicet *dominatores*, *Imperatores* apud Romanos, & Nabatheorum reges *Malci* nomine ornabantur, quod apud Josephum, & Dionem μάλχος scriptum, & nihil aliud est, nisi Hebraicum מלך *melec rex*. Itaque *Cothys* commune Regum Thraciae nomen factum ab Hebraeo קצין *catin dux*, *princeps*. *Boccar*, seu *Boccor* rex Maurorum; atque huc facere videtur, quod habet Plinius l. V. c. 2. de Mauritania disserens: *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima: itemque Bochi, quae nunc Caesariensis*. Nimirum *Bochus*, seu *Bocchus*, & *Bogud* Regum nomina. Porro descendunt ab Hebraico בעל *bacal*, seu *bocal potens*, *dominus*, *imperans*. Huc oportet advertere ex eodem בעל, seu potius ex יבעל *imperare*, & *dominari* ἀμέσως derivari latinum *jubeo*. Hinc producta

ducta hujus vocis germana origine, facile erit captu, cur etyma, quæ de hac voce Eruditi exhibent apud Vossium, rejicienda sint. Ab ipso בעל oritur vox *balas* nomen regis Persarum . *Sapor* item nomen commune plurium regum apud Persas forte venit a ספר *saper recensere*, *numerare*, unde *soper legisperitus*, & *censor:* quæ vox hebræa fortasse magis patuit.

Attalus sane dictus ab אצל *attil princeps*; quo nomine omnes deinceps Pergameni Reges donati sunt. *Murranus* secundum Servium est priscus Latinorum rex, a quo deinceps ceteri omnes Latini reges *Murrani* dicti. Porro *Murranus* venit ab Orientali מרן *maran dominus*, orientali loquendi genere. *Marrubius* rex item latinus. Hinc dictum *Marrubium*, & *Marrubii* populi Latini circa Fucinum lacum. Plane eadem causa ac *Murranus*, profluxit ex מרבה *marbe*, seu *marebe* (si *scheva* protuleris) *amplitudo* ex רבה *raba multum esse*, *magnum esse*, vel ex מרב *merub* ex רבב idem; atque רבה, unde רב *rab magnus*, *magnas*, *magister*, *præses*, *præfectus*.

Rix magnatum nomen, de quo ita Bochart. Geogr. S. col. 665. *Rix etiam multo in usu in magnatum nominibus. Exemplo sint Sinorix, Dumnorix, Orgetorix, Ambiorix, Vercingetorix, Eporedorix. Puto Gallos scripsisse* rich, *ut Britones, & Germani hodieque* Rich, *id est* fortis, & potens. *Hinc in libro triadum Britannico, qui vetustissimus est.* (*Camd. pag.* 446.) Caradauc urich fras, *id est*, Caratacus forti brachio. *Neque aliud fuit* rich *apud Germanos veteres. Fortunatus l. VIII.*

Chilperiche potens, si interpres barbarus adsit,
Adjutor fortis hoc quoque nomen habet.

Rich *videtur esse* ריק rik *Arabum in Giggejo* ריק rik, *est* vis, robur, & ראיק *raic* prior, primus, ריוק *idem*. Hactenus Bochartus. Verum aliud *rich*, aliud *rix*. Nam uti ipse fatetur, *Rix* est magnatum nomen, ideoque est vel a רז *raz*, unde רזון *razon princeps*, *dominus*, vel facilius, & verosimilius a ראש *rosc caput*, *primus*, *princeps*, seu *risc;* nam inde fruticat ראשון *riscon* idem, ש *Scin* nempe *Se* in *X* converso, quod verissimum. Atque germana origine detecta, haud opus est confugere ad Arabas. *Seuthes* rex Thraciæ dictus ex שאת *seet excellentia*, & נשיא *nasi princeps*. Neque gravabimur mantissæ loco differere de voce τῦ *Caroli*. Vossius in voce *androsaces* hæc habet: *Ab eadem* ἀνδρὸς *voce est proprium* Andreas, Ἀνδρέας . . . . . . *Germanis sit* Carolus, *seu* Karolomannus, Kerl, *seu* Karel. *Quippe* Karel *conflatur ex* kar, *seu* gar *id est* plane, omnino, & hel, vegetus, strenuus, acris. *Equidem veriorem longe hanc conjecturam nostram puto, quam eorum, qui dici volunt ab Hebræo* קרא invocavit, & אל Deus. *Nam Germanicæ vocis origo, unde melius, quam e lingua Germanica petatur?* Carel *autem, seu* Karl (*unde* Karlman) *prisca Germanorum lingua* robustum, *ac* fortem *significare, agnoscit quoque Cæsar Scaliger, Exerc. CCLXVI.* Hactenus Vossius. At in trutina sunt pensanda, quæ scripsit Vossius, priusquam ad originem accedamus. Et sane non video, cur voces Germanicæ non fluxisse potuerint ab Oriente, neque adlata vox est peculii germanici, ut contendit Vossius. Nam falsus est eo, quod eam vocem *compositam* esse credidit, cum revera sit

sim-

simplex, uti mox præstabimus. Ceterum voces, quæ dicuntur *simplices*, non possunt esse αὐτόχθονες, si non omnes, esto: at certe pleræque ab Oriente fluxerint, necesse est. Id argumenti passim in hoc tenui opere prosequemur. Quod vero attinet ad originem, autumo hanc vocem ad designandam invictam fortitudinem esse comparatam. Porro descendit ex Orientali אראל *herel*, seu *cerel valens*, *prævalidus*, *fortis*, seu אריאל *ariel*, vel *cariel* scilicet *leo fortis*; ex ארי *leo*, & אל *el fortis*, unde etiam ortum videtur germanicum *hel*, quod idem sonat teste ipso Vossio.

Bagoas, *vel Bagous*, *Persica vox spadonem significans*. Plin. l. XIII. c. 4. *Uno in horto Bagoi: ita enim vocant spadones, qui apud eos etiam regnavere*. Ovid. l. II. Amor. eleg. 2. ad Bagoum: *Quem penes est dominam servandi cura Bagoe*. Adde Quint. l. V. c. 12. Hæc Facciolatus apud Calepinum. Sane primaria significatione non *dignitatis* nomen fuit, atque verissime dictum ab Hebræo בקע *baga scidit*, *abscidit*, *fidit*, *dissecuit*, & בקע *bege dissectio*; neque alia de causa hujusmodi homines ore latino dicti *castrati*, ore autem græco *spadones*; *thlasiæ*, *thlibiæ*, *eunuchi*. Ceterum advertere juvat, scribi apud Vulgatam in Judith. pro *Bagoam* etiam *Vagoam*, atque id ortum ex affinitate, quæ intercedit inter *B*, & *V*. Sed Græcus constantissime *Bagoas* scripsit, sicuti Diodorus Sic. tom. II. Hist. l. 16. Plinius, Ovidius, & Quintilianus, qui sicuti eam vocem exoticam, seu peregrinam acceperant, ita protulerunt. Adde quod in Hebræo Estheris XII. 6. occurrit: *Aman Amadathi Bugæus*. In Græco *Bugaios*. Et Esth. I. 10. II. 21. VI. 2. Eunuchus nuncupatur *Bagatha*, Hebraice בגתא, & בגתן. Quare autographum Hebraicum Judith in præsenti non exstat, unde dubium prorsus dilueretur, tamen cum apud Estheris librum per *B* exaratum sit, difficultatis nodus omnis omnino expeditur. Quod si primigeniam notionem, (id tamen non omnino arridet) esse dignitatis pugnaveris, facile a בעל *bagal princeps*, *dominus* derivare poteris.

Αἶσα *Parca* dea fati præses, atque αἰσυμνήτηρ dicta ab עוצר *imperium*, & עצר *imperavit*, *cohibuit*, vel ab altera voce אצל *ezel princeps*, *optimas*; sed αἶσα posset esse ab אשר *felicem*, *beatum reddit*. Κοίρανος *princeps*, *imperator*, *dominus* dictus est a כר *princeps*, *dux*. Hinc fortasse quoque κύριος *dominus*, & κῦρος *auctoritas*; *caput*, *cardo*. Ab ipso כרים *carim principes*; & נה *na lamentum* dictæ καρῖναι mulieres, quæ mortuum in funere planctu, & lamentis prosequebantur; forte eædem, ac Latinis quæ dictæ *præficæ* a *præficiendo*. Ἄρτυνος exponitur ἄρχων. Sunt qui tradunt ἀρτύνους fuisse ἀρχόντων Epidauricorum singulare nomen. Affertur quoque ex Herodoto ἀρτῦναι pro quibusdam Argivorum magistratibus. Porro hæc nomina originem ducunt ab הרזון *arazon* (& *Z* in *T*, & *Vau Cholem* in *V* versis, *artyn* ἄρτυν, nam Hebraicum ו medium est inter *U*, & *O*, atque sæpe respondet υ Græcorum) *princpes*, *rex*, *dominator*. Necnon fortasse ab ipso *arzon* הרזון emollitum ἄρχων. Ἐσσῆνα *regem* denotare Etymologus adstruit ex Callimacho: ὅν σε θεῶν ἐσσῆνα πάλιν θέσαν. Ad hæc idem Auctor addit Ephesiorum dialecto ita dici τὸν βασιλέα metaphora ducta ab *apum rege*, qui κυρίως est dictus

παρὰ

παρὰ τὸ ἕζαι, καὶ ἱδρύσαι. At oppidoquam de origine fallitur; etenim sine ulla controversia fit ab Hebraico אצל *essel* (*L* in *N* versa) *princeps*, *optimas*. Hinc ex כהן *coen princeps*, & אציל *asil optimas*, *magnas*, seu *selectus* coaluit vox κοάλσειν, quod apud Lydios *regem* designabat, teste Bocharto in dissertatione de adventu Ænææ in Italiam. Porro cum sermo institutus sit de ἐσσὴν *essen* id est *rege*, optimum autumo ἐτυμολογίζειν de *Saphar*, de qua ita Plinius l. VI. c. 23. *Regia ejus appellatur Saphar*. Sane sicuti locus, ita & ipsa appellatio barbara. Venit enim ab Hebræo שפריר *saphrir tentorium*, *tabernaculum*, *augustale*, *regium*. *Lares*, seu potius *lases* antiquitus *principem* notabant; dicti itaque vel a ראש *caput*, *princeps*, vel a רזון *rason princeps*, *R* in *L* versa, quod familiarissimum est. *Magister* proprie est *potestatis* nomen, ἐπιστάτης, seu *præfectus*, unde *magister curiæ*, *societatum*, *collegiorum*, *vicorum*, *pagorum*, *aeris*, *census*, *pecoris*, ut optime Vossius, atque ante eum Festus, & Varro docuere. Quod vero attinet ad originem, frustra arcessere laborant a *magis*, vel a gr. μέγιστος. Etenim vox *Magister* Hetrusca; idcirco orientalis est. Scilicet exstat ab Hebræo מעצר *magestar imperium*, seu *megaster imperans* ex עצר *imperavit*, *cohibuit*, *coercuit imperando*. Μέδων exponitur *regnator*, *imperator*, *præfectus*, & μέδω *impero*, *regno*, *imperium teneo*, *curam gero*. Porro, unde ejus natales repetendi, id præstare in præsenti in animo est. Plane & μέδω, & μέδων veniunt ab Orientali מדין *medin judex*, *jus dicens*, *judicium exercens*: verum cave putes, quod Hebraica vox ἁπλῶς, & jejune *judicem* notet, sed etiam *præfectum*, seu *magistratum*; nam inde venit quoque מדינה *medina*, quæ exponitur *provincia*, sed potius est ipsa *præfectura*. Neque id abhorret ab Orientali more, & sermone; etenim Hebræis dicuntur שפטים *judices*, qui revera omne jus, & potestatem in illos habebant, sicuti & *Sufetes* Pœnis. Πρύτανις *præfectus*, *rector*, unde Πρυτάνεις Athenis dicebantur quinquaginta viri, qui summum magistratum habebant. De hujus vocis origine Grammatici, atque ipse Vossius fabulantur. At germana origo se prodit a פרתמים (quod exstat apud Danielem, atque Estherem.) *proceres*, *præfecti*, *dominatores*, *M* in *N* versa. At haud desunt viri cetera doctissimi, qui vocem פרתמים corruptam putent ex græci *protimi primarii*, vel *proti primi*, vel παραπίμοι, ut Grotius, Drusius, Junius rentur, quos Calmetus ipse sequitur; tum eo quod apud Xenophontem occurrunt quidam præfecti, quos ipse ἐντίμους, & ὁμοτίμους appellat, quique præ foribus regiæ vigilabant præsto semper ad nutum regis; tum quia insuper (adjicit Calmetus) nulla satis patens in Hebræo, & Chaldæo occurrit hujus vocis radix. Verum secus rem se habere reor. Etenim primo sensus loci Danielici magis favet nostræ opinioni; quandoquidem præmisit hæc verba *de semine regio*; quare optime Vulgata reddit eam vocem *tyrannos*; ceteri interpretes veteres sibi non constant. Ad rem, atque ut lis dirimatur, audiendus Rab. Salomon; hic sane testatur hanc vocem lingua persica significare idem, ac שלטונים *dominatores*. Itaque si fides allato auctori habenda, eadem vox etiam usurpata apud Persas eo sensu, quo contendimus. Neque obstat, quominus nulla hujus vocis

ra-

radix satis patens, aut adæquata occurrat; nam illa statim ac nata fuit, potuit emarcescere, ut aliis quoque vocibus & שמים *shemaim* accidisse arguit doctissimus Mazochius ad Genesim. Id adeo verum est, ut apud Arabas exstet פרע, quod teste le Clerc *præesse* denotat, & in lingua Ægyptia occurret *pouro*, quod designat *regem*, uti testatur D. Abbas Renaudot in Dissertatione de lingua Cophtica pag. 127. Cui quoque accedit ipsa vox *Pharao*. *Rhœtus* unus Gigantum, & Centaurorum Orientali loquendi genere dictus ab רזון *razon*, & *Z* in *T* versa *raton*, *princeps*, *dominator*. Hinc haud secus *Astylus* unus ex Centauris fit ab Hebræo אציל *astil*, unde אצילים *optimates*, *selecti*. *Rhasena* quidam dux teste Dionys. Halicar. l. I. unde se *Rhasenas* Etrusci appellabant, videtur dictus a רזון *rason princeps*, *dominator*. *Rhesus* rex Thraciæ dictus vel a רזון *razon*, vel a ראש *rosc caput*, *princeps*.

Tyrannus. Vossius differens de voce *turri* hæc habet de illius origine. *Est ab Hebræo* צור, *quod* aciem, *item* turrim angusta acie *notat* . . . . *A* τύρσις *quoque*, *vel Hebræo* צור, *unde* τύρσις *venire diximus*, *videtur esse* τύραννος tyrannus: *nisi malis a Chaldæo* טור *hoc est* ædes, palatium. *Causa adpellationis sit*, *quod* inabitent turres, ac palatia. *Unde Poeta primo Odarum opponit* pauperum tabernas, regumque turres. *Primo* tyrannus *in bonam partem pro* rege, *seu* principe *accipi solere satis notum arbitror*. Hactenus ille. Verum de origine longe fallitur, etenim ἀμέσως descendit ab Hebræo שרר *sorer princeps*, *principatum tenens*, ש in *T* versa more Chaldaico, uti sæpe fieri sollemne est; nam ex שור fit תור *tor bos*, ex שער fit תרע *porta*, id quod innumeris aliis vocibus usuvenit; ut & תבר ex שבר idem; תוב *tub* ex שוב idem; תלג ab Hebræo שלג *nix*; תם ex שם idem; תלת ex שלש idem. Sane primitus *regem*, *principem*, *dominatorem* designabat, atque in bonam partem accipiebatur; uti ipse inter omnes Vossius quoque adnotat; atque facili negotio quisque tum ex Græcis, tum ex Latinis intelligere potis erit. Heic porro alia quædam quæ jam prætermieram, adjiciam. Ἥρανος exponitur *rex*: videtur esse factum ab הרעה *pascere*, *regere*, quod proprium est eorum, qui regunt, & præsunt. *Abgarus*, *Abagarus*, *Agbarus* proficiscitur vel ex אב *pater*, quod tribuitur *principibus*, *regibus*, *dominis*, & גביר vel κυρίως ex הגביר *agbir herus*, *dominus*, unde גבירה *gebira augusta*, *regina*.

CAPUT II.

ALlodium, ἐλεύθερος, liber, *seu* lœbesus, francus, abra *ab Hebræis sunt. Notatur Calmetus*. Ambactus, bajulus, veho, via, ὁδὸς, οἴμη, ἐπάλλων, ἀτμὴν, gangabæ, minister, servus, schiavo, erus, Sambas, Aolan, Telus, Babys *hebraicam indolem præseferunt*. Angarus *vox Persica. Frustra est Vossius*. Angelus, ancilla, anculi, anculæ, ἀσάνδης *ab Oriente derivata. Notatur Bochartus*.

CUm hactenus de iis nominibus, quæ *potestatem*, & *dominium* designant, disseruimus, nunc restat, ut de illis, quæ *servitutem* denotant, verba faciamus; attamen prius de voce *liber*, *lœbesus*, *allodium* ἐτυμολογίζειν juvat. *Allodium* autem barbarum vocabulum a Gothis introductum volunt, atque significare *rem liberam*, *propriam* scilicet *alicujus*, item *hereditatem*, quæ *vendi*, & *donari possit*. Sane ista vox derivata ab Orientali חלץ *alatz*, seu *illatz liberavit*. Ἐλεύθερος *liber* factum ab חלוץ *alutz expeditus*, *liberatus*, *liber* ex חלץ *liberavit;* hinc arguitur falsi illa origo, quam de hac voce profert Etymologi Magni auctor, & sequitur Vossius licet diversa ratione. *Liber* priore producta, unde sit, mire digladiantur Grammatici, atque Eruditi. Quod dissidium, si curiositate laboras, legere poteris apud Vossium. Verum res ita se habet. Antiqui teste Festo *liberum* dicebant *lœbesum*, & *libertatem*, *lœbertatem*, iccirco *lœbesi*, non *liberi* origo est investiganda. Profecto *lœbesus* profectum est ab Hebræo לחפשי *laopsi liber* pro simplici חפשי *liber*. Et re quidem vera sicuti ex לאם *leom* factum est λαὸς *populus*, ita & in vocabulo, de quo disceptatur. Hinc Exod. XXI. 5. יצא לחפשי exponendum esse *exibit liber* clamat sensus; & v. 27. idem occurrit: Heic autem animadvertendum, quod illud ל, quod præfixum est voci חפשי, ita illi ferruminatum, ut una, eademque vox sit, & nihil notet, seu potius παρέλκειν dicendum sit. Quamobrem לאט idem valet, atque אט, לבד idem, ac בד, לאם idem, atque אום ἁπλῶς. Atque iccirco non solum ex לאם fluxisse Græcis λάον, sed etiam ex לאמור *lemor dicendo* factum esse λάμυρος comperimus. *Francum* scilicet *liberum* vocem germanicam esse volunt. Hinc docent, *Francos* Germaniæ populos, qui conspirantes inter se a Romanorum servitute in libertatem se vindicarunt, *Francos* se nuncupasse eo, quod *francus* sua lingua *liberum* denotat. Neque apud Italos aliter vox *franco* sonat. Apposite hocce vocabulum ab Orientali פרק *farac*, quod Hebræis & potissimum Chaldæis *liberare* notat; licet proprie *rumpere*, *frangere* designat. Ad rem facit illud Genesews cap. XXVII. 40. ubi ita: ופרקת עלו, *ut abrumpas jugum ejus*. Nunc ut fidem liberem, opus est, ut de vocibus, quæ *servitutem* denotant, verba faciam. Ecce tibi præsto est vox *Abra*, quæ secun-

cundum doctissimum Mazochium venit a חברה *socia*. Sed multo antea idem etymon cusum esse offendi, uti legere est apud Calmetum in Judith. cap. VIII. ubi ita se habet: *Vox* Abra *ex Hebræo* חברה *derivata significat sociam, ancillam, famulam a cubiculo potius, quam ancillam vulgarem: ad litteram significare fertur calamistrariam* (citatque heic Calmetus *Melanges d' Histoires tom.I. pag.196.*) *Eutychius Patriarcha Alexandrinus narrat, Cleopatram pectori admovisse viperam, cujus veneni vim experta fuerat in geminis e suo satellitio puellis, quarum altera appellabatur* Abra, *id est* calamistraria, *altera* Matra, *id est* sectrix. *Nomen* Abræ *non tribuit Scriptura nisi ancillis Matronarum, ut puellis, pedissequis Rebeccæ* (*Gen. XXIV. 62.*) *filiæ Pharaonis* (*Exod. XI. 5.*) *& Estheris* (*XI. 9. IV. 4. 15.*) *Eadem est facile puella, quam Judith domui suæ curandæ præfecerat, de qua sermo fuit in Græco superius v. 9. Profani interdum hac voce ancillam a cubiculo lateri heræ suæ adhærentem significant* (citat heic Pausan. apud Eustath. & Menand. apud Suidam. Ἄβρα, οἰκότριψ, γυναικὸς κόρη, καὶ ἔντιμος. Serar. ad Judith X. quæst. I.) *& interdum* vulgarem ancillam, *vel etiam* concubinam, uxorem *nullo sollemni ritu ductam* (Hesych. Ἄβρα, δούλη, παλλακή). Hactenus Calmetus. Verum ipsum veriloquium esse clamat ab Hebræo עבדה *abeda* ex עבד *servivit*, & *servus* (tantum *D* in *R* versa, cujus mutationis exempla innumera apud Vossium reperies.) atque etiam *operatus est*, *fecit*; longius enim petitur ab חברה *socia*. Et re quidem vera potissima, ac princeps significatio est τῆς *servæ*, *pedissequæ*; hinc Hesychius exponit δούλην, & quia apud Veteres, uti videre licet apud Scripturam, aliosque, servæ loco concubinarum erant, ideoque & παλλακή explicatur. Adhæc Suidas proprio significatu interpretatus est οἰκότριβα scilicet *vernam*, seu *servum domi natum*, seu *servam*, & quoniam hujusmodi serva heræ lateri solebat adhærere, ideoque γυναικὸς κόρην etiam exponit. Neque proprie ad litteram significat *calamistrariam*; etenim uti dictum prius habui, κυρίως *ancillam* notat, cujus etiam officium calamistrarium erat. Deinde etiamsi Scriptura non tribuit, nisi ancillis Matronarum, nunquam tamen *sociam*, sicuti eorum etymon sonat, vox *Abra* significabit. Adde quod vox עבד non solum notat *servire*, sed quodcumque *famulitium*, *ministerium*, *opus*, *culturam*. Denique haud admodum abest ab Orientali עבד latinum *ambactus*, qui exponitur *servus* a Festo ex Ennio, & Vetus Glossator ita habet: *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Quare rectius conflatum putarem ex אמה *ama* ancilla, & בצע *batza quæstum fecit*; nolique mirari, quod אמה significet *ancillam*, & *ambactus servum*; nam ab אתון *asina* venit Latinum *asinus*. *Bajulus* ab יבל *attulit*, *adduxit*, *Jod* de more evanescente. *Veho* factum ab Hebræo בוא *vo*, quod in *Hiphil* est *venire fecit*, *adduxit*, *attulit*, & fortasse ipsum *vehere* notat. Et quandoquidem in hujus verbi mentionem incidimus, heic quoque unde *via*, ὁδὸς, atque οἶμη dicta sint, brevi expediemus. *Via*, relictis Grammaticorum figmentis, ἀμέσως est a ביאה *via*, quod exponitur *introitus*, *aditus*, *ingressus* (ex בוא *vo venit*, *ingressus est*) atque ipsa *via*, ut fortasse מבוא apud Ezechiel. XXVI. 10. Οἶμη *via* exstat ab אם, quod exponitur *bivium*. Ὁδὸς ab עדה *ada*, quod Chaldaice *transi-*

vit valet. Jam vero revertamur, unde digressi. Ἐπάλων exponitur *minister*; iccirco omnino oritur a Chaldaico פלח *pelah servivit*, *coluit*, *minister fuit*; hinc ex ejusdem verbi participio מפלח per metathesin fluxit latinum *famulus*, seu oscum *famel*. Ἀτμὴν item *servus* dictus per metathesin ab אמת *amat ancilla*, *serva*, *famula*.

Gangabæ. De hoc vocabulo ita Curtius l. III. 13. *Gangabas Persæ vocant humeris onera portantes**. Itaque cum sit vox persica scilicet Orientalis, atque sonat idem, atque *humeris*, *dorso portans*, omnino tantum principe syllaba geminata, omnino, inquam, venit ab Hebræo גב *gab dorsum*, haud secus atque a *dorso* dicitur *dorsuarius*, qui *dorso bajulat*. *Minister* dictus videtur a משרת idem, *N* inserta. *Servus*, undenam dictus, mirandum in modum delirant Grammatici. Sed ἀμίσως emersit ab Hebræo שרת *seret ministravit*, unde משרת *minister*; Italica vero vox *Schiavo* descendit a שבי *schevi servus*, seu *schiava*. *Erus servus*, unde *eritudo* apud Festum nempe *servitudo*, atque ipsum gr. ἔρος fortasse dicta ab Hebræo נער *naar puer*, *minister*, *famulus*. *Sambas*, *Aolan*, *Telus*, *Celon*, *Cadalus*, *Babys* apud Athenæum nomina fuisse *servorum* apud Phrygas animadvertit Casaubonus teste Bocharto tom. II. Geogr. Sacr. c. 1076. Porro *Sambas* nomen sortitum vel a צבא *saba ministravit*, vel verissime a סבל *sabbal*, seu *sambal* (propter *Daghes*) quod exponitur *bajulus*. *Telus* factum a נטל *netel*, unde נטילים *netilim bajuli*, *portatores*, *N* ablato de more Defectivorum *Pe-Nun*. *Babys* a *Bo* בוא, seu *Ba*, quod in *Hiphil* est *asportavit*, *adduxit*, *vexit*, geminata voce, uti mos est.

Tandem restat, ut veniamus ad ea nomina, quæ medium locum obtinent inter ea, quæ dominium, libertatem, & servitutem complectuntur. In promtu est vox *Angarus*, unde *angariare*. De hujus vocis significatione, atque origine in hunc modum Vossius disserit: Angariare *non tantum legimus apud vulgatum interpretem Matth. c. V. XLII. & c. XXVII. XXXII. & Marc. cap. XV. XXI. verum etiam apud Ulpianum l. XV. Dig. Tit. de privilegio veteranorum:* Naves eorum angariari posse Ælio Firmio, & Antonino Claro, veteranis rescriptum est. *Est a Græco* ἀγγαρεύειν, *hoc ab* ἄγγαρος, *quomodo Persicorum regum nuncii vocantur, ut scribit Suidas, & Hesychius confirmat, qui sic apud Persas appellari ait eos, qui regias epistolas alter alteri succedendo ferunt. Galli nominant* postas, *quod* positas *habeant equorum stationes. Quia vero hi regii Persarum nuncii jus habebant cujusvis equos, aut naves, atque adeo homines ipsos rapiendi ad cursum, uti hodie apud Turcas: inde factum, ut* ἀγγαρεύειν, *sive* angariare *capiatur pro* cogere: *uti ex Evangelistarum locis, & Ulpiani cognoscimus. Similiterque* ἀγγαρείαν *Suida teste, dixerunt coactam servitutem, sive ministerium, quod quis coactus obit. Cum autem, seu sonum & corpus vocum, seu formam, ac significationem earum spectes, summa sit inter* ἄγγελος, *&* ἄγγαρος *similitudo: plane unam ab altera originem capere verisimile est. Sane* ἄγγελος *Græcis* nuncius: *At Persis* κατ' ἐξοχὴν ἄγγαρος *est* regis nuncius. Λ *autem in* ρ, *&* ρ *vicissim in* λ *sæpe abit. Sic a* βαλίος *est* varius, *a* σίλφη sirpe, *& contra a* λείριον lilium. Hactenus Vossius. At

isthæc

isthæc Vossii verba haud intelligo ; utpote qui Davus sum , non Œdipus . Quid enim hæc verba , scilicet quod *summa sit inter* ἄγγελος , *&* ἄγγαρος *similitudo ; unam ab altera originem capere ;* λ *in* ρ, *&* ρ *in* λ *abire* sibi velint, nisi vel ἄγγαρος ab ἄγγελος , vel unam ab altera originem capere ? Verum primum falsum , atque hoc adeo liquidum , ut monitore haud egeat ; nam lingua Persica antiquior Græcanica , utpote quæ Orientalis : secundum vix assequor ; ut prius propalam fassus sum. Porro ἄγγαρος vox Orientalis est ; perbelle enim fluxit ab Hebraica voce הגיד *iggid*, seu *uggad*, atque *aggad nunciavit* , & נגד *noged* , quod exponitur *antecessor* , *antistes*, *dux*, *princeps*, tantum *D* in *R* versa , quod familiare est. Atque inde liquet, cur ἄγγαρος *nuncius Regis* sit ; quandoquidem utrumque Hebræa vox præstat , uti adnotavimus. *Angelus* ἄγγελος græcis, *nuncius* latinis. Ἄγγελος *est ab* ἀγγέλλω nuncio : *nisi utrumque , ut plane censeo , a Persis fuerit , quo de in* angariare *satis diximus* . Hæc Vossius . Porro ἄγγελος , ἀγγέλλω *nuncio* ἀμέσως ab Hebræo הגיד *nunciavit* , dumtaxat *D* in Λ versa ; licet antea suspicabar hanc vocem ortam ex לאך *laac* (per metathesin) *nuncius* , *legatus ;* sed primum verisimilius . Cum autem heic τῦ ἀγγέλυ disserendi sese obtulerit occasio , haud ἀπροσδιόνυσον erit patefacere originem vocis *ancillæ* . *Ancillæ* , si fidem Festo habemus , *dictæ vel ab Anco Martio , quod is bello magnum fœminarum numerum ceperit . Sive ideo sic appellantur , quod antiqui anculare dicebant pro ministrare . Ex quo dii quoque , ac deæ feruntur coli , quibus nomina sunt Anculi , & Anculæ* . Sane derivata hæcce vox ab Hebræo לאך *laac* , per metathesin , *nuncius* , & מלאנח מלאך nempe *nuncius* , & *opus* , *functio* , *ars*, *officium ;* id vero apprime quadrare latino vocabulo certum est , atque exploratum.

Ἀστάνδης est *nantius* apud Tarentinos , uti docet Hesychius : Suidas vero esse Persicum vocabulum asseverat , haud secus atque ἄγγαρος . Porro factum puto , seu potius suam originem acceptam referendam Hebraico הציר *astir legatus* ; quæ vox apud LXX Senes modo πρέσβυς , modo ἄγγελος , uti apud Proverb. librum c. XXIV. 13. redditur ; alternante צ , & *R* in *N* versa. Hinc vides quam inique Bochartus legere maluerit ἀσγάνδη, pro ἀστάνδην deducens a Chaldaico אזגד *nuncius* , *legatus* (heic παρέργως advertas hanc Chaldaicam vocem accedere quam maxime Hebræo נגד & הגיד); quandoquidem suam opinionem in melius vertere sategisset , si nostrum veriloquium fuisset assecutus ; atque Hesychium , & Suidam vitiatos pro lubidine contra omnium fidem libere asserere detrectasset.

EXERCITATIO XIII.

CAPUT I.

ANtar *unde ducitur a Mazochio*. *Producitur ejus origo*. *Apes*. *Grammaticorum nugæ*. *Derivantur ab* עוף; *hinc* ὄφεις volucres. Sirenes, *hoc est*, fuci *unde dicti*. Ἀκρὶς, crabro, bruchus, βέρκνις, βρέτταννα, *Arab.* Orphan, ὄρπας *ab uno fonte Hebræo nempe descendunt*. Œstrus, asilus *ab* הצל. Tabanus a זבוב. Opilio *ab* עוף; *unde* upupa, pavo, & vipio. Sturnus, struthio *a* שרץ. Ψάρος, ψάρ *a* צפור: *unde* σπίνος, & φάσσα. Φαίρω *a* צפר. *Hinc* θραυπὶς. Ἄιθυα *ab* עיט. Αἰγωλιὸς *ab* עגור. Boa *Gr.* ὕδρος. Ἀπὸ τῦ δύη *ducit Salmasius*, & *Vossius*. *Refelluntur*. *Vera ejus origo ab* אוב. Boa *hoc est* morbus *a* בעה. Bubo, βυβὼν *ejusdem originis*, *quam* Boa.

ANtar. *Hesychius*: Ἄνταρ, ἀετὸς ὑπὸ Τυῤῥηνῶν, *ait τὸ* Antar *significare* Aquilam *lingua Tyrrhenica*. *Origo vocis est sive a* נטר natar, *quod verbum apud Arabas est* acutum videre, *quod Aquilis tribuitur*, *sive a radice Arabica* חנר, *quam vide inter Arabica Castelli*, *nam num.* 12. *est* pupilla oculi *num.* 15. nigrum oculi, pupilla, *num.* 17. 18. scopus, intenti visus objectum, *num.* 19. homo acutum videns. Hæc Mazochius. Verum parvipendo etyma, quæ ab accidentibus, non ab ipsa re petuntur. Hinc rectius puto venire ab עיט *ait avis rapax*, *N* tantum inserta. Id adeo verum, ut inde etiam ἀετὸς *aquila* exstet. *Apes* dictæ ab *apio* id est *necto*, uti Vossius, & Scaliger putavit; at sunt λῆροι ληρῶν. Nam ἀμέσως *apes* ἄβεις nimirum ὄφεις hoc est *volucres*, atque ipsum ὄφεις descendunt ab Orientali עף *ap volavit*, & עוף *op volatile*, *volucris*. Ὄφις vero *serpens* venit ab אוב *ob*. *Sirenes* scilicet *fuci*, de quibus Plin. l. XI. c. 16. dicuntur ab צרעה *sira crabro*. Ἀκρὶς *locusta* ab חרגול *hargol genus locustæ* per metathesin. *Crabro* dictum ab ארבה *arbe locusta*, unde per metathesin factum quoque *bruchus*; & βέρκνις *locusta*, & βρέτταννα, unde Hesychius: βρέτταννα φοβερὰ, ἀκρὶς μικρὰ ὑπὸ Κυπρίων; venit ab ipso ארבת *arbet locusta* per metathesin. Ab eodem ארבה *arbe* factum Arabicum *orphan*, de quo Bochartus Hieroz. part. poster. tom. III. c. 450. atque ὄρπας apud Hesychium: Ὄρπας· τῆς ἀκρίδος ὁ γόνος. Οἶστρος *œstrus* dictus ab הצלצל *locustæ* genus, unde & *asilus*. *Tabanus* a זבוב *zebub*, seu *tebub musca*, *Z* in *T* versa, unde forte etiam σφὴξ natum. *Opilo*, vel *opilio* apud Festum *genus avis* venit ab עוף *op avis*, unde quoque per metathesin *pavo* dictus. Ab ipso עוף *up* geminato fluxit *upupa*. *Sturnus* a שרץ *serez*, unde & *struthio*. *Vipio* dictum ab עוף *avis*, *volatile*. Ψάρος,

seu

seu ψάρ nomen *avis variis distinctæ maculis* teste Aristotele hist. anim. l. IX. c. 26. Si fides Hesychio est *genus passeris* . Latini appellant *sturnos* . Peropportune factum ex Orientali צפור *zipor avis* , & *passer* ; mutata scilicet *Z*, & *P* in Ψ. Ψαρὸς vero *celer* & ψαίρω *accelero* venit a צפר *zapar maturavit* . Αἴθυα *avis* ab עיט *ait* item *avis*. Θραυπὶς est *avis* apud Aristotelem hist. anim. l. VIII. c. 3. Dictam autumo ex צפר *tipor avis* per metathesin . Αἰγωλιὸς *avis nocturna* , seu *ulula* forte venit ab עגור *agor* , quod varie interpretantur . Σπῖνος *passer* , sive potius *fringilla* , & fortasse σπιζίον *fringilla* , & quælibet avis secundum Hesychium derivantur ab Orientali צפר *sipor avis* , & *passer* ex צפר *volavit* . Ab ipso צפר *siphor* ortum *sephora* (vox barbara) quod exponitur *gallina* . Φάσσα *palumbus* a צפר *separ* (per metathesin) *volare* & *siphor passer* , & generaliter *avis* .

Boa est serpens aquatilis , quem Græci ὕδρον vocant , si fidem adjungimus Festo . Post alias hujus vocis origines ineptissimas, quas ipse adducit, videtur adstipulari Salmasio Vossius, nescio quam ob causam, nisi fortasse, quia veterum etyma in hac re potissimum alia aliis longe nequiora ; ait enim : *Doctissimus Salmasius censet hanc vocem Æolibus deberi . Nam* boam *Græcis* δύην , *&* δύτην , *Æolibus vero , qui* δ *in* β *mutare solent ,* βύην , *&* βύτην : *unde* boa . Δύτης *vero dicatur ea de causa , ob quam & natrix vocatur : Gloss.* Natrix , boa ; ἔχιος εἶδος . *Ut ergo* natrix *a* nando , *sic* δύτης a δύνειν , *quod est* urinare . *Hesychius* : δύπτης , κολυμβητής , δύτης . *Nec minus* boam *pro morbo idem derivat ab Æolico* βύη *pro* δύη , *quod Hesychio & Suidæ exponitur* πόνος , ταλαιπωρία , δυστυχία . Hæc Vossius ex Salmasio . Sed ingratiis Vossii , & Salmasii sui isthæc origo falsa est . Nam potissimum dura est , adhæc repugnat significatio ; quandoquidem δύτης *urinator* est . Porro tantis viris imposuit Festus , qui ait esse ὕδρον hoc est *serpentem aquaticum* , & Glossæ , quibus *Natrix* , *boa* , ἔχιος εἶδος . Contra illis refragatur Plinius , & Solinus , qui esse serpentem aquaticum haud scriptum reliquere . Hinc Plinius l. VIII. c. 14. ait *Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ in tantam amplitudinem exeuntes , ut D. Claudio Principe occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans . Aluntur primo bubuli lactis succo , unde nomen traxere* . Sane si *boæ* serpentes aquatici essent , qui in Vaticano occisæ ? atque ne credas aliud innuere Plinium . Nam ea quæ subtexuit , litem dirimunt , scilicet *eas ali bubuli lactis succo* . Etenim si aquatici , haud alerentur lacte bubulo . Ceterum si quis adhuc secus sentiret , id solum fortasse evinceret , nimirum hoc animal esse amphibium . Missis itaque pseudetymis , ad verum ruspandum aggrediamur . Facile *boa* factum ab *Ob* אוב *Pytho ;* unde & Vossius ducit ὄφις *serpens* . *Boa* vero morbus quoque est . Hinc Lucilius : *Inguen ne exsistat papula , tama , ne boa noxit* . Quod autem morbi genus sit , aperit Plinius l. XXIV. c. 8. *Boa appellatur morbus papularum , cum rubent corpora* . Et l. XXVI. c. XI. ait *Ebuli folia contrita , & e vetere vino imposita etiam boam sanant id est rubentes papulas* . Itaque *boæ* sunt , ut optime vidit Vossius , quæ Græcis ἐξανθήματα . Dicta vult Vossius inde , nimirum quia *corpus turgeat , haud secus ac illis evenit , qui a* boa *icti sunt* . In suæ caussæ patrocinium pertrahere conatur

Fe-

Festum contendens idem sensisse. At, id venisse in mentem Festo haud ratum videtur: ait enim: *Boa serpens est aquatilis, quem græci ὕδρον vocant, a qua icti obturgescunt. Crurum quoque tumor viæ labore collectus boa appellatur.* Unde etiam docemur crurum tumorem viæ labore collectum *boæ* nomine quoque donari. Profecto hanc vocem notasse antiquitus quidquid tumet, in propatulo esse reor. Idque firmare ex origine germana ex Oriente petita facile quis potis erit. Hinc Hebræis vox בעה *baa* est *bullavit, bullas excitavit;* unde geminata lexi oritur אבעבעות *ababuot bullæ, pustulæ.* Heic autem haud abs re arbitror loqui de voce *bubo*. *Bubo vocatur* inguinis morbus *a Græco βυβὼν, quo tum* inguen, *tum* tumor inguinis *denotatur: nempe a βῦ particula ἐπιτατικῇ, & βάω, seu βαίνω, id est*, eo: *quia μεγάλως βαίνει εἰς οἴδημα.* Hæc Vossius qui ad Grammaticorum institutum vocem græcam ex ipsis vocabulis græcis compositam venditat, uti modo vidimus. Hic minime ferendus Vossius, miserandi vero Grammatici, qui propter inscitiam Orientis linguarum nullum aliud etymon obtrudere possunt, nisi ab ipsis latinis vocibus factum, uti sat sapienter monuit doctissimus Mazochius, ab ipsis vero vocabulis græcis si de vocibus græcanicis agatur. Porro factum ex Hebræo בעה *baa bullas excitavit*, unde geminata voce אבעבעות *ababuot*, quod exponuntur *bullæ, pustulæ.*

CAPUT II.

LAmyrus, πτυὰς, salamandra, saurus, seps, crocodilus, κίκερος, balleccara *ab Hebræis orta. Σοῦχος vox Ægyptia. Ejus origo.* Νεφώθ. *Vulgaris Epiphanii lectio non rejicienda. Notatur Bochartus. Unde oritur ista vox. Campsæ χάμψαι a* צב, *unde fortean σοῦβος.* Stellio *a* זחל. *Nepa a* נפש. Sar *secundum Servium* piscis *lingua tyria, sive punica. Vindicatur contra Bochartum. Fit a* שרץ. *Unde* sarda, τρίγλη, tursio, sturio, σαθέριον, salar. Attilus, tinca, alec, ἰχθὺς, channe, clura, βάτραχος, vulpes, ἀλώπηξ, ἰξουανὸν, κηλος, ἔλμινς, ῥόμοξ *ab Hebræo fonte derivata.*

LAmyrus genus lacerti, de quo adi Plinium l. XXXII. c. 11. videtur dictum ab רמש *ramas raptavit*, unde Gen. I. רמש *rames* est *omne reptile*, R priore in L versa; unde ἀμέσως Italice vox *ramarro*. Πτυὰς genus aspidis venit a פתן idem. Frustra ducitur a πτύω *spuo*. *Salamandra* est animal lacerti figura, numquam nisi magnis imbribus proveniens. Itaque omni jure descendit ex זחל *soal reptile, serpens* & מטר *matar pluvia*. *Saurus* gr. σαῦρος *lacerta, lacertus* apud Vossium in voce *saura* ducitur a זרוע *zeroah brachium ob similitudinem*. Sed secus res se habet. Atque imprimis σαῦρος, σαῦρα designat non modo ἑρπετὸν *reptile*, uti exponitur in Glossis Cyr. verum etiam *piscem;* quin imo σαῦρα est *avis quædam*, latinis *saurix*, seu *sorix*. His itaque

que jactis fundamentis erit facile ejus natales investigare. Est autem ab Hebræo שרץ *ferez*, quod notat *reptile* non modo *terrestre*, ut *serpens*, *lacertus*, sed etiam *aquatile*, *natatile*, & *volatile*. Quæ quidem inter se amice conjurant. *Seps* genus serpentis, seu lacertæ tabificæ, fortasse dictum ab Hebræo צפע *sepa* genus serpentis venenatissimi, sive sit aspis, sive vipera, sive regulus; ignota enim vera vocis notio: at facile Orientalis vox erit idem, ac græca σήψ. *Crocodilus:* de hac vocis origine ita Vossius: *Quæ de etymo* crocodili *refert Eustathius eo reselluntur, quod Herodotus l. II. tradit, quod Græcis aliis est σαῦρος, hoc est* lacerta, *id Jonibus vocari κροκόδειλον, atque Ægypti animal, quod illis* Campsas, *Jones vocasse κροκόδειλον, quia esset κροκοδείλῳ suo, hoc est*, lacertæ *simile. Verba Herodoti sunt:* Κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γενομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. *Nimirum, ut Romani* elephantum *vocarunt nomine* bovis, *quod animal noverant: sic Jones* crocodilum *Ægyptium nomine animalis sibi noti donarunt*. Hactenus Auctor. Neque aliam viam ineundam reor. Profecto factum ex כר *car*, littera C alternante, & זחל *zoal*, & Chaldaice רחל *doal:* כר est *princeps*, *dux*, *aries*, unde כרכרת *cameli*, *veredarii;* זחל *serpens*, *reptile;* quasi dices *principem reptilium*. Ex eodem כר geminata priore littera forsitan venit κίκερος, quod secundum Hesychium est *terrestris crocodilus;* ex ipso כר, & בער *brutum* ortum videtur *balleccára*. Σοῦχος. Strabo l. XVII. de Urbe Arsinoe: Κροκοδείλων δὲ πόλις ἐκαλεῖτο πρότερον. σφόδρα γάρ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ τιμῶσι τὸν κροκόδειλον. καὶ ἔστιν ἱερὸς παρ᾽ αὐτοῖς ἐν λίμνῃ καθ᾽ αὐτὸν τρεφόμενος, χειροήθης τοῖς ἱερεῦσι, καλεῖται δὲ Σοῦχος: *Crocodilorum Urbs primo vocabatur. In illo enim* Nomo *crocodilum plurimum colunt, & est sacer apud eos, in lacu quodam seorsum nutritus, Sacerdotibus mansuetus, &* suchus *appellatur*. Damascius apud Photium: ὁ ἱπποπόταμος ἄδικον ζῶον &c. ὁ Σοῦχος δίκαιος, ὄνομα δὲ κροκοδείλου καὶ εἶδος ὁ Σοῦχος. *Hippopotamus injustum animal &c. sed* suchus *justus est. Est autem suchus crocodili nomen, & species. Durat hodieque nomen*, addit Bochartus Hierozoici tom. III. c. 795. *Nam crocodilus Coptice* σοῦχι suchi *vocatur, quasi* κολυμβήτην *dixeris id est* natatorem, *seu* urinatorem. *Hebræis enim* שחה, *Talmudicis* סוח, *Arabibus* suach *est natare, vel urinari. Nomen ab argumento inditum. Quippe in Arsinoite Nomo Crocodilopolitani crocodilum quemdam sic appellabant a se certis ritibus consecratum, & cultum in crocodili illius memoriam, qui Menam regem insequentium canum metu in Mœridem lacum ruentem dorso exceptum trajecit in ulteriorem ripam. Merito igitur suchus, seu* κολυμβήτης *dictus est, qui in servando rege tam egregium natatorem se præstitit*. Hactenus Samuel Bochartus.

Heic tamen consistere juvat, & monere perperam ἄδικος, & δίκαιος heic apud Damascium verti. Etenim *injustum*, & *justum* haud significare potest; quandoquidem in bruta animalia *justitia*, vel *injustitia* cadere nequit. Ceterum metaphoricως, atque hac ratione id locum habere posset, quia ut ait Tullius de Off. 7. *Justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat*. Quare δίκαιος potius *mansuetus*, *innocens*, ἄκακος, *familiaris*, *domesticus* reddendum. Porro δίκαιος est ab δίκη, quod sæpe significat *morem*, *consuetudinem*,

nem, *similitudinem* adverbii loco. Hesychius habet: Δίκαια ἔννομα. Δίκαιον, εὔλογον, ἴσον, ὅμοιον παρὰ ἱπποκράτει. Nec non δίκαιος in Sacris litteris tum novi, tum veteris Instrumenti sæpissime sumitur pro *miti*, *leni*, *misericordi*, *mansueto*, & δικαιοσύνη pro *misericordia*, *bonitate*, quæ χρηστότης audit. Hinc Ps. L. 16. *Libera me de sanguinibus*, *& exultabit lingua mea justitiam tuam*. Ps.CXLII. I. *Exaudi me in tua justitia*. Ps.CIII. 17. *Faciens justitias Dominus*. LXX habent; ἐλεημοσύνας, & Vulgatus: *Misericordias*. Paullus ad Rom. ep.III. 25. de Christo habet: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguinem ipsius ad ostensionem justitiæ suæ*. Quin sæpe Heb. צדקה ἔλεος LXX vertere. Et Ecclesiastes VII. 17. *Noli esse justus multum*. S. Joannes ep. I. c. 2. *Advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum*. Neque hæc significatio *justi*, & & *justitiæ* nempe pro *leni*, *miti*, *clementi*, & *lenitate*, *clementia* apud Latinos desideratur. Nam hoc significatu *justus* occurrit apud Terent. Andr. I. 19. *Ut semper tibi apud me justa*, *& clemens fuerit servitus*. Quod vero attinet ad vocem *justitiam*, eadem significatione exstat apud eumdem Heaut. IV. I. 33. *Nunc te obsecro*, *quanto tuus est animus natu gravior*, *ignoscentior*, *ut meæ stultitiæ in justitia tua*, *sit aliquid præsidii*. Tull. pro Marcello conjungit *justitiam*, & *lenitatem*. Nepos in Aristide cap. II. eodem sensu utitur. His vero, quæ hactenus adstruximus, adde quæ apud Matthæum cap. I. Critici Sacri expenderunt. Demum quod rem confirmat, est quod חסד *benignitas*, *beneficium*, *misericordia*, *&* חסיד *benignus*, *misericors*, *sanctus* sæpe LXX δικαιοσύνην, & δίκαιον transtulerint. Ut itaque ad rem propius accedamus, monere operæ pretium est, Strabonem vocare *Suchum* χειροήθης, Damascium vero δίκαιος. Quare unum idemque significent, necesse est: eo potissimum quod χειροήθης ad litteram *mansuetus* designatur; quæ sane verissima esse nullus dubitabit. Sed tempus postulat, ut ad originem properemus. At de origine vocis dissentiam oportet. Etenim puto dictum a זחל *sochal reptile*, *serpens*. Heic recoquas, quæ modo in crocodilo dictum habui.

Νεφὼθ. *Crocodilos* nephot *ab Ægyptiis vocitari nonnulli tradunt*. *Epiphanius de vitis Prophetarum in Jeremia:* τῶν ὑδάτων θῆρες οὓς καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι Νεφὼθ. Ἕλληνες τοὺς κροκοδείλους. *Alii scribunt* Menephot. *Pseudo-Dorotheus in Synopsi:* Cum a bestiis aquaticis turbarentur, quas Ægyptii *Menephoth*, Græci vero crocodilos vocant. *Atque id puto rectius: sic enim a* Memphi *dici videntur*, *quæ Arabibus est* Menph, *vel* Meneph. *Itaque* Menephoth, *id est* Memphitæ. *Et* Memphitæ, *id est* Ægyptii, *quia* Ægypti *metropolis erat* Memphis. Hæc idem Bochartus. At veriorem reor vulgarem lectionem Epiphanii, atque scriptionem, quippe melius callere poterat res Ægyptiacas. Id firmatur magis, magisque ab origine hebraica, quam mox præstiturus sum. Etenim videtur factum ἀμέσως ab נפלים *nephilim gigantes*, atque etiam *crocodili*. *Nam Gigantum nomine* (ait Bochartus ipse in Hieroz. Tom. I. c. 1057. ad quæ si attendisset, haud illam originem, & lectionem obtrudisset) *Orientales non solum homines significant*, *sed & bruta quævis majoris molis*. *Sic Scriptor Arabs apud Damirem*: In locusta natura est decem

Gi-

Gigantum ex animalibus ; *ita habetur ad verbum :* id eſt decem majorum animalium . *Nempe ut ſequitur* , locuſta habet equi faciem , oculos elephanti, collum tauri, cornua cervi &c. *Eodem exemplo* ſcincus *ab Hebræis dicitur* בן נפילים Gigantum filius *id eſt* Crocodilorum , *quia ex majoris Crocodili ſemine naſci creditur* , *quibus collatus nihil quidquam eſt* , *quam perpuſillum animal*.. Hæc memoratus Auctor . Itaque ſi Orientali loquendi τρόπῳ נפילים *nephilim crocodili* intelligendi , nihil eſt , quod *menephot* legens profectum putet ex *Memphi* Urbe , atque ad ſacram anchoram fugiat , dum νεφώθ recta deſcendit ex Hebræo נפלים *nephilim* hoc diſcrimine , quod νεφωθ Ægyptiacum fœmineam poſitionem præſefert , *nephilim* vero Hebraicum maſculinam. Quod attinet ad Pſeudo-Dorotheum , qui *Menephoth* ſcribit , repono , quod etiamſi ejus ſcriptionem tuearis , tamen cum τὸ מ ſit formativum , nihil impedit , quominus ab eodem Hebraico fonte ducere ſis potis . Nam ab ipſo נפל eſt מפלה מ præpoſito . Atque hæc veriora impendio ſunt , quam quæ Bochartus venditat . Χάμψαι. Herodotus l. II. Καλέονται δὲ ὀ κροκόδειλοι; ἀλλὰ χάμψαι ; *Crocodili autem* (ab Ægyptiis) *non vocantur* , *ſed Champſæ* . *Imo alludit Arabicum thamſach*, *vel thimſach* . *Nam* θ , & χ *ſunt permutabiles* , *ut in* ὄρνιχες *pro* ὄρνιθες ; addit Bochartus Hieroz. Tom. III. c. 795. Profecto tum arabicum *thamſach* , tum Ægyptiacum χάμψαι videntur fluxiſſe ab archetypo fonte hebræo nempe צב *tzab* , & alternate צ *tzade tzabſæ* ; nam צ in arabica voce functa eſt vicibus τῦ *th* , in Ægyptiaca vero τῦ χ *ch* ; ſane צ medium inter *T*, & *C* : צב *tzab* vero eſſe crocodilum ſatis , ſuperque oſtenſum arbitror a Bocharto Hieroz. T. I. c. 1059. Denique ab ipſo צב *tzab*, quod exponitur *crocodilus* a Cl. Bocharto, forte dictus Σῦβος animal quoddam terreſtre , ſed & marinis infeſtum . Oppian. l. II. de venatione . *Stellio* haud diſſimilis lacertæ dictus a זחל *zoal reptile* , *ſerpens* . *Nepa* ſive *ſcorpium* , ſive *cancrum* notat : vox Africa eſt teſte Feſto , ubi ait : *Nepa Afrorum lingua ſidus* , *quod dicitur noſtris cancer* ; *vel ut quidam volunt* , *ſcorpius* . Porro videtur dictum ab Orientali נפש *nepes anima* , *corpus animatum* .

Ut verba fecimus de ἑρπετοῖς, nunc reſtat, ut διὰ βραχέων de quorumdam piſcium nominibus diſſeramus. Primo mihi arridet loqui de *ſar*, cujus meminit Servius in lib.IV. Georg. ubi ait: *Quæ nunc* Tyrus *dicitur*, *olim* Sarra *vocabatur a* piſce *quodam*, *qui illic abundat* , *quem lingua ſua* ſar *appellant*. Samuel Bochartus in Geogr. Sac. c. 735. ait : *Virgilii vetus Scholiaſtes ſcholiis ſuis Punicæ quædam interſpergit* , *ſed pleraque peſſimæ notæ* . *Tale illud in IV. lib. Georg. Quæ nunc &c.* (quæ verba ſupra citavimus) *Verum quidem eſt Romanos veteres* pro Tyro *dixiſse* Sarram . *Ita in Gellio legitur* , *& in Feſto* , *& in Paulo : & in fragmentis Ennii* Pœnos Sarra oriundos . *Unde eſt quod pro* Tyrio *Poeta dixit* Sarranum oſtrum ; & *Juvenalis* Sarrana aulæa ; *Et Silius* l. VI. Sarranam Junonem, *&* Sarranam cædem . . . . *Sed* piſcis ſar , *unde* Sarra , *ſiquidem Servio fides* , *non extat ullibi gentium* . Verum non mihi videtur dignus Servius , in quem aliqua dica impingatur : nam licet piſcis *ſar* minime gentium exſtet , neque ejus mentio apud alios

ſcriptores habeatur, attamen hanc vocem veram, & genuinam reor. Dein non adeo cerebroſus eſſe potuit, ut iſtud vocabulum finxerit, ſed potius ab aliis acceptum tradiderit. Id magis, magiſque ſuadet Hebræa, ſeu Orientalis vox שרץ *ſaratz repere*, *reptare*, & שרץ *ſeretz reptile aquatile*, *natatile*, *& amphibium*, unde decurtatum *ſar*. Ab ipſo שרץ fluxit *ſarda*, atque etiam inde fit τρίγλη, *turſio*, *ſturio*; σαθέριον eandem originem forte habet, eo quod eſt animal quadrupes ex mari victum quærens. *Salar* venit ab eodem שרץ. *Attilus* piſcis, ait Plinius l. IX. c. 15. *in Pado inertia pingueſcens ad mille aliquando libras*. Videtur dictus ab התנין *attanin cetus*, *piſcis magnus*. *Tinca fluviatilis*, & *paluſtris piſcis* dictus a דג *dag piſcis D* in *T*, & *G* in *C* abeuntibus. *Alec* factum ab הדג *adag* item *piſcis D* in L verſa, quod uſitatum eſt; unde per metatheſin etiam ἰχθύς ortum ducit.

Channe genus piſcis a תנין *thanin balæna*, & *piſces prægrandes*, verſa *th* in *ch*, uti ſæpe numero accidit. Hinc quæ ceteri Græcorum ὄρνιθας, eas Siculi, & Tarentini ὄρνιχας dixere; quæ item prius *Carthada*, ea Καρχήδων. De hoc piſce ita Plin. l. XXXII. cap. ult. *Præter hæc inſignia piſcium tradit* (ſcilicet Ovidius) *channem ex ſeipſa concipere*. Sane nomen eſſe Orientale patet ex eodem Plinio, qui citato capite paulo ante dixit: *His adjiciemus apud Ovidium poſita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur; ſed fortaſſis in Ponto naſcuntur, ubi id volumen ſupremis ſuis temporibus inchoavit*.

Clura eſt πίθηκος, *ut exponitur in Gloſſis Philoxeni*. *Iſidorus* l. XII. c. 2. *ait*, Cluram *dici* ſimiam, quæ caudam habet. *Sic enim ibi legendum*. *In MS. meo eſt* cruram *unius litteræ errore*. *Sed errat*, *quod putat*, *ſic vocari* caudatam. *Contra enim ſic vocatur*, *quæ* cauda caret, nateſque habet apertas: *ut* κερκοπίθηκος, quæ caudam habet. *Nomen* κατὰ συγκοπὴν *factum ex* κόλουρα *hoc eſt* cauda carens. *Nam* οὐρὰ *cauda*; κόλος, *&* κολοβὸς, mutilus, truncus: *unde* κόλουρος, & κολόβουρος, cauda defectus. *Ex* colura *vero eſt* clura; *ut a* γένος genus; a βάλανος, *ſeu* γάλανος glans; *& trecentis id genus*. *Feſtus tamen*, *ſi Paulo credimus*, *pro* clura *dicendum putavit* cluna. *Sic enim ſcribit:* Clunas ſimias a clunibus tritis dictas exiſtimant. *Sed fortaſſe* cluras *ſcripſerat Feſtus vel Verrius*. *A* clura *eſt* clurinus; *Plautus*, *Truculento II. II.*

. . . . *Tu vero clurinum pecus*
Adveniſti huc nos tentatum cum exornatis oſſibus.

Ita in vett. fuiſſe libris indicant Anſelmi epiphyllides . . . . . . *Eſt & in vett. libris III.* Nam quid in homine pulcrum eſt? quid quæſo admirabile vel decorum, niſi quod & clurino cum pecore neſcio quis auctor voluit eſſe commune? *Errant qui* aelurino *ſubſtituunt*, *quod eſſet* felino, *ab* αἴλουρος. *Nam omnino rectum eſt* clurinum. Hæc ferme Voſſius. Verum iſta vox *clura* eſt originis Orientis; nimirum ab חרום *carum ſimus*, unde & ἄρμοι, *R* in *L* mutata. Quomodo vero ex חרום venit vox ἄρμοι, conſule Bochartum p. 585. & p. 592. Βάτραχος *rana* ab צפרדע *tzapardeac* idem צ abſciſſa, פ in *B* affinem verſa, ד in *T*, ע in *G* & metatheſi facta. *Vulpes* gr. ἀλώπηξ dictum ab אלוף *alup*, ſeu *alop doctor*, *dux* ex אלף *illep diſcere fecit*, *docuit*,

non

non alia de causa, nisi ob astutiam, & calliditatem. Necnon ἐξυανὸν dicitur apud Græcos; videtur itaque factum ab השעל *escioal* idem *scin*, seu *C* & *S* in ξ, & ל in *N* abeuntibus. Κτίλος *aries*, seu ἀκτίλος factum ab עתוד *attud*, seu *catud* (*D* in *L* versa,) idem. Ἕλμινς *vermis* vel ab חרמה *erima* idem, vel ab חרמש *reptile omne*. Ab ipso רמה *vermis* venit ῥόμοξ *vermis ligna exedens*.

EXERCITATIO XIV.

CAPUT UNICUM.

ARgilla. *Grammaticis, & Vossio occurritur. Fons erroris aperitur.* Urium, cæmentum, ἰλὺς, ἄραμα, βακίας, τύντλος, ἄσις, limus, cœnum, κοινὸς, ὄνθος, σπυρὰς, lix, tophus *ab Hebræo solo fruticant*. Pix, zopissa, sapium, ebal, unio, smaragdus *ab Oriente sunt: quid de hujus vocis origine Calmetus scripserit, & Mazochius*. Adamas, sory, δεμαὶ, στίλη, στία, æs, aurum, χρυσὸς, cassiteron, cuprum, γρὺ, raudusculum, rudis, nummus, palacra, ἄφενος, balux, arrugia, stannum, stibium, humus *ab Hebræis manarunt*.

ARgilla terra cretosa esse vulgo perhibetur. De hujus origine ita Vossius. *Argilla ab ἄργιλος, sive ἄργιλλος, ut apud Hesychium ea vox scribitur. Ἄργιλος dicta videtur ab ἀργὸς, qua* album *notat: ut proprie notet* λευκάργιλον, *de qua sic Plinius lib. XVII. cap. VII.* Leucargillon vocant candidam argillam; qua in Megarico agro utuntur. *Nisi verisimile magis, sic dici ab ἀργὸς, qua* inertem, *ac* desidem *notat: nempe quia terra istiusmodi infœcunda est*. Hæc Vossius. At id omnino falsum, ac pessume ἄργιλος, atque *argilla* exponitur apud Lexicographos *terra alba, & pura*. Etenim si veritatis notam id præseferret, false λευκάργιλλον dictum esset apud Græcos, atque supervacaneum addere τὸ λευκὸν voci ἄργιλλον; de qua voce Plinius l. XVII. c. VII. uti modo vidimus. Hinc λῆροι λήρων, atque fabulæ: dum ipse Vossius subdidit; *nisi verisimile magis sic dici ab ἀργὸς, qua* inertem, desidem *notat*. Ut ad rem propius accedamus, rem ita ordior. *Argilla*, seu primitivum *arga κυρίως* prius designavit omnem *terram*, postea *terram cretosam*. Id suadet origo Chaldaica ab ארקה *arga terra*. Heic παρέργως te monitum volo, sæpe Grammaticis sua falsa etyma imposuisse; Hinc in præsenti talia effutiere, eo quód ἄργιλος ex ἀργὸς *albus* derivant. Ἰλὺς *lutum* factum ab Orientali יון *iaven* idem, *N* in *L* abeunte. Ἄραμα *lutum, cœnum*, βόρβορος apud Hesychium. Per metathesin venit ab חמרה *amara -lutosum esse*, unde חומר *omer lutum*. Τύντλος *lutum* factum a טין Chaldaico *lutum*, geminata

voce; unde τῦρτνος, & dein τύρτλος. Ἄσις *limus*, *cœnum* venit ab הצא *ase sordes*, *excrementum*, *stercus*. *Limus* fortasse rectius ducitur a דמן *domen fimus*, *D* in *L* conversa. Verum ἄσις rectius fit ab Syriaco הסין *asin* idem. Hinc apud Syros *Sin*, quod Græci Pelusium a πηλὸς *lutum* nuncuparunt. Ὄνθος *stercus* venit ab הצא *atthe* idem, soluto *Daghesc* forte in *N* more Chaldaico. Σπυρὰς, & σπύραθος exponitur *stercus caprinus*. Sed cum Hesychius etiam *fimum avillum* significare tradat, opinor primitus designasse omnem *fimum*. Id innititur origini Orientali; nam venit ab Hebræo פרש *peres* dumtaxat *S* addita ab initio. Quod solemne esse apud Latinos, & Græcos ad nauseam docet Vossius in de permut. litt.

Urion quid significat, docet Plinius l. XXXIII. c. 4. *Alibi rupes inviæ cæduntur, sedemque trabibus cavatæ præbere coguntur. Is qui cædit, funibus pendet, ut procul intuentibus species nefaria quidem, sed alitum fiat. Pendentes majore ex parte librant, & lineas itineri præfigunt. Itaque insistentis vestigiis hominis locus non est. Manes trahuntur ad homines, ut vitium importent. Id genus terræ urion vocant. Ergo per silices, calculosque ducuntur, & urium evitant.* Sane *urion*, seu *urium* venit ab Orientali ארעה *ara terra;* quandoquidem terræ genus audit. Hinc falsitatis arguitur origo ab ὄρος, seu οὖρος *mons*. Etenim aliud est *mons*, aliud *terra*. *Cæmentum* vulgo ducitur a *cædo* apud Vossium. Sed fortasse verosimilius venit a חמר *comer*, seu *cemar*, quod *cæmentum* omni jure aliquando valet, *R* in *N* versa, atque *T* addita, quippe quæ hehemantica est. *Cænum* derivatur a κοινὸν *non qua commune*, ait Vossius, *sed qua* μεταληπτικῶς *notat* sordidum, *quomodo Marcus Evangelista cap. VII. ait* κοιναῖς χερσὶν *hoc est* immundis, illotis. *Confirmat hanc originem, quod a* κοινόω, *qua notat* polluere, *seu* contaminare *venit verbum* cunire: *quod Festus interpretatur* stercus facere. Hæc ille. Sed antequam originem *cœni* dabimus, heic prætereuntibus monendum *cunire*, haud descendere a κοινόω, sed potius ab Orientali voce חור *cor*, & postea *cur stercus*, tantum *R* in *N* abeunte. *Cœnum* itaque venit ab Chaldæo טין *thin*, seu *tina lutum*, *cœnum*, *th* in *C* versa; quod noli mirari; etenim Siculi, & Tarentini ὄρνιχας dixere ὄρνιθας, quæ Afris *Carthada* קרת חרשה scilicet *nova urbs*, ea Siculis Καρχάδω, atque aliis Græcis Καρχηδὼν; Dores: ὅκα pro ὅτε, πόκα pro ποτὲ, ἄλλοκα pro ἄλλοτε, πόκα pro πότε, atque id genus sexcenta: Κοινὸς *communis*, & *profanus* fit ab Hebræo חול *col communis*, & *profanus* ex חלל *cilel profanare;* tantum *L* versa in *N*. *Lix*. *Elixum*, *quidquid ex aqua mollitur, vel dequoquitur. Nam lixam aquam esse veteres dixerunt: unde & lixæ dicti: qui militibus aquam ad castra, vel ad tentoria solent ferre:* Nonius. Quod damnat Vossius, ubi ait: *Sed* aqua, *puto*, *non* lixa, *verum* lix *dicebatur*, *unde* lixæ *appellantur calones*. *Alii voce* lix *significari putant* cinerem. *Plin. l.XXXVI. cap. ult.* Est & ipsis ignibus medica vis. Pestilentiæ, quæ solis obscuratione contrahitur, ignis suffitu multiformiter auxiliari certum est. Empedocles, & Hippocrates id monstravere diversis locis. Ad convulsa viscera, aut contusa, ut M. Varro auctor est. Ipsis enim verbis ejus utar: lix cinis est, inquit, foci. Inde enim cinis lixi-

xivus potus medetur, ut licet videre, gladiatores cum deluserint hac juvari potione. Prosequitur Vossius: *Contra hanc Varronis sententiam illud objecto, quod* silix *esset* cinis, *jam non diceremus* cinerem lixivum. *Deinde non a* cinere; *sed ab* aqua *appellationem sortitæ* lixulæ, *&* semilixulæ, *circuli ex farina, caseo, & aqua, ut ait Varro l. IV. de L. L. Iccirco statuo voce* lix, aquam *vocari, indeque* cinerem *dici* lixivum, *qui* aqua *est* percolatus, *quomodo cibus dicitur* elixus, *qui in* aqua *est* coctus. Hactenus Vossius. Verum quantumvis obstrepat ipse, haud me dimovere, atque deterrere a sententia Varronis potis erit; potissimum cum Plinius illius vestigiis pede presso insistit. Quis enim melius hujusce vocis significationem tenere poterit? Adde quod origo, quam mox præstabimus, idem firmare videtur. Porro *lix* factum dubio procul ab Hebræo רשן *descen cinis*, seu *discen*, *D* in *L* de more versa, atque *sc* in *X*, quod haud insolens esse ab aliis satis, superque demonstratum. Denique nihil conficit inde Vossius, nimirum quod dicitur *cinis lixivus*, nam fieri potuit multiplici nomine, & fortasse ἐξηγητικῶς. *Tophus* Græce τόφος, seu πῶρος, exponitur *lapis cavernosus*, & *scaber*, qui facile in arenam resolvitur. Haud inepte duci potest ab Hebraico תפל *tapel*, quod redditur *cæmentum inconditum* apud quosdam interpretes, seu *lutum*. Adde quod Arabibus *tapha* exponitur *creta*, *cimolia*. *Pix a* πίσσα, σ *in X mutato, quod non raro fit. Priscianus l. I. cap. de litterarum numero, & permutatione: S* transit in *X*, Aiax pro Aias, & pistrix pro πίστρις, in quo sequimur Dores. Illi enim ὄρνιξ pro ὄρνις. Πίσσα *vero, quæ aliter* πίττα, *a* πίτυς pinus. *A* pix *est* piceus, *&* piceatus. Hæc de vocis origine Vossius. Sed somnia. Nam πίττα *pix* procul dubio recta petitur ex זפת *zepet* idem, truncata *Z*, quod haud novum reor. *Zopissa* est *pix navibus abrasa*; de qua ita Plinius l. XVI. c. XII. *Non omittendum, apud eosdem zopissam vocari derasam navibus maritimis picem cum cera &c.* Videtur quibusdam dicta quasi ζώπισσα a ξέω *abrado*. Sed falluntur. Etenim ἀμέσως *zopissa* ζώπιττα oritur a זפת *zepet* idem. *Sapium* sive sit genus *picis*, seu arboris, quæ inter piceas refertur, quadere adi Vossium in voce *Sapinus*, dictum ab ipsa voce זפת *zepet pix*. Unde etiam sanius puto venire *sapinum*, quam a ספינה *navis*.

Ebal vox barbara, quæ *acervum lapidum* notat, uti Du-Cangius explicat, venire videtur ab אבל *abel*, & אבן *eben lapis*, & *massa alicujus rei*. Βακίας *cœnum* Tarentinis venit ab Hebræo בצה *biza*, seu *boz* idem *Z* in *C* de more versa. *Gleba* ducitur apud Vossium a κόλαβος, vel βῶλος, sed frustra. Nam *gleba* fruticat a גרף *garap convolvit*, unde מגרפה *megrapa gleba*, *M* utpote quod heemanticum est, abscisso, & *R* & *P* in *L*, & *B* affinem conversis. *Unio* est *margarita*. Unde fluxit, haud recte extricare quis valuit. Verum vox ista phœnicia audit, atque proficiscitur ab אבן *even lapis*, seu אבנא. *Smaragdus Græce* σμάραγδος, *&* μάραγδος *sine* σ, *quo Menander utitur apud Athen. l. III. Nempe ut dicitur* σμαράσσω, *&* μαράσσω luceo, splendeo: *ab illo est* σμάραγδος, *ab hoc* μάραγδος . . . . *Aliquis existimet* σμάραγδος *esse ab Arabico* זמרגד, *quod idem notat. Sed contra*

vo-

vocem eam Arabes accepere a Græcis . Ita Vossius . Falsa & inepta origo ἀπὸ τῦ σμαράσσω , & μαράσσω *splendeo* , *luceo* . Contra verum est haud esse ab Arabica voce זמרגד ; quandoquidem vocem illam Arabes nuperi ab Græcis acceperunt . At contra Vossium ita in medium prosilit Mazochius . *Smaragdus* , *&* Σμάραγδος *est totidem litteris Chaldaicum* זמרד zemargad : *qua voce passim Orientis populi utuntur . Ac Vossius quidem recte vetat* Smaragdi *vocem ab Arabibus arcessi* , *qui ea utuntur : at rationem haud probo* , *quia inquit :* vocem eam Arabes accepere a Græcis . *Quid a Græcis Arabes mutuarentur eam vocem* , *quæ non modo apud hos* , *sed & apud Chaldæos* , *& Syros*, *& Samaritanos in usu reperiatur ? Verum si de proprietate vocabuli quæritur* , *ajo Chaldaici peculii fuisse* , *quia in Targumim non semel reperitur* , *quæ solis Scripturis antiquitate cedunt* , *Syrorum vero* , *Arabum* , *& ceterorum scriptis non item* . Hæc Mazochius sua ἀκρίβεια sat notus , ast mihi videtur causam fovere infirmam , atque deploratam , iccirco judicio Eruditorum procul dubio causa cadere reor . Nam non est quod Targumim tantam antiquitatem jactet , dein Græcanicis vocibus refertum , quod ab viris eruditis late animadversum . Denique restat , ut in scenam Calmetus prodeat . Is autem in Geneseως cap. II. v. 12. ita *smaragdi* originem texere haud dubitat ; ubi de lapide שהם *schoam* disserit: *Ego ad smaragdum inclinarem ; nomen enim* sohem, *vel* soham *smaragdi nomen componit ; potest enim derivari postremum illud ex* Soham-raguah שהם רגוע sohem dolatum . In hunc modum Calmetus disseruit . At ipse Auctor in Exod. cap. XXVIII. resipiscens suam sententiam sic in melius vertit : *Hebræum* baraket *est* , *juxta nominis etymologiam* , rutilare , fulgur emittere , *quod smaragdo congruit gemmæ*, *si quæ alia*, *fulgentissimæ* . *Imo & smaragdi nomen commode ex* baraket *derivatur* , *B in M* , *& T in D transformatis* , *additoque S in principio* , *tamquam aspiratione* . Sic rem conficit ille . Verum si veritati studemus , haud addendum est *S* in principio ; nam κυρίως prius fuit μάραγδος , dein σμάραγδος . Itaque ἀμέσως μάραγδος , quod est primigenium , constat ex ברקת *baraket* . Hinc quoque Græcis sæpe numero in more positum adjicere *S* ab initio , ita σφάκελος , & φάκελος , σφάκελλος , & proprie φάκελλος *fascis*, *fasciculus* & secundum Suidam *capitis gestamen* . Id sane verum esse patet , quod φάκελλος derivatum ex Hebræo פתיל *phathil filum* , *funiculus* , *vitta* , *sudarium* , *fascia* ex פתל *contorqueri* , tantum ת in C versa . *Adamas* forte est ipsum Orientale אדם *odem* , quod & in mentem venit Braunio . *Sory* genus lapidis , de quo adisis Plinium l. XXXIV. c. 12. dictum ab Hebræo צור *sor lapis acutus* , *rupes* . Θριαὶ *calculi sortilegorum* , & θρῖοι *rudentes* , *funes nautici* descendunt ab Hebræo fonte nimirum , unum ab צרור *teror calculus* , *lapillus* , alterum ex צרר *ligavit* , unde צרור *fasciculus* . Στήλη exponitur lapis e terra exstans qui vel munitionis gratia , vel in signum erectus , videtur derivatum ex צור *stur* (*R* in *L* versa) *rupes* , *lapis acutus* . Στία *lapillus* , *calculus* vel decurtatum ab צרור *steror* idem , vel per metathesin ab חצץ *atzaz* idem .

Æs , *unde dicatur* , *minus evidens est* . *Forte ab Hebræo* אש esch *id est* ignis , *ob splendorem* . *Unde* micantia æra , *&* Ære renidenti , *dixit Maro* .

Alium-

Aliunde tamen sit , si prius in recto fuit æris : *quomodo* as *dicitur pro veteri* assis , *unde* decussis *&c. Nempe æri nomen fuerit vel ab* ארץ eretz terra , *quia* effodiuntur opes , *ut Naso l. Metam. ait : vel potius* æris *fit ab* æsis ; *quomodo* ara *prius fuit* asa ; lares *item ex* lases , arena , *prius* asena , carmen *ex* casmen : *& ita in sexcentis* . Æsis *autem forte ex* αἶσα , *quod est* μοῖρα portio : *nempe quia eo effosso illud divideretur inter illos , qui reperissent . Aut ab* αἴσιμον , *quod Hesychius exponit* ἀγαθὸν , συμφέρον *nempe ob insignem æris usum . Vel potius fit ab* αἴσις *& ita dicatur a* splendore , *ut verbale sit ab* αἴθω , *quod non tantum* ardeo , *sed &* splendeo *signat ; proque hac sententia impense facit , quod poeta ab eodem* αἴθω *dixit* αἴθοπα χαλκὸν æs splendidum , *ac coruscum instar ignis . Sane absurda hæc non sunt . Sed vide quanto simplicius sit , si dicamus , esse ab* ἄρης . *Unde antiquus rectus* aires , *&* κατὰ συγκοπὴν æs , *ut a* plebes plebs . *Nec obstat , quod* ἄρης *non* æs , *sed* ferrum *videatur notare . Nam pro* ferro *accipi cœpit , postquam* ferrea *arma in usu esse cœpere* . Hactenus Vossius . At pace tanti viri dicam, allucinatus ob etymorum farraginem , eo quod haud assecutus veriloquium . Nam *æs* ab Oriente peti oportet , nimirum ab ipsissima voce Chaldaica נחש *neas æs* ipsum , *N* abscissa , ut verbis *Pe-Nun* usuvenire sollemne est . *Aurum* , si auscultare Grammaticos in animo est , ab diversis fontibus venit . At meo judicio nullum etymon ab ipsis productum facit satis . Nam *aurum* est ipsum Hebraicum חרוץ *arutz* nempe *aurum* , unde & χρυσὸς, quod idem est, venit. Hinc haud opus , ut repetamus ab Hebræo אור *lux ;* quandoquidem rei veritatem jam assecuti sumus . *Cassiteron* κασσίτερος *stannum* forte descendit a נחשת *nacoset* , unde per metathesin *cassitenon* , posteaque *cassiteron* , quod hebraicum vocabulum exponitur *æs* , *cuprum* , *chalybs* . *Cuprum* , seu *æs cyprium* genus nimirum quoddam æris procul dubio factum ex Hebræo עופרת *goperet* , & & *coperet* , quod reddunt *plumbum* . Γρῦ genus parvi numismatis , qua de re Suidas . Plane factum ex Hebraico אגורה *agora* , quod secundum LXX est *obolus* , seu potius ἀμέσως ab גרה *gera* item *obolus* , *vilissimus numus* . Præterea γρῦ est *minimum quidquid* . Commodum fit ab R. Hebræa גרר *garar concidit* , *secuit* , *dissecuit* , & *ruminavit* , & גרגר *gargar granum* , *bacca* . *Raudusculum* . *Rudis utraque notione* , Vossius ait, postquam disseruit de voce *Rudis* , ejusque appendice , *fit e* raudis , *seu* raudus , *eliso A* . Raudus *vero est a* ῥάβδος , *quod & ipsum notat* virgam impolitam . *Sed* raudi *vox ad alia quoque extensa , ut cum sic dixere* , æs rude & infectum , *uti auctores sunt Varro , & Festus . Hinc* ὑποκοριστικῶς raudusculum *legitur apud Ciceronem epist.8. l. IV. ad Atticum : ubi* gravi æri alieno *opponit* raudusculum *hoc est* pauxillum æris . *Utitur & libro VI. ad Atticum &c.* Ita ille . At primo commentus est ῥάβδον denotare *virgam impolitam ;* quandoquidem ῥάβδος est ἁπλῶς *virga* . Porro advertendum *raudus* non solum usurpatum pro *ære rudi* , sed quoque pro *ære signato* , sicuti ex Cincio monuit Festus . Idcirco in venditionibus mancupi scriptum erat , *raudusculo libram ferito* . Itaque *rodus* exstat ab Orientali רדד *radad diducere* , *distendere argentum* , *aurum* , *aut aliud metallum in laminas* , unde מורד *mored opus diductum* , quod idem ac רקע . *Ru-*

dus, unde *rudera* forte dictum ab ירד *iarad descendit*, & *dejecit*, *detrusit*; unde מורד *descensus*, *locus declivis*; vel a רץ *rat frustum*, *fragmen* ex רצץ *quassavit*, *contrivit*, *fregit*. Id quod illi perbelle quadrat. *Numus*, seu *nummus*, *νοῦμος* per metathesin venit ex מנה *mana numeravit*, *supputavit* & מנה *mane mina*, *libra*, *pondo*, seu ipse *nummus*; unde & fit vox *numerus*, & *numero*. *Palacrena*, & *palacra* major auri massa exponitur apud Calepinum, sed *ἀπλῶς* est *auri massa*. Plin. l. XXXIII. cap. 4. *Aurum arrugia quæsitum non coquitur*, *sed statim suum est*. *Inveniuntur ita massæ*. *Necnon in puteis etiam denas excedentes libras*. *Palacras Hispani*, *alii palacranas*: *iidem quod minutum est balucem vocant*. Sane videtur constare ex Hebræo פלח *palah secuit*, *dissecuit*, *divisit*, unde פלח *pelah segmentum*, *pars*, *particula*, & חרוץ *caruz aurum*. Ἄφενος *divitiæ* vel ab אופיר *ophir aurum*, vel ab אפתם *aphtom*, quod *thesaurus*, *ærarium* exponitur, decurtatum.

Balux itaque cum sit ex Plinio *minutum aurum*, & ex Hesychio idem, ac *ψῆφος lapillus*, *calculus exiguus*, fieri potuit ex פלח *fragmentum*. *Arrugia* quid sit, enodat Plinius l. XXXIII. c. IV. ubi ait: *Tertia quærendi auri ratio opera vicerit Gigantum*: *cuniculis per magna spatia actis*, *cavantur montes ad lucernarum lumina*. *Eadem mensura vigiliarum est*, *multisque mensibus non cernitur dies*. *Arrugias id genus vocant*. Heic vero advertas, hocce vocabulum haud cunctis patens, ubi dixerit id genus *arrugias* vocari. Plane oritur ab Hebraico חרוץ *aruz fossa* (quod facit cum eo, quia *cuniculis actis cavantur montes*) atque *aurum*, denique *sedulus*, *industrius*, quod sane quadrat, atque respondet Plinianæ operæ, ac narrationi illius industriæ, atque vigiliarum. *Stannum* facile per metathesin venire potuit ab Orientali נחשת, quod exponitur *æs*, *ærugo*, *cuprum*. *Stibium*. Apud Hesychium exponitur *χρῶμα μεταλλικὸν μέλαν*. Porro si Hesychio fides præstanda, ductum puto ex צבע *staba pinxit*, *coloravit*. Commodum in rem cadit, quod narrat Aristophanes Grammaticus apud Eustathium, nimirum esse vocem Ægyptiacam.

Humus. *Humi*, *unde* humus, *Caninio*, *&* *Nunnesio videtur esse a* *χαμαὶ*, *quasi* chumi. *Sic a* *χάω*, *unde* *χάος*, *&* *χάσμα*, *est* hio. *Julio Scaligero l. de caussis L. L. cap. XXVI. placet* humum *dici ab* *ὕμαι*, *quod ab* *ὕω* *id est* pluo. *Ita* humus *proprie sit* terra compluta. *Sed prius magis placet*. Hæc Vossius. Porro *χαμαὶ* venit ab Mosaico תהום *theom*, quod est *abyssus*, seu *terra aquis involuta*: mutata ת in *χ*, seu *Ch*, uti ex תהו *thou chaos* emersit, ex Phœnicio Carthaginis vocabulo *carthada* ortum Καρχηδών. Hinc Siculi ὄρνιχας pro ὄρνιθας dicebant. Dores pro ὅτε, ποτὲ, πότε, ἄλλοτε ajebant ὅκα, πόκα, πῦκα, ἄλλοκα. Atque alia his similia, prout alibi animadvertisse memini.

EXER-

EXERCITATIO XV.

CAPUT I.

APex *ab Oriente profectum . Notantur Grammatici* . Apio , ἅπτω , ἆπος , Algariza *quid denotat* : ἄμβων , κάχαλα , κρώμαξ , grumus , cacumen , κάμαξ , ἑρέπνη *ab Hebræis originem repetunt*.

APex apud Grammaticos ab *apio* , *adligo* , *adnecto* ducitur . Hos adi apud Vossium . Quod vero , uti ait doctissimus Mazochius , *hanc etymologiam antiqui protulerunt* , *ferendi* , *eo quod Hebraice ignaris meliora non suppeterent* , *& cogerentur ex radicum Orientalium inopia in suarum originum ignoratione versari* . Interim tantus vir ducit ab אפיק *apik* , *quod in Lexicis exponitur* robustus , validus , *at suo judicio verti etiam potest* eminens , *eo quod apud Hebræos* summitatis , *&* fortitudinis *eadem sunt vocabula ; ut in* שגב sagab , *&* misgab , *&* toaphot harim (fortitudines *id est* altitudines montium) *& pluribus aliis verbis fit manifestum* , *quæ æque* exaltare , *&* roborare *notant* . Quæ licet vera sint , nimirum quod sæpe eadem vocabula *summitatis* , & *fortitudinis* notionem imbibunt , tamen אפיק *apik* constanter *robustus* , & *validus* ab omnibus exponitur , neque uspiam hæc notio ei assignatur . Cetera quæ de eadem voce disputat, apud eumdem vide in Addit. ad Vossium in voce *Apex*. Mihi γενικῶς *apicis* notionem fuisse persuadeo *summitatem* , *eminentiam ;* idcirco ducendum reor ex Orientali אבך *abac extolli* , *elevari* , uti התאבך idem notat , versa *B* in *P* . *Apio* , & ἅπτω , unde sint , dispiciendum . Primum haud inepte duci potest ab חבש *abas ligavit* , unde fortassis erit etiam ἅπτω , quod est idem , scilicet *alligo* , *necto* , ἅπτω vero *accendo* facile derivari posset ex אפת *apat coxit in furno* . Ἆπος pro κάματος hoc est *labor*, Eustathius adducit ex Euripide in Phœnissa , ubi tantum occurrit , cum Creon Tiresiæ ad se festinanti inquit : ἀλλὰ σύλλεξαι σθένος , Καὶ πνεῦμ' ἄθροισον , κἆπος ἐκβαλὼν ὁδοῦ . Scholiastes etiam reddit κάματον . Verum addidit alios pro ὕψος accipere , atque hic καταχρηστικῶς dici posse positum pro μῆκος . At antequam ad alia progrediamur , admonendum ἆπος apud Euripidem in loco , quem modo attulimus , potius *lassitudo* , *defatigatio* exponendum ; cum κυρίως sit *viæ lassitudo ;* unde illud *lassus viarum* , apud Horat. l. II. od. 6. , & apud Plautum Pseud. II. II. 66. *lassus de via :* apud Ovid. V. Trist. eleg. 4. *lassus via* . Commodum ἆπος venit ab Orientali יעף *iaap lassus fuit* , יעף *ieap lassitudo* , atque evanescente *Jod ap* , uti accidit Defectivis *Pe-Jod*. Præterea juvat monere , quod ab ipsa Radice apud Hebræos pullulat תועפות *toapot* , sicuti Ps. 95. 4. תועפות הרים *toapot arim vires mon-*

montium ; ſcilicet *altitudines montium ;* uti reddidit Vulgatus , & Lxxviri ὕψη . *Algariza* fuit quoque nuncupata Jeruſalem . De quo ita Villalpandus de Urbe , & Templo Hieroſol. cap. I. p. 1. *Antiquum , ſeu potius antiquatum Urbi nomen* Algariza *fuit , auctore Eupolemo , ut refert Alexander Hiſtoricus apud Euſebium ; quam vocem* altiſſimum montem *idem hiſtoricus interpretatur* . Porro vox iſthæc videtur conſtare ex *al* , & *gariza* . Prior pars dictionis venit ex על *al altus , excelſus* . Idque per ſe patet eſſe veriſſimum. *Gariza* vero haud mihi omnino compertum eſt , unde ſit . Fortaſſe divinare dabitur ortum fuiſſe ex גזרה *Gizra ſegmentum , ſeptum , ſtructura ſeparata* . Niſi rectius fuerit הר־זה *har-ze* nempe *mons iſte* , ſeu ἁπλῶς *mons* , nam זה ſæpe ἐμφατικῶς gratia additur . Hinc ex *alharze* factum *algarizæ* , ſeu potius emollitum . Neque tibi mirum ſit ה in *G* verſum , nam etiam ע ſæpiſſime in G tranſit , cum utraque ſpiritus ſunt . Ἄμβων venit ab אבן *aben lapis* , & *maſſa* , de quo forſitan alias . Κάκαλα ſunt τὰ τείχη apud Æſchylum. Videntur dicta a קיר *cir paries , murus*, geminata principe ſyllaba , & *R* in *L* converſa . Κρώμαξ *acervus lapidum* fluxit a חמור *camor* , ſeu *comer acervus* per metátheſin duarum poſtremo litterarum.

Grumus collectio terræ , ſeu *lapidum* forte ſit vel a חמר *camor cumulus* , vel a ערם *garam coacervare* , & ערמה *garema acervus* , ע in *G* verſa, quod admodum verum eſt . *Cacumen* poſthabitis Grammaticorum ſomniis, recta derivari poteſt a קום *cum* geminata principe ſyllaba , ſeu littera ק . Sane ſignificat *ſurgere , ſtare* , unde קומה *come ſtatura , altitudo* . Inde etiam fluxit κάμαξ *palus , pertica* . Adeo id verum eſt . Ἐρίπνη *cacumen* , ſeu *rupes* forte dicta ab עורף *orep cervix*.

CA-

CAPUT II.

APenninus, Acamas, Araxum, Aracyntus, Asterion, Ater, Athos, Dyris, Cadiscus, Dindymus, Edonus, Epomeum, Eryx, Hæmus, Herne, Hetruria, ὄθρυες, Ida, Jura, ἰώρος, Itanum, Itacha *ab Oriente deflexa*. Lilybæum, λάβρυς, Meritus, Merus, Gygemorus, Malea, λυτσὼν, Oeta, Niphates, Νέφθυς, Petuscum, Rhium, ῥιόν, Rhætum, Soracte, Tabis, Teba, Thymphe, Atabyris, Tænarus, Timolus, Tomarus, Tharne, Sevo, Sarrium, Sarsus, Marpessa, tutulus, Zarax *ab Hebræis exstant*.

HActenus ab Oriente unico aliarum linguarum fonte cum *appellativa* nomina, tum verba fluxisse demonstratum ivimus, modo superest, ut idem quoque nominibus propriis & Montium, & Urbium, postmodum Fluviorum usuvenire patefaciamus. Id sane magis locum habet in nominibus propriis, quæ pleraque primævæ linguæ propiora, utpote quæ vetustiora audiunt. Porro Principes orbis terrarum homines, ubi in aliqua loca pedem inferrent, nihil aliud habebant antiquius, quam prius illis locis nomina imponere. Ne ultra te distineam, & ne longius progrediamur, exemplis congerendis abstineo. Id vero non modo ex S. Litteris, verum etiam ex profanis Scriptoribus perspicere licet. Ceterum justum librum id argumenti posceret; & quamvis ab aliis auctoribus potissimum Bocharto, & Mazochio expensum sit, tamen cum alia quoque argumenta ex novis etymis proferendis præsto sint, magna ex parte hanc materiam exhaurire conabimur: hac tamen lege, ut tantum ea etyma, quæ ab aliis haud tentata, & animadversa, in medium proponamus. Duo autem monenda restant; primum: id magis usuvenit nominibus Urbium, Montium, & Fluviorum, qui in Oriente sunt: secundum: eo quod lapsu temporis Græci, aut alii populi deinceps in illa loca migrarunt, aut successere, aliud nomen de sua lingua sæpe primigeniæ, & pervetustæ nomenclaturæ suffecere. Nos vero nomina propria testimonio aliquando auctorum ab Oriente emanasse evincemus: quæ quidem etyma omnium verissima.

Acamas promontorium, de quo Plin. l. V. 31. ait: *inter duo promontoria Dinaretum, & Acamanta*, plane dictum ab הקים *surgere*, vel *stare fecit*, ex קום, & קומה *statura*, *altitudo*; unde fluxit quoque *Acema* mons, quod nos docet idem Plinius l. III. c. 4. ubi ita habet: *Varus ex Alpium monte Acema profusus*. *Apenninus* dictus ab אבן *eben lapis*, & *qualibet massa rei*. Ἄγδος *Phryges nominarunt rupem ingentem Phrygiæ*, ait Bochartus in disser. de Æneæ adv. in Ital. Hance lexin fluxisse reor ex הגדר *maceria*, *murus*, *septum*, seu הגדל *meta frumenti*, *tumulus*, vel ab הגדל

aga-

agadal magnus , unde מגדל *migdal turris* . *Araxum* promontorium scopulosum Elidis inter Dymam , & Cyllenem dictum ab הראש *arosc caput* , *vertex*, quod verius exprimunt Itali , qui illud vocant *Capo di Chiarenza* . *Aracyntus* primam vocis partem refert acceptam Hebræo הר *ar* , atque *erer mons:* altera vero pars est כנת *planta* , scilicet *mons plantarum* . *Asterion* mons Peloponnesi de quo Plin. l. IV. dictus ab הצור *astur rupes* . *Ater* mons , qui secundum Plinium l. V. c. 5. *nostris dictus a natura adusto similis* , *aut solis repercussu accenso* , venit ab הטור *atur mons* , unde & *Athos* Ἄθως , *Atlas* quoque ; qui cum lingua Maurorum nuncupatus fuerit *Dyris* , fluxit ab eodem טור *tyr* , seu צור *tzyr mons* , *rupes* , versa צ in *D* , quippe quod ea littera medium locum obtinet inter *Z* , & *T* . *Cadiscus* mons ita appellatus a גדיש *gadisc meta frumenti* , *tumulus* . *Dindymus mons* , unde dictus , docet Bochartus in dissertatione , quam supra citavimus , ubi ait : *Philostephanus dicit* , *montem* Dindyme *sic esse vocatum* , *quod haberet* duplicem summitatem, διδύμους μαστοὺς (at Berkelius μαςοὺς legit ad Stephanum) . *Strabo vero ait* , *quod non habeat* , *nisi unam* , *quodque sit* ὄρος μονοφυὴς mons cum uno vertice . *At ego censeo* cymbala *esse nominata* dindum *in Phrygia* , *ut in Syria* zinzum , *indeque factum nomen* Δίνδυμον , *quia inventio* cymbalorum *Phrygibus tribuitur* , *privatimque Deæ huic secundum Diodorum l. III. Hinc fit* , *ut festum ejus in eo monte celebretur magno strepitu cymbalorum* , *& tympanorum* , *unde Poeta :*

Matri quate cymbala circum.

Hactenus Auctor . Sane *zinzum* factum ab Hebraico צלצל *zelzel* , seu *zilzil cymbalum ;* quod etymon fugisse virum doctum miror . *Edonus* mons , de quo Plinius l. IV. cap. XI. videtur descendisse ab ארן *eden basis*, *stylobates*. *Epomeum* item mons exstat apud Strabonem sub finem l. V. atque ita legendum apud Plinium l. II. c. 88. ubi ait : *Sic & Pithecusas in Campano sinu ferunt ortas* . *Mox in his montem Epomeum* (prius lectum *Epopon*) *cum repente flamma ex eo emicuisset* , *campestri æquatum planitie* . Oppido quam commode ejus origo se prodit ab Hebræo הפחם *epeam carbo* , *pruna* . *Eryx* ἔρυξ *mons Siciliæ*, atque ejusdem quidam rex, factum ab Orientali הראש *erosc caput* , *fastigium* , *summitas* , *vertex* , ut Ps. LXIX. 22. על ראש ההר *super verticem montis ;* atque hoc spectat ad significationem montis , at cum denotet *caput* , *principem* , *primarium* , inde tracta denominatio *regis Erycis ;* mutato ו *cholem* Hebraico in υ *ypsilon* Græcanicum , uti alibi sæpe adnotatum . *Hæmus mons* est ab חמור *amor acervus* . *Hernici* populi Italiæ in Latio versus montes . Commodum Maro Æn. VIII. v. 683. cum ait : *& roscida rivis Hernica saxa colunt* , intellexit *ipsos montes ;* quos *Herne* penes Sabinos appellatos patet ex Servio . Porro *Herne* vocabulum Hetruscum puto , ideoque orientale ; sane fit ab הרר *erer mons* , *montana loca* . Peropportune huc afferam quod de origine *Hetruriæ* conjectat Scaliger. Is enim dictam putat quasi ὀθρυεϱίαν ab ὄθρυες montes , *quia montosa est : non quasi* ἕτερον ὄρος, *quod alteram Tyberis ripam Hetrusci*, *alteram Romani incolebant ; nec*, *ut vult*,

Stephanus ἀπὸ τοῦ τὴν αἴθραν ἀσκεῖν *ob auguriorum peritiam ; neque ab oppido Hetruriæ* Atria , *quod a Diomede conditum , ac primo* Ætriam *nominatam idem Stephanus tradit* . Hæc legere quisque poterit apud Vossium in de permut. litterar. Igitur *Etruria* ab ὄθρυες *montes ;* ὄθρυες vero ab הטור *atur mons* . *Ida* ἴδη ὄρος δρυμῶν , dictus ab יד *iad manus* , *spatium* , *locus* , *latus* , *ripa* . Ἰώρος *locus montanus* , & *mons* dictus ab eodem הר *ar mons* , *montana loca* , quod vero notat *custodem* venit ab יראה ex ראה *raa videre* . *Jura* mons , cujus meminit Plin. l. III. c. 4. l. 4. c. XVII. omnino descendit ab הר *ar mons* . *Itanum* , de quo Idem l. 4. c. XII. , dictum ab הטור *atur mons* , unde & facile fluxit *Itacha* insula , quippe quæ montuosa , sicuti illam nobis exhibent Homerus, Horatius, aliique omnes.

Lilybæum promontorium , & *Lilybe* dictum a להב *laab gladius* , *mucro* , *acies* , unde etiam λάβρυς *securis* , & *flamma* , geminata principe syllaba ; haud secus ac alia promontoria, atque ejusdem Siciliæ Urbes nuncupatæ, uti *Zancle* , *Drepanon* nimirum a *falce* . Bochartus tamen ita nuncupatum certat , quod *ad Libes esset obversum* . *Malea* promontorium Peloponnesi dictum a מעלה *maale gradus* , *ascensus* , *clivus* , *suggestum* ex עלה *ala altum esse* , ex eadem radice fruticat עלית *illit superius* , *cœnaculum* , & id quod *altum est* . Unde venit λυττὸν , quod est ὑψηλὸν Cretensibus : λυττὸν ὑψηλὸν Κρῆτες ait Stephanus de Urbibus . *Meritus* Thraciæ mons ; de quo Plin. l. IV. c. XI. *Merus* item mons, cujus meminit Idem l. VI. c. 21. dicti a מרום *marom altum* , *altitudo ;* unde & *Gygemorus* mons quoque Thraciæ dictus. *Oeta* similiter mons fit ab הטור *atur mons* . *Niphates* mons dictus ab Hebræo נפת *nephet tractus* , *clima terræ ;* unde ἀμέσως νέφθυς Ægyptium , de quo ita Plutarchus in Iside : Νέφθυν δὲ καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα , καὶ παρόρεια , καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης : *Nephthyn autem appellant terræ extrema* , & *promontoria* , & *quæ mare attingunt* . *Petuscum* heic aperire , unde dictum , non abs re esse reor . De ea voce ita Festus : *Petuscum Palatii dicta est ea regio Urbis , qua Romulus obversam posuit ei parti , in qua plurimum erat agri Romani mare versus , quia mollissime inde adibatur Urbs, cum Hetruscorum agrum a Romano Tyberis discluderet , ceteræ vicinæ Civitates colles aliquos haberent oppositos* . Igitur ejus origo petenda videtur ab Hebræo פתשגן *patsegen exemplum*, *exemplar*.

Rhium promontorium Achajæ , & græcum ῥίον , quod exponunt *montis cacumen* , & *promontorium* , *Rhœtum* promontorium Troadis omnino dicta sunt ab Hebraico ראש *rosc caput* , *vertex* , *summitas*, in voce vero *Rhœtum*, *S* in *T* versa . *Sepias* Macedoniæ promontorium dictum a שפה *sapa eminere* , *altum esse* , unde שפי *sepi clivus* , *locus eminens* , & שפה *labium* , *ripa* , *litus* . *Soracte* mons dictus a צור *sor rupes* , alternante צ *tzade* , atque emollita , & versa in *C* & *T* . *Tabis* promontorium quoddam , & *Teba* , quod *collem* designat Sabinorum lingua teste Varrone l. III. R. R. c. 1. dicta ab Hebræo vocabulo טבור *tabur locus editus* , unde *B* in *Ph* versa venit *Thymphe* , & adjecta ה heemantica fit הטבור *atabur* , unde profectum *Atabyris* nomen montis . *Tænarus* ταίναρος promontorium descendit a Chaldaico

טינרא *timara lapis* , & ni fallor *rupes* . *Tmolus* , seu *Timolus* mons Phrygiæ Magnæ , & *Tomarus* mons , de quo Plinius , ambo dicti a תמר *tamar*, unde תמרות *temarot elationes* , *columnæ* . *Tharne mons* omnino dictus a טור *thur mons* . *Sevo* mons Scandinaviæ a צור *sur rupes* vocalibus tantum commutatis ; unde ducta quoque nomina *Serrium* , & *Sarsus* item *montes* . *Marpessa* mons saxosus a מרצפה *marsepe pavimentum* , per metathesin . *Tutulus* ἀκρόπολις dictus a תל *tel tumulus* , *agger* , ת geminata , sicuti & תלתלים. *Zarax* mons Euboeæ venit a צור *zur rupes* , *petra* , haud secus ac *Caphareus* a כיפא *cepha petra* .

CAPUT III.

ÆA , Æœa , Jos , Α'κάρα , Asta , Astu , Baramalacum , Bulla , Butos , Butua , Boron , Carene , Carina , Cerane , Carræ , Carrea , Cartana , Carteja , Carthæa , Carpi , Copæ , Cupra , Cave *ab Hebræis ducta* . Cepi , Cerinthus , Cercinna , Cea , Chios , Cyrrhum , Cyrrha , Corinthus , Croto , Cumi , Come , Dorion , Doris , Egra , Agra , Esca , Escua *ab Oriente fluxerunt* . Eubœa : *quid de hujus origine Martorellius :* Eugoa , Eurome , Emischabales , Falernus , Gabale , Halone , Laæna , Lanuvium , Laus , Lea , Luna , Lissa , Macas , Macua , Mago , Magoa , Mania , Mareu , Maræotis , Megala , Mulona , Napata, Navos , Nea , Noa , Nee , Nepet , Ocale , Ocha , Œnoe , Rhamnus , Rhemnia , Rhuma , Rusardir , Sabrata , Scylla , Sipus , Sipontum , Suburra , Lesbus *ab hebræo fonte manarunt* .

ÆA αἶα peninsula Colchidis , atque *Ææa* αἰαία insula maris Tyrrhenici dicta ab Orientali אי *I Insula* , *regio* , *provincia* ; unde ἀμέσως *Jos insula* dicta est . Α'κάρα Urbs Asiæ , quæ modo Nyssa , dicta ab הקרת *aceret Urbs* , *Civitas* κατ' ἐξοχὴν quasi illa Urbs , sicuti Italis *la Città* ; atque inde quoque nuncupata *Cæres* , seu *Cæræ* ; Α'κάρα vero , quæ Cretensibus sunt τὰ σκέλη descendunt ab ipso vocabulo Hebraico הכרעים , seu הכרעי *acare crura* . *Asta* , de qua ita Plinius l. III. c. 2. *Inter æstuaria Bætis oppidum Nebrissa cognomine Venerea* , *&* *Colobona coloniæ* , *Asta* , *quæ Regia dicitur* , vox Phœnicia est , seu ut κυρίως loquar Orientalis ; atque in hac re lubens se dat vadem idem Plinius ibidem : nam pauló ante ita habet : *Oram eam universam* (scilicet ulterioris Hispaniæ) *originis Pœnorum existimavit M.Agrippa :* & paucis interjectis: *In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos* , *&* *Persas* , *&* *Phœnicas* , *Celtasque* , *&* *Pœnos tradit* . Sane dicta est ab אצל , unde אצילים *astilim optimates* , *magnates* , *selecti* . Α'στυ *urbs* dicta est vel ab חסות *asut receptus* , *refugium* , seu potius ab חוץ *ost vicus* , *platea* . *Baramalacum :* Plinius l. VI. c. 28. ait : *Mariaba Baramalacum ;* *&* *ipsum*

ipsum non spernendum : Porro cum idem Plinius *Mariaba* interpretetur *dominos omnium ;* & *regia* , seu *regina* omnium sit ; haud importune *Baramalacum* ducitur ab בירה *bira castrum* , *palatium* , *regia* , & מלך *melec rex ;* hoc est *palatium regium* , *regia* . Ceterum MS. Chiffletianum habet : *Marriba Palmalachum* . *Bulla :* Plinius l. V. c. 3. ait : *liberumque oppidum Bulla regia* , videtur dicta a בעלה *baala princeps* , *domina* , *imperans* . *Butos* , & *Butua* oppida omnino dicta ab Hebræo בית *bait domus* , & generatim *omnis locus* , & *sedes* , unde & βουτοὶ *sepulcra* . *Boron* oppidum , de quo Idem Pl. l. VI. c. 29. *Boron in Mediterraneo* . Dictum a בירה *castrum* . *Carene* oppidum , de quo Plin. l. V. c. 29. *Carina* , *Cerana* , Idem l. V. c: ult. *Carræ* , *Carrea* , *Cartana* , *Carteia* , & *Carthæa* omnino dicta ab קרת *ceret* , & *ciria civitas* . Hinc vides , quam variæ , dissitæque urbes ab una , eademque voce orientali suam originem ducant . *Carpi* item oppidum dictum a כפר *cepar vicus* , *villa* , *pagus ;* unde dictæ quoque *Copæ* , Urbs Bœotiæ : porro advertendum quod כפר *coper* non solum *pagum* denotet , verum etiam *picem* . Hinc κώπιτης πίσσα *pix Copaica* . *Cupra pagus* dictus a כפר idem . *Cavæ* , de quibus Plin. l. III. c. 3. ubi ait : *in agro Cavarum Valentia &c.* & paulo post ; *Avenio Cavarum ;* & *Cave* quoddam , quod juxta Xenophontem est nomen *vici* , seu *villæ* , ab eo enim dicitur κώμη , dicta ab Orientali חוות *cavot villæ ;* nam חיה *vicus* , & *villa* .

Casthenes sinus dictus a חוצן *costen* , quod exponit *sinum* Bochart. Geogr. S. c. 746. *Cepæ* , oppidum , de quo ita Plin. l. VI. c. 6. *Oppida in aditu Bosphori primo Hermonassa* , *dein Cepæ Milesiorum* . Dictum est ab כפר *cepar pagus* , *villa* . *Cerane* , & *Cerinthus* oppida dicta ab קרת *ceret Urbs* . *Cercina* , & *Cercinitis* Insula dictæ ambæ a כרכר *circer subsiliit* , *saltavit* , quemadmodum inde etiam dicta est *Corcyra* , atque *Scheria* , eo quod per æquor videntur *saltare* , ut ita dicam , ac *nare ;* unde Homerus fortasse ait πλώτον νῆσον . *Cea* , & *Chios* insulæ dictæ ab אי *Chi insula* , vel potius a קוה *cava fluere* . *Cynenæ* , & *Cyrrha* oppida dicta ab קרת *ceret oppidum* , unde etiam dicta *Corinthus* , & *Croto* . *Cumi* . Pl. l. VI. c. 30. ait : *Oppida Navos . . . . . Cumi* . Dictum a מקום *macum locus omnis* , *M* abscissa ; nam Radix est קום . Hinc & *Come ;* de quo Idem l. V. c. 32. *Nunc sunt XV. civitates* , *inter quas Gordia Come* , *quæ Juliopolis vocatur* . *Dorion* , *Doron* oppida , *Doris* Asiæ regio , & *Doris* Græciæ dicta a דור *dur* , seu *dor habitatio* . *Egra* oppidum , sicuti & *Agra* Læanitarum regia dicta ab הגור *agur habitavit* , unde מגור *habitatio* . *Esca* , atque *escua* oppida dicta ab השכן *habitavit* , unde משכן *habitatio* . *Eubœa* , si fides Cl. Martorellio habenda , non venit a βοῦς *bos* , sed ab Orientali בא *ba* (ex בוא *venit*) *ferax ;* at prima vocis pars nimirum εὖ , unde petenda , explanare haud laboravit . Porro τὸ εὖ non solum in allata voce , sed etiam in aliis vocibus non venit ab εὖ *recte* , sed ab Orientali אי *I insula* , scilicet nuncupata *insula felix* , *ferax* . *Eugoa* oppidum forte dictum ab אי *insula* , *regio* , & גהה *altum esse* . Hinc *Eurome* item oppidum dictum ab ipso אי , & רומה *rome altitudo* , *celsitudo ;*

scilicet *Urbs celsitudinis*, *altitudinis*, non secus, ac *Roma*; sicuti *Samus* ab Arabico שמא *altum esse*.

Emischabales, de quo ita βραχέως differit Plinius l. VI. c. XXVIII. *Fons Emischabales*, *quod significat Camelorum oppidum*. Plane rem locutus Plinius; nam (licet antea *emischamales* legendum putabam) postrema vocis pars *chabales* est ipsum Orientale גמלים *ghemalim*, seu גמלי *cameli* ex גמל *gamal camelus*; mutata ג *ghimal* in *Ch*. Etenim non solum mutatur in C ἁπλῶς, ut apud Latinos ex ipso גמל emersit *Camelus* & apud Græcos Κάμηλος, verum etiam in *Ch*; hinc ἀράχνη videtur dicta ex ארג *texuit*, γαλβάνη dixerunt olim, nunc χαλβάνη, ait Vossius in de permutatione litterarum. Præterea χ & γ sæpe permutantur; nam ex χαλβάνη *galbanum*, ex ἄγχω *ango*, ex *Chobare Gobares* apud ipsum Plinium. Quin imo familiaris admodum est ista permutatio; quandoquidem Chaldæis כ, & ג sunt promiscuæ, uti probat Bochartus, quem adi Geogr. S. c. 238. Imo *Gim*, & *Cha* litteræ puncto discrepant. Denique versa מ in *B*, quod declarare supersedeo. Quandoquidem affatim id ostensum a Salmasio in notis ad Tertullianum de Pallio p. LXX. Adde *Stibium* στίμμι, atque alia exempla, quæ apud Vossium in de permut. litterar. præsto sunt. Verum ad propositum redeamus. Prima vero pars vocis *emis* videtur repetenda ex Hebræo המעון *emaon habitatio*, *habitaculum*, ita ut sit *habitatio*, *Urbs* scilicet *camelorum*, nisi velis addere ab initio vocis עין *fons*, adeo ut significet *fontem Urbis camelorum*.

Falernus ager, & *Falernum* forte dictum a פרה *farah ferax*, *fertilis fuit*. *Gabale* promontorium ita nuncupatum vel a גבל *gabal terminus*, vel גבון *gibbosus*, *eminens*. *Halone* insula, atque oppidum dictum ab עליון *altissimus*, sicuti *Same*. *Læana* oppidum dictum ab לון *lun pernoctavit*, unde מלון *diversorium*, *tugurium*; unde forte dictum *Lanuvium*, *Laus*, & *Lea* oppida; atque etiam *Luna* Hetruriæ oppidum. *Lissa* insula dicta a לשון *lascion lingua maris*, seu *sinus*. *Macas* promontorium venit a מכון *locus*, *dispositus*, *basis*. *Macua*, & *Mago* oppida ita nuncupata a מקום *magom locus omnis*. Hinc & *Magoa*, de quo Plin. l. VI. c. 27. ait: *oppidum juxta eum Magoa*. *Mania* oppidum a מעון *maon habitatio*, *habitaculum*. *Mareu insulæ*, de quibus ita Plinius l. VI. cap. 29. *Sinus insulis refertus*; *ex iis*, *quæ Mareu vocantur*, *aquosæ*: *quæ Eratonos sitientes &c.* Porro cum vocentur *Mareu* æ insulæ, eo quod sint aquosæ, omnino factum istud vocabulum ab Hebræo מרוה *mareu*, seu *marve irrigans* ex רוה *rava irrigari*, unde forte dicta palus *Maræotis*. *Megala* quid sit, aperit Plinius l. VI. c. 26., ubi ait: *Megalæ appellatur locus*, *arduo montis ascensu per gradus*, *introitu angusto &c.* Ad rem, atque ad amussim profectum hocce vocabulum ab Orientali מעלה *magale ascensus*, *clivus*, *gradus*, quæ omnia quadrant in Plinii explicationem. *Mulona*, ait Plinius l. VI. c. 29., *quod oppidum Græci Hypaton vocant*. Itaque res eo redit, ut *Mulona* sit nomen Orientale, quod significat ὕπατον, seu ὕψος *altitudinem*. Sane ἀμέσως factum ab Hebræo מועל *moal*, seu *mual* (nam ו *Vau Cholem*, atque ו *Vau* nihil differunt) *elatio*, & מעלה *ascensus*, *altitudo*, *suggestum*, *clivus*.

Na-

Napata oppidum a נפת *napat tractus*, *clima* ex נוף, quo nomine insignitur etiam Urbs. *Navos* oppidum, *Noa*, *Nea*, *Nee*, *Neon tichos* dicta a נוה *nave habitaculum*. *Nepet* oppidum dictum a נפת *nepet*, *tractus*, *clima*, quod nomen accommodatum etiam Urbibus comperimus. *Ocale*, & *ocha* Urbes forte dictæ ab היכל *ecal templum*, *regia*. *Œnæ* insula ab עין *en fons*, *oculus*, *superficies*. *Rhamnus*, *Rhemnia* oppida dicta a רומה *rome altitudo*, unde & *Rhuma*. *Rusardir oppidum*, atque *portus* dictum ab ראש *rosc caput*, *summitas*, *initium*, atque ארץ *artz terra*.

Sabrata oppidum, quod brevi ita Plinius l. V. c. 4. *Sabrata contingens Syrtim minorem*. Dictum ab שבר *sabar fregit*, & *seber fractio*, *fractura*, eo quod erat *locus naufragii*, & *periculi*. *Scylla scopulus* non aliunde venit, nisi a סקל *sacal*, seu *siccel lapidibus obruit*; nam etiam *lapis* ἁπλῶς apud Hebræos significare debuit. *Sipus*, *sipontum* oritur a שפה *eminens esse*, *eminere*, unde שפי *sepi clivus*. *Suburra vicus*, & *via* Romæ dictum a שביל *sebil via*. *Lesbus insula* fit a נציב *nesib statua*, *N* in *L* conversa. *Hylea*. Ὑλέα χώρα Ποντικὴ, Ἀβικὴ λεγομένη: *Hylea regio Pontica*, *quæ Abica dicitur*. Nempe uti ait Berkelius apud Stephanum de Urbibus, *est regio Abiorum*, *quæ a nemine sic appellata*. Verum mihi videtur idem significare vox Ὑλέα, atque Ἀβικὴ. Nam Ὑλέα venit ab ὑλὴ *sylva*, Ἀβικὴ vero ab עב *ab*, quod etiam aliquando *sylvam* denotat. Hinc Græci τὰ ἄλση, quos Chaldæus, R. Salam., & Kimchius sequuntur. Adi Bochart. Geogr. Sacr. c. 732., ubi eam notionem firme vallavit. *Heliæa* Ἡλιαία δικαστήριον Ἀθηναίων, & ἡλιαστὴς δικαστὴς. Adi Stephanum, & Suidam, qui de origine fabulantur παρὰ τὸ ἅλις, seu ἀλέες, *quia ingens judicum numerus*, vel παρὰ τὸν ἥλιον, *quia tribunal illud erat in subdiali loco*. At mihi videtur esse ab Orientali, & pervagato nomine, hoc est אלה *eloah*, seu *eloim Deus*, & *Judices*, *Magistratus*.

EXERCITATIO XVI.

CAPUT I.

Fons, vonte, divona, fluo, *βλύω*, *νάω*, *βύνη*, Oceanus, *ὠγὴν*, tullius, *ἀμάρα*, favissa, *ὀπὴ*, *σωλὴν*, *ὄρυγμα*, *τάφρος*, *βύθος*, *κύαρ*, cataracta, *σκάλλω*, *σκινθοὶ*, *ᾅδης*, spelunca, *σπέος*, corrugus, *κρουνὸς*, Acheron, Achelous, lavo, mare, pontus, mergo, *ἅλς*, *θάλασσα*, *οὖρος*, *ἀκτὴ*, *βαβὺη* *ab Oriente ad unum omnes fruticant*.

CUm superiori Exercitatione Montium, Urbium, & Locorum etyma expiscari conati simus, jam tempus postulat, ut Fontium, & Fluminum veriloquia investigantes fidem solvamus. Hac in re periculum facturis, nisi Orientem unicum fontem adeamus, res haud prospere procedet. In præsenti autem id pro viribus præstare adnitar; atque missis iis etymis, quæ Cl. Bochartus dextera usus fortuna enucleavit, ita *σὺν θέῳ* rem auspicari commodum erit; scilicet ut antea nominum, quæ nuncupantur *appellativa*, & verborum, quæ ad fluvios spectant, postea illorum, quæ *propria* dicuntur, originem investigare adgrediar. Primo autem præsto est vocabulum *fons*, qui venit ab Orientali עין *fain* idem, mutato spiritu in *F*, uti fieri sollemne est; ex eodem עין *vain* originem ducit Germanico-Belgicum *vonte*, vel *vunte*, quod juxta Vossium in V. *delubrum* est *fons*. *Divena est Dei fons, seu divinus*. Hinc Ausonius:

Divona Celtarum lingua fons addite Divis.

Et hodieque apud Cambros Diu Deum *significat*, & Vonan fontem; teste Bocharto tom. II. in Geogr. Sac. col. 665. l. I. c. XLXX. Sane illud *vona* ab eadem עין *vain fons* venit, licet id Bochartus cetera acutissimus non viderit. *Fluo* vero, & gr. *βλύω scaturio* a נבל, seu נפל, *N* de more abjecto, *cecidit*, *ruit*. Græcum *νάω fluo* est a נהר *fluxit*, unde & *nahar fluvius*. *Nar*, gr. *Νάρνος* fluvius Italiæ, unde *Narnia* Urbs Umbriæ dicta eo quod ad Narem subterlabentem sita. Inde quoque originem ducit græcum *Νάρων* item *fluvius*. Apud Plinium *Naro* l. III. c. 22. ubi ait: *a Narone amne*. Manarunt ab eodem נהר *fluvius*. *Hinc, seu ex* נחל *torrens* dictus *Nus rivus*, qui fluit in Cilicia apud Oppidum Cescum: Plin. l. XXXI. c. 2. Necnon ex eadem voce manavit *Nelo* item fluvius apud modo citatum auctorem l. V. c. XX. ubi ait: *Amnes Florius, Nelo, Celtici cognomine Neriæ &c.*

Βύνη dicitur significare *mare*; venire videtur ab Arabico בחר *bahar mare* (*R* in *N* versa) uti hanc vocem denotare docet Bocarthus Geogr. Sacr. c. 543. *Gigeum stagnum* dictum ab אגם *agam stagnum* abscissa principe littera

tera, atque geminata *G*. *Oceanum*, atque ὠγὴν dictum ab חוג *circulus*, *gyrus* videtur potius putasse Vossius: In eamdem sententiam descendit Bochartus Geogr. Sacr. l. I. col. 678. eo potissimum quod ista vox in Scripturis est Cosmographica. At mihi rectius *Oceanus*, atque ὠγὴν dictus videtur ab אגם *agam*, seu *ogam stagnum*, dumtaxat *M* in *N* versa. Sane Homerus Il. V. usurpat λίμνην *stagnum* pro *mari*: Od. 3. v. 1. Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε, λιπὼν περικαλλέα λίμνην, nimirum: *Sol autem ortus fuit linquens pulcrum lacum*, *stagnum*. Ubi λίμνη est *mare*, seu *Oceanus*, unde vulgo dicitur oriri Sol, sicuti contra in mare mergi. Hinc Maro II. Æn. ait: *Ruit Oceano nox*, ita ut quod Homerus λίμνη *stagnum*, *lacum*, Virgilius heic *Oceanum* adhibuerit.

Tullius tubus, *fistula*, *aquæductus*, *vel fontis*, *saliens*, *silanus*, *rivus* *a* tulo, *seu* tullo *pro* tolo, *vel* tollo, *unde* tetuli, *&* tuli. Nempe quia in altum aquam attollat, unde saliens vocatur. Ennius apud Festum. Ita Facciolatus. Oppido quam opportune venit ab Hebræo תעלה *teala aquæductus*, sicuti exponitur ex עלה *ascendit*. LXX apud Ezech. c. XXXI. v. 4. vertere συστήματα, Vulgata *rivos*, quæ Isaiæ VII. 3. reddidit *aquæductum*. Ut autem rem paucis expediam, si origo vocis Hebraicæ, & significatio perpenditur, omnino quis convenire utrumque vocabulum reperiet. Ἀμάρα *aquæ ductus*, *meatus*, *fossa* est ab Orientali חמר *amar*, unde מהמורות *mamorot scrobes*, *foveæ*, sed id etymon occupatum reperi. *Favissa* exponitur duplici modo nimirum pro *cisterna templi*, cujus usus ad aquam, atque etiam pro *cellis cisternis similibus*; ubi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia; uti Festus adstruit. Id docet Varro apud Gellium l. II. c. X. qua de re adi Vossium. Porro *favissa* exstat ab פחת *favat fovea*, *fossa*, ת in *S* versa. Ὀπὴ *foramen* fit ab חפר *apar fodit*, *effodit*. Σωλὴν *canalis* per metathesin ortum ex צנור *sinor* idem. Ὀρύσσω, ὀρύττω *fodio*, & ὄρυγμα *fossa* venit a חרוץ *arutz fossa*, & *aratz excidit*, *concidit*. Τάφρος *fossa*, ταφρεύω *fodio* contra omne jus ducitur a θάπτω *sepelio*; longe enim discrepant & significatione, & litteris. Adde quod *R* non est adscititium, sed radicale. Porro ex תחפר *taaphar*, seu חפר *fodit* natum, addito ת, sicuti ex אפר evasit τέφρα.

Βυθὸς *fundum*, *ima pars*, *gurges* exstat ab פחת *paath fossa*, *P* in *B* versa. Κύαρ apud Hesychium exponitur *foramen acus*, & *foramen manubrii in mola trusatili* videtur descendere ex חור *cur*, seu *cor foramen*. *Cataracta* καταράκτης *locus præruptus* & *præceps in flumine* fit ex κατὰ, & ῥάσσω, sive ἀράσσω *frango*, *allido*. Sane ῥάσσω, seu ἀράσσω fluxit ex רצץ *rasas quassavit*, *contrivit*, *fregit*. Σκάλλω *fodio* ex חלל *calel fodit*, *effodit*, addito *S* ab initio, id quod fieri assolet. Σκινθοὶ quid κυρίως, sint incompertum. Apud Theophrastum hist. pl. l. IV. c. 7. σκινθοὶ, καὶ κολυμβηταὶ exponuntur a Gaza *homines nantes*, *seseque submergentes*. Plinius vero l. XIII. c. 25. reddidit *naufragos*, & *urinantes*: ubi ait: *Glandem etiam quasdam ferre in alto: naufragis hæc deprehensa*, *urinantibusque*. Porro σκινθοὶ ἀμέσως dicti Orientali sermone, nimirum ex שחה *saca natavit*, unde *socet natator*, *N* dumtaxat inser-

inserta. Hinc Gaza videtur palmam præripere Plinio, eo quod mordicus *κατὰ λέξιν* vertisse græcas voces deprehendatur. A'ίδης, seu *ἅδης orcus*, *inferi*, *mors* sine dubio venit ab איד *ed*, vel (si secundum consonas legere malimus) *aid interitus*, *calamitas*, *exitium*. Apposite אבדון est *perditio*, & *perditionis locus*; & ipse *infernus*. *Spelunca*, *σπήλαιον spelæum* fortasse deductum ex זבול *sebul habitaculum*. Ceterum tum *spelunca*, tum *σπήλαιον* est ab *σπέος*. Id vero factum a ספן *sapan*, seu צפן *zapan latuit*, & *latibulum*. *Corrugus* quid, & unde sit, docet Plinius l. XXXIII. c. 4. *Flumina jugis montium duxere: corrugos vocant, a corrivatione credo*. Mihi arridet deducere a חרוץ *caruz fossa*.

Κρουνὸς exponitur *scatebra saliens*, *fons aquæ salientis*. Facile oritur ab קור *cur*, quod in *hiphil* est *eructare*, *manare*, unde מקור *macor scaturigo*, *fons*. *Acheron*. Hoc nomine varii fluvii donati fuere. Hunc *esse ab Hebr.* אכר, quod est *turbare*, *ab aquis scilicet turbidis* credit Mazochius apud Vossium in suis additamentis. Verum simplicius dictum reor ab הקיר *echir*, seu *achir manare*, *ructare*, *scaturire* de fontibus, unde מקור *fons*, *profluvium*. Necnon *Achelous*, qua nomenclatura gaudent diversa quoque flumina, dictus ab ipso הקיר *achir*, *R* in *L* versa. Id adeo verum, ut veteres *aquam* omnem *Acheloum* appellaverint, unde etiam *aqua* ipsa forte dicta. *Lavo*, & Gr. λόω frustra apud Grammaticos quæres, unde originem jactet. At facili negotio derivantur ab Hebræo רוה *rava irrigavit*, *R* in *L* de more conversa. *Mare* diversimode ducitur a Grammaticis, qui numquam tamen Eruditis fecerunt satis. At citra dubitationem venit a מרוה *marve irrigans ubertim*. Sane universa terra veluti fasciis involvitur, atque perfunditur, irrigaturque a *Mari*. *Pontus* Gr. *πόντος* diversimode derivatur; qua de re adi Vossium: hic cum falsas etymologias illas adverterit, fassus est, *eam vocem ab Oriente petitam*. Id verissimum. Puto derivatum ex Chaldæo פתא *peta latitudo*, *N* inserto, quod oritur ex more Chaldaico. *Mergo* missis Grammaticorum pseudetymis, reor factum ex משקע *mesge* ex שקע *mergi*, *submergi*, *S* in *R* versa, quæ litterarum commutatio facillima, atque usitatissima. A'λς *mare* venit ab הזיל *isil* per metathesin ex נזל *fluxit*, unde נזלים *fluenta*. Sane apud Homerum sæpe hocce nomine nempe *τῶ fluenti* mare donatur. Necnon ex ipso נזל, *N* detracto more Defectivorum *Pe-Nun* videtur factum *θάλασσα* item *mare*. Οὐρὸς *alveus*, *fossa ἀμέσως* fluxit ab Hebraico חרוץ *aruz* idem.

A'κτὴ apud Græcos notat cum *littus*, seu *oram maritimam*, tum *fructus*, seu *fruges*. Quod spectat ad priorem significationem haud inconcinne derivari potest ab Hebraico הגדה *agada*, unde גדות *ripæ*, quæ licet sint fluminis, tamen mari accommodatæ sunt; mutatis vero *G* in *C*, & *D* in *T*. Quod vero attinet ad alteram vocis designationem forte manavit ab חחטה *acita triticum*. Id quod haud mihi videtur dignum, ut falsitatis nomine accusetur. Βαβὺη secundum Hesychium *torrens*, *χίμαῤῥος* venit vel ab אובל *fluvius* geminata *B*, vel a נבע *naba scaturivit*, *eructavit*, *N* exciso, & *B* geminata. *Sagis* unum ex ostiis, seu portus Padi, dictus a סגר *sagar clausit*, *inclusit*, unde סגר *sugar claustrum*. CA-

CAPUT II.

ABorus, Ænus, Œnus, Æant, Anien, Anio, Ana, Aous, Æus, Æminius, Ægos, Æsis, Æsius; Asara, Isara, Æsarus, Athys, Asopus, Æsapus *ab Hebræis ducuntur*. Aber *quid*, *& unde*. *Resistitur Bocharto*. Aniger, Alazon, Alba, Albis, Albunea, Alabus Ἄβολος: *Hujus germana origo contra Bochartum producitur*. Abana, Aciris, Acis. *Frustra est Bochartus*. Acheron, χαρωνεῖα, Alsa, amnis, Amnon, Anas *perperam derivatur ab eodem Auctore*. Anassum, Anatis, Andanis, Anemo, Areva, Arcus, Arius, Area, ἄρδω, Arar, Arnus, Arethusa, Arosapes, Asana, Asines, Astron, Astura, Auser, Axius, Axon, Astapus, Astusapes, Astabores *Nili denominationes*. *Notatur Bochartus*, *& Calmetus*. Ægyptus, Bilis, Belus, Jebba, Bombos, Bormia, Boagrius, Borru, Borysthenes, Burrhina *ab Orientali solo orta*.

HUc usque de *appellativis*; modo de *propriis* ἐτυμολογίζειν præstat. Ut recte res nobis cedat, elementario ordine, quoad ejus fieri potest, incedamus. Itaque ab Orientali עין *ain*, seu *en* factum *Ænus*, seu *Œnus* Germaniæ fluvius. Interea Plinius l. VI. c. 29. ait; *A sinu Ælanitico alter sinus, quem Arabes Æant vocant*. Sane illud *Æant* Orientale nomen audit, atque est ipsissimum עין *ain*, seu *en fons*. Præterea ab eadem voce עין factum *Anien*, seu *Anio*, item *Anas*, seu *Ana* flumen Hispaniæ Tharraconensis; unde & *Aous fluvius* quoque, de quo Plin. l. III. c. 23. ait: *Flumen Aous, a quibusdam Æas* (gr. Αἴας) *nominatum*. *Aborus*, de quo Stephanus de Urbibus, derivatur ab הבור *abor cisterna*, *aquarum collectio*. *Æminius* etiam fluvius dictus ab המעין *emaian fons*; Plin. l. V. c. 22. *Ab Minio . . . . . . abest Æminius*. Αἰγὸς ποταμοὶ *Ægos flumen* dictum ab הגיר *igir fluxit*, *defluxit*. *Æsis* Αἶσις fluvius Piceni dictus ab הזיל *isil fluxit*, & נזל *flumen*; unde & *Asara*, atque *Isara* dicti, qui Amnes quoque sunt. Hinc & *Æsius*, de quo idem l. V. c. 32. Amplius ab eodem הזיל *isil* factum *Æsar*, seu *Æsarus*; atque paululum mutatis vocalibus, & consonantibus inde quoque emersit *Athys* pariter flumen. *Asopus* Ἄσωπος, atque *Æsapus*, sive *Æsepus* Αἴσηπος ambo flumina ita nuncupata Hebraico vocabulo הציף *ezip*, seu *ezip fluxit*, *supernatavit*.

Aber unde Havre *apud nos vernacula vox*, *est ostium fluminis*, *& amnium confluentes apud Britannos eadem voce appellantur*, ait Bochartus Geogr. Sacr. c. 681. nam Giraldus Cambrensis l. II. c. 1. ait: *Aber lingua Britannica dicitur locus omnis ubi fluvius in fluvium cadit*; *seu sicut alibi docet*: *locus omnis ubi aqua in aquam cadit*. Ideo laudatus Bochartus duxit ab חבר *eber consociatio*, quia ibi aquis junctis, seu mari fluvii, seu duo fluvii consocientur.

tur. Verum rectius puto dictum ab עבר *eber vadum*, *transitus*, & *latus* ex עָבר *transiit*, *transgressus est*. Unde *Vair transitus*, & *Durnovaria* hoc est *fluminis transitus* oppidum Anglicum ad fluminis littus: *Isauro varia* id est *Isauræ transitus*. Adi ipsum Bochart. Geogr. Sacr. c. 1214. Cui adde barbaricum vocabulum *varo*, quod sanius exponitur *trajicio*, *transgredior*, unde *fluminis varatio* hoc est *transitus*. *Aniger* fluvius Peloponnesi dictus ab הנגר *anigar fluxit*, *defluxit*. *Alazon*, de quo ita Plinius l. VI. c. X. *mox Iberum*, *discreta ab iis amne Alazone in Cyrum e Caucasiis montibus defluente* plane dictus ab הזיל *ezil* (per metathesin) *fluxit*, *defluxit*, unde נזל *fluvius*. *Alba*; Plin. l. III. c. 3. ait *flumen Alba*, dictus ab אובל *ubal fluvius* per metathesin; Inde quoque dictus *Albis* item fluvius, de quo Plin. l. IV. c. 30. *Amnes clari in Oceanum defluunt*. *Guttalus*, *Visfillus*, *sive Vistula*, *Albis &c.* Necnon indidem quoque dicti fluvii *Albunea*. *Albula*, non vero ab *albo colore* aquæ, uti fabulantur. *Alabus* amnis proximus Hyblæ appellatus ita videtur Bocharto Geogr. Sacr. l. I. c. 538. ab הלאוה *alava*, seu *dulcedine* voce Arabica. Verum pace sua (ut contendere durum est!) aliunde petenda ejus origo. Etenim cum iste fluvius non solum nuncupatus *Alabus*, Silio *Alabis*, Hesychio Ἀλάβως, Diodoro, & Stephano Ἀλάβων, verum etiam Ἄβολος Plutarcho, ut ipse Bochartus l. I. omnino venit ab Hebraico אובל *ubal*, & rejecto ו, *abal fluvius*. Ab eodem אבל, tantum *L* in *N* versa factum *Abana flumen Damasci* teste Bocharto Geogr. Sacr. l. II. c. 6. c. 79.

Aciris de quo Plin. l. III. c. XI. omnino ita nuncupatus ab הקיר *ecir manavit*, *fluere fecit*, unde מקור *fons*, *profluvium*. *Acis* ἄκις Siciliæ fluvius frustra a Bocharto Geogr. S. l. I. c. 28. c. 538. ducitur ex Syro אחיש *achis festinare*, *citum esse*, ut חוש, & החיש Hebræis ab veriloquio hebræo הקיר *ecir*, quod proprium fluviorum est. *Acheron* fluvius sed multiplex dictus quoque videtur ab הקיר *echir manavit*, *fluere fecit*, unde מקור ut supra dictum, *fons*, *fluxus*; χαρωνεῖα vero, quæ apud Laertium in Zenone, & Geographos sunt *barathra Plutonia*, *fœdos odores exhalantia* dicta ab Hebræo חריונים *chirionim excrementa columbarum*, & מחרות *latrinæ*, & חור *caverna*, *podex*, & *excrementum*. *Alsa*, de quo Pl. l. III. c. 18. mentionem facit, factum κατὰ μετάθεσιν ab הזיל *esil fluxit*, unde נזל *flumen*. *Amnis*, & *Amnon*, cujus meminit Plin. l. VI. c. 28., ubi ait: *Flumina Thamar*, *Amnon*, dicta ab המעין *amajan fons*.

Anas est ab עין *fons*; Hinc perperam Bochart. Geogr. S. l. I. c. 35. c. 627. ductum credit vel ab ענא, quod Syris est *ovis propter ovium frequentia pascua*, vel ab punico חנאס *hanas*, quæ vox ex Arabica lingua significat *se subducere*, *se occultare*; quia in terram ita se condit, ut ex ea rursus emergat. Quin imo advocat Plinium, qui l. III. c. 1. ita loquitur: *Ortus hic Laminitano agris citerioris Hispaniæ*, *& modo se in stagna fundens*, *modo in angustias resorbens*, *aut in totum cuniculis condens*, *& sæpius nasci gaudens in Atlanticum Oceanum effunditur*. Verum hæc omnia nihil patrocinantur suæ causæ. Etenim primo uti patet, origo nostra petita est ex ipsis rei visceribus seu

seu veriloquii ; nam unusquisque norit longe præstare etyma , quæ ex ipsa re petuntur, iis , quæ ab aliquo eventu , aut aliis accidentibus derivantur . Secundo Plinius dum illius fluminis naturam depingit, ipsi minime favit ; ἁπλῶς enim Auctor fluvium describit , neque asserit , inde illi nomen partum, *quod se condit ;* sicuti revera accidit Nilo , quem , eo quod quibusdam in locis sui itineris se condit, ab illis Gentibus per quas transit, *Astapum* cognominatum, & *Astusapen* idem Plinius narrat . Heic vero amplius duo adnotantur velim ; primum , *Astapus*, atque *Astusapes* nomen Nilo impositum ab accidente, alterum , originem *Nili* trahi ab ipsa re , scilicet a נחל *torrente* . *Anassum* , de quo meminit Plinius l. III. c. 18. *Anatis* , cujus Idem quoque meminit l. V. c. 1. *Andanis* , de quo idem Plinius l. VI. c. 23. parumper litteris mutatis facta sunt ab Hebraico הנזל *anazal fluxit* , unde הנזל *anozel fluentum* . *Anemo* fluvius , de quo Plinius l. III. c. XV. dictus per metathesin a מעין *maian fons* .

Area Ἄρεια fons Thebanus . Vide Stephanum . Dictus ab הרוה *irrigavit* . *Areva* flumen apud Plinium l. III. c. 3. *Areus* apud eumdem l. V. c. ultimo , *Arius* apud eumdem l. VI. c. 23. omnino sunt ab הרוה *ireva irrigavit* , unde ה in *T* , seu δ mutato factum græcum ἄρδω , quod idem est . *Arar* , *Arnus* vel ab נהר *flumen* dicti , vel ab הרוה *irrigavit* ; Ab eodem הרות *irvat* , seu *arvat* , & הזיל ex נזל *nozel fluvius* , quasi *fluvius irrigans* dicta est *Arethusa fons multiplex* . *Arosapes* apud Plinium l. VI. c. 23. fit ab יאר *ieor* , seu אר *or fluvius* , *rivus* , & צוף *sup effluxit* , *supernatavit* . *Asana* , *Asines* fluvii apud Plinium quorum primus l. V. c. 1. alter l. III. cap. 8. *Astron* , *Astura* flumina apud Plinium unum l. V. c. 29. alterum l. III. c. V. ducta ab הזיל *istil fluxit ;* unde & *Auser* apud eumdem l. I. Inde etiam venit *Axius* , & *Axon* apud toties citatum Auctorem, quorum unum l. IV. c. 10. secundum l. V. c. 27.

At ultra progredi piaculum puto , nisi prius quasdam nomenclaturas Nili , atque ejus origines investigaverimus ; nimirum cur *Astapus* , *Astabores* , *Astusapes* nuncupatus . Bochartus Geogr. S. l. II. c. 23. c. 125. ita se habet : *Philosophus histor. Animal. l. 8. cap. 12. eosdem* (nimirum Nubas Troglodyticos ad Avalitem sinum) *habitare tradit circa paludes , ex quibus oritur Nilus . Verba sunt :* Μεταβάλλουσι γάρ (αἱ γέρανοι) ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου , ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ , ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος , περὶ ὃν οἱ Πυγμαῖοι κατοικοῦσιν . Transeunt enim (*grues*) e Scythicis campis ad paludes, quæ sunt supra Ægyptum , unde profluit Nilus : est autem locus ille circa quem Pygmæi degunt . *Nili nomine Astaboram intellige , quem plerique Veteres Nili ramum esse crediderunt . Mela l. I. cap. 9. ubi de Nilo :* In Æthiopiam diffunditur , alteraque ex parte Astaboras, altera Astapus dictus est. *Et Plin. l. V. c. 9.* Astaboras lævo alveo dictus est , hoc est ramus aquæ venientis e tenebris . *Et Solinus cap. 32.* Dextero alveo Astusapes , lævo Astabores nominantur . Hactenus Auctor ; sed unde ita dictus , haud præstitit . Attamen ut , quoad ejus fieri potest, rem acu tangamus , pressius pensitemus verba Plinii , qui l. V. c. 9. ita habet , rationem quoque hujusmodi nuncupationis

adducentis: *Conditque* (nempe Nilus) *ſe aliquot dierum itinere. Mox . . . erumpit, & hominum cœtus veluti circumſpicit. iiſdem animalium argumentis: iterum arenis receptus conditur rurſus . . . . atque ubi ſenſerit hominem proſilit fonte (ut veriſimile eſt) illo quem Nigrin vocavere. Inde Africam ab Æthiopia diſpeſcens, etiamſi non protinus populis, feris tamen & belluis frequens, ſilvarumque opifex, medios Æthiopus ſecat, cognominatus Aſtapus, quod illarum gentium lingua ſignificat aquam e tenebris profluentem*. Hinc eximitur omnis quoque ſcrupulus Calmeto dubitanti in l. Joſue cap. XIII. *num aliqua fides ſit præſtanda Theophylacto Simocattæ adſtruenti Incolas Meroas appellare Nilum Aſtapum, quod vernaculo eorum ſermone ſonat aquam ex obſcuritate ortam*. Etenim idem, uti vidimus, tradit Plinius, quin imo nullis ambagibus exprimit. Sed opus eſt, ut *Aſtapi* vocis originem extricantes, fidem liberemus. Procul dubio vox Orientalis eſt, uti ex Theophylacto, & Plinio didicimus. Sane *Aſtapus* venit ab יצפן *iſtipan* ſeu הצפן *abſcondit, ſe delituit*, unde צפן *ſtapon reconditum, res condita, theſaurus;* quod quidem veriſſimum quis comperiet, ſi verba Plinii, & Theopylacti attentius perpenderit. Jam vero pergit Plinius loco allato: *Inſulas innumeras ſpargit . . . . . . dierum quinque curſu non breviore tranſvolet: circa clariſſimam earum Meroen, Aſtabores lævo alveo dictus, hoc eſt ramus aquæ venientis e tenebris: dextro vero Aſtuſapes, quod latentis ſignificationem adjicit*. Itaque *Aſtabores* dictus ab אציל *aſtil latus*, & בור *ciſterna aquarum*. *Aſtuſapes* vero ita nuncupatus ab אציל *aſtil ala, latus*, & צפן *zapan delituit, latuit*, ſeu ספן *ſapan*, quod tantumdem eſt, & maxime quadrat iis, quæ Plinius de illo ediſſerit, nempe ita dictus dextero alveo *Aſtuſapes*, quod *latentis* ſignificationem adjicit; niſi potius ab uno הצפן *latuit, delituit*, צ geminata, atque altera in *S* verſa deducere velimus. Heic non poſſum, quin addam Heſychium docere apud Calmetum in lib. Joſ. cap. XIII., ut paulo ante attulimus, *Ægyptum* valere, perinde ac *nigrum, obſcurum*. Ad rem veriloquium expiſcari mihi blandior ex Orientali, ſeu Hebræo הגיף *egip*, quod *claudere, operire* vulgo exponunt, quod plane quadrat Ægypto. *Bilis* flumen juxta Plinium l. VI. c. 1. & *Belus* ſecundum eumdem l. V. c. 19. eſt rivus, ait enim: *Jebba rivus Pagida, ſive Belus:* Sine dubio originem ducunt ab אובל *ubal fluvius, aquarum proceſſus*, principe ſyllaba truncata, ab eodem אובל, ſeu יובל *jubal* factum quoque ipſum *Jebba;* de quo ipſe Auctor loco modo allato. *Bombos* fluvius Ciliciæ teſte Plinio l. V. c. 27. dictus videtur a בור *ciſterna aquarum*, geminata priore ſyllaba. Necnon ab eodem בור *bor ciſterna, foſſa*, & מים *maim*, ſeu מי *me aquæ* coaluit vox *Bormia* fluvius, & *Bormiæ* aquæ. *Boagrius* fluvius, de quo Plinius l. IV. c. 7. deſcendit ex voce באר *beer puteus*, ſeu בור *bor ciſterna aquarum*, & הגיר *igir* ex נגר *nigar fluxit*. Ab eodem בור *bor* dictus eſt *Borru* item fluvius, de quo loquitur Plinius l. VI. c. 23. Adde quod ex eodem בור *bor*, & הזיל *izil fluxit*, ſeu *nazal* factum *Boryſthenes* flumen, & lacus. Adi Plinium l. IV. c. XII. Burrhina fons in Inſula Co juxta Euſtathium deſcendit vel ab ipſo בור *bor*, ſeu *bur* (ו enim utrumque valet) vel a באר *beer puteus*.

CA-

CAPUT III.

CEron, Charien, Charybdis, Abydus, Choaſpes, Cyrus, Cyrnaba, Coretus, Crathis, Cryon, Crynis, Danubius, Erginus, Eraſinus, Eryannos, Erymantus, Erranoboa, Etheleum, Eudon, Evenus, Eurotas, Fucinus, Gagis, Gallus, Galeſus, Glanis, Gelon, Gela, Gerrhus, Granias, Gigarto, Gir, Gerus, Gera, Haleſus, Halis, Hylas, Hieras, Hirminium; *hujus germana origo rejecto Bocharto proponitur*. Horiſius, Hypaſis, Hypſa, Hytarnis, Icarus, Iliſſus, Inacus, Iris, Iſmenus, Iſter, Iſis, Isburo; Itargus, Ligeris, Lagous, Liris, Lixos, Luxa, Luſi, Lar, Maceſtos, Macra, Mæander, Mæon, Magæa, Magoras, Manain, Mandrum, Margis, Margo, Mazerus, Maſca, Menoba, Menotharus, Marea, Martha, Metaurum, Meſſeis, Minius, Mœnus, Morgus, Morus, Moſa, Moſſinus, Muſis *ab Orientalibus plagis profecta*.

CEron *fons* de quo ita Plinius l. XXXI. c. I. *Eudicus in Heſtiacotide fontes duos tradit eſſe, Ceronem &c.* & *Charien*, de quo citatus Auctor l. VI. c. IV. ambo ſic nuncupati ab hebraico קור *cur*, unde הקיר *ecir eructare*, *manare*, & מקור *fons*. *Charybdis* non venit ſecundum Bochartum Geogr. Sac. c. 523. a חור *chor foramen*, & אבדן *obdan perditio*, quaſi *foramen perditionis*, ſed a קרה *obvenit*, *accidit*, & קרה *occurſus*, *caſus*, *accidens* & קרת *civitas*, & אבדן *perditio*, ita ut ſignificet *locum perditionis*, ſeu ubi *accidit perditio*. Atque inde quoque *Abydum* dictam eſſe reor, nimirum quaſi *locum perditionis*, qua de cauſa ortum illud adagium *ne temere Abydum*.

Cios: Plin. l. V. cap. 22. *Amnes Hylas, & Cios cum oppido ejuſdem nominis*. Fluxit ab קור *effluxit*, *manavit*. *Choaſpes* item fluvius, cujus meminit l. VI. c. XXVII. conflatum ex קור *cur*, ſeu *cor fluxit*, *manavit*, & צוף *ſup fluens fuit*. *Cyrus flumen*, de quo ſæpicule Plinius l. VI. ſed potiſſimum ejuſdem libri capite XIII. venit a קור *cur*, ſeu *cyr*; idem etenim heic παρέργως adnotandum nempe ו Hebræorum medium eſſe inter *O*, & *U*, ideoque multoties reſpondere υ Græcorum. Ab ipſo קור, & נבע *nobe ſcaturiens*, *eructans*, quaſi *fons* (hoc enim valet קור, ſeu מקור *fons*, *profluvium*) *ſcaturiens*, dictus *Cyrnaba* fluvius. Videſis Plinium l. VI. c. XVII. *Coretus* vel ita dictus a קור ſeu מקור *fluvius*, vel חרוץ *carut foſſa*. Plinius l. IV. c. 12. ita habet: *A tergo lacus Buges, foſſa emiſſus in mare. Ipſe Buges a Coreto Mæotis lacus ſinu &c.* Unde fortaſſe *Crathis* fluvius Africæ, de quo Plinius l. XXXVII. c. 2. ait: *Maeſias Africæ locum Sicyonem appellatum, & Crathin amnem in Oceanum effluentem;* & fluvius Magnæ

 Græ-

Græciæ, de quo idem Auctor l. III. c. XI. nuncupatus est. *Cryon* amnis, de quo ipse Plinius l. V. c. 29. *Hyllum*, & *Cryon*, & *ipsos Phrygiæ*, *Misiæ*, *Lydiæ amnibus repletos*, unde profectus nisi ab eodem קור *cur*, seu מָקוֹר *profluvium*, *amnis?* Inde quoque factum *Crynis flumen;* teste Plinio l. V. c. ultimo.

Danubius sat fama nobile Germaniæ flumen dictus ab hebræo תנבע *tanaba* ex נבע *naba fluxit*, *eructavit*, *scaturivit*, *T* in *D* versa. *Erginus*, de quo ita Plinius l. IV. c. XI. *At in ora amnis Erginus*, ductus est ab הגיר *igir* per metathesin, ex *nigar fluxit*, quod verbum proprium fluviorum est. *Erasinus* fluvius, de quo Plinius l. II. cap. CIII. ita nuncupatus est ab יאר *ieor rivus*, seu *or*, & הזיל *isil* ex נזל *nasal fluxit*, & *fluens*, quasi *rivus fluens*. *Eryannos* flumen, de quo Plinius l. V. c. XXX. conflatum ex יאר *ieor*, seu *or rivus*, & הנהר *annaar fluens*. *Erymanthus* fluvius; Plinius l. IV. c. 6. *Erymanthus e monte ejusdem nominis in Alpheum defluens:* Dictus est ab יאר *ieor rivus*, seu הרוה *irrigans*, & מעין *maian fons*. *Erranoboa* amnis, de quo Plinius l. VI. c. 18. agit, fit ab יאר *ieor*, seu *or rivus*, & נבע *nobeah eructans*, *scaturiens;* ita Hebræis Proverb. XVIII. v. 4. נבע נחל *torrens eructans*. *Etheleum* amnis, de quo Plin. l. V. c. ultimo, venit ab הזיל *izil*, seu *etil* ex נזל *nazal fluxit*, & *fluvius*, Ex eodem הזיל factum *Eudon* item fluvius. Adi Plinium l. V. cap. 29. *Evenus* amnis (Plinius l. IV. cap. 2.) compactum ex עין *ain*, *vain*, seu *en fons*. *Eurotas* ab הרות *irvat* ex רוה *rava irrigavit*. *Fucinus* lacus dictus ab אפיק *afic torrens*, *alveus*.

Gagis fluvius, de quo Plinius l. XXXVI. c. 19. vel a גר *ger alveus*, *fluvius*, vel a גל *scaturigo*, geminata principe syllaba. *Gallus* de quo idem l. XXXI. c. 2. *Et in Phrygiæ Gallo flumine;* descendit ab Orientali גל *gal fluctus*, nempe *maris scaturigo* a גלל *galal volvere*, *devolvere*. Ne cui mirum videatur hunc fluvium quasi *scaturiginem* dictum, afferam in medium Plinium, qui l. II. cap. CIII. asserit quemdam fluvium in Casinate appellari *Scatebra;* verba illius ipsa sunt: *In Casinate fluvius appellatur Scatebra*. Id monui, quia sæpe fluvios ita nuncupatos offenderimus. Ex eodem גל *gal*, & הזיל *isil fluxit* composita vox *Galesus* item *fluvius*. Vide Virgilium l. IV. Georg. v. 126. Ex גל *gal* factum est *Glanis* quoque flumen, de quo Plinius l. III. c. V. Inde *Gelon* etiam dictus fons quidam. Adi Plinium l. XXXVII. c. 2. *Gela* inde quoque venit licet Geogr. S. c. 551. ipse Bochart. minus caute deducit a בלע bela *id est vorticis*, seu *vorticosus; nam Arabice* בלע bela *est aquæ vortex*, *quo naves absorbentur*, *a verbo notissimo* בלע *bala*, *quod non modo apud Arabes*, *sed apud Syros*, *& Hebræos* absorbere *est*. Verum cum pertumatio τȢ *B* in *G* nimis dura sit: addit: *Gelæ Urbis conditores Cretenses*, *& Rhodii*, *quorum dialectus erat Dorica*, *aut Æolica B*, *& G suo more permutatis pro* Bela Gelam *dixere*. *Tale pro* βάλανος γάλανος, *unde* glans, γλέφαρον *pro* βλέφαρον, πρεσγὺς *pro* πρεσβὺς &c. At hæc falsa sunt ut forte alibi ostendemus. At idem Bochartus paulo post pergit: *Alius Gelam deducet ab Hebræo verbo* גלל (galal) volvere volutare, unde גל (gal) fluctus, *tamquam a volutatione*. *Gerrhus* quem meminit Plinius l. IV. c. 12.

di-

dictus a גר *ger*, quod exponitur *alveus*, *fluxus* ex נגר *nigar fluxit*; Unde & *Granius* descendit, de quo Plinius l. VI. c. 23. Ex eodem נגר, evanescente *N* de more, atque geminata voce, ortum & *Gigarto* fons, de quo Plinius. Denique ex ipso גר ex נגר *fluxit* venit *Gir* flumen in Africa, *Gerus* Albaniæ item fluvius, & *Gera* etiam *fluvius*. *Halys*, & *Hylas*, de quo Plin. l. V. c. ult. descendunt a נחל *nahal torrens*, *N* deperdito. *Hieras* flumen, quod Bithyniam, & Galatiam disterminat secundum Plinium l. V. cap. ult. & *Hieros ex Ida* apud eumdem l. V. cap. 30. dicta ab Orientali יאר *ieor rivus*. *Hirminium*, de quo Plinius l. III. cap. 8. ait: *Siciliæ flumen Hirminium*, unde dictum, nobis in præsenti est investigandum. De eo ita Bochart. Geogr. Sacr. col. 547. Motychano flumini *succedit* Hirminium, *de quo Plinius. Forte legendum* Hyrminium, *ut sit flumen* ערמין urmin, *vel* ערמן urman aggerum, *vel cujus aquæ oppositis aggeribus coercentur. Eodem refero, quod Ptolomæus* Hormanum *amnem describit in Arabia Felici. Radix* Haram ערם *est* aggerere, coacervare. *Inde Exod. XV. 8. de mari rubro* נערמו מים coacervatæ sunt aquæ *tamquam objectis terræ molibus*. Hæc ille. Verum *Hirminium* factum ex יאר *ieor*, seu rejectis vocalibus *ir*, quod exponitur *rivus*, & מעין *maian fons* quasi *rivus fontis*; seu *rivus fons*, neque hic loquendi modus apud Hebræos est insolens; etenim Jes. XXXIII. 21. נהרים יארים *fluvii rivi*. *Horisius*, cujus meminit Plinius l. V. cap. ultimo, dictus ab יאר, seu אר *or rivus*, & הזיל *isil* ex נזל *nasal fuxit*. *Hypasis* fluvius sæpe apud Plinium, & *Hypsa* apud eumdem l. III. c. VIII. per metathesin veniunt ab הציף *esip* ex צוף *fluxit*, quod verbum proprium fluviorum est. Hinc cum hoc sit veriloquium, perperam Bochart. Geogr. Sac. c. 154. dictum putat quasi חפצא ut hebr. חפץ *delicias* sonat; scilicet *amnem deliciarum*. *Hytanis* de quo Plinius l. VI. c. 23. dictus ab הזיל *izil* ex נזל *fluxit*.

Icarus fluvius est ab הקיר *ecir eructavit*, unde מקור *profluvium*, *fons*. Vide Plinium l. VI. c. 17. *Ilissus*, cujus meminit idem l. IV. c. VII. ductus est ab הזיל *isil* per metathesin ex נזל *nazal fluxit*. *Inachus*, de quo Plinius l. IV. c. V. nuncupatus est ab עין *ain fons*, & הקיר *manavit*, *eructavit*. *Iris* Asiæ minoris fluvius, & *Iria* hoc est *Scripia* fluvius Liguriæ dictus ab יאר *ieor* (& abjectis vocalibus *ἀμέσως iris*) *rivus*. *Ismenus* compositus est ex הזיל *isil*, quod venit ex נזל *fluxit*, & *flumen*, uti toties dictum habuimus, & מעין *maian fons*. Is flumen, de quo Stephanus, ducitur ab הזיל *isil fluxit*. *Ister* exstat ab הזיל *izil*; unde etiam *Isis* fluvius dictus; non vero ab *Isidis* nomine, uti vult Bocharthus Geogr. Sac. c. 287. Ex eodem הזיל *isil*, & בור *cisterna* factum *Isburo* nomen, secus ac sensit Bochartus Geogr. Sac. c. 556. *Itargus* fluvius ortum ab התגר *itgar* ex נגר *nigar fluxit*, *N* in *L* versa. Unde eadem mutatione litterarum adhibita venit & *Lagous*, de quo Plinius l. VI. c. 7. *Liris* dictus a ריר *rir*, quod exponunt *fluxit*, *salivavit*, prima *R* in *L* versa. *Lixos* amnis, de quo Plinius l. V. c. 1. per metathesin fit a נזל *nozel fluvius*, *N* deperdita, unde fortasse & *Luxa*, *Lusi* fons apud eumdem. *Lar* fluvius Arabiæ felicis, de quo ita Bochart. Geogr. Sac. c. 99. *Hos* (*Almodæos*) *in Ptolemæi tabulis reperies pene in medio*

dio Arabiæ fœlicis prope fontes fluvii Lar, *qui in mare Persicum exit*, omnino venit a נהר *naar fluvius*, *N* in *L* versa.

Macestos fluvius, de quo loquitur Plinius l. V. c. ult. conflatum ex מקור *macor fons*, *profluvium*, & הזיל *izil fluxit*, quasi *fons fluens*. Ex eodem מקור *macor* profectum *Macra*, de quo ita paucis l. III. c. V. Plinius: *flumen Macra Liguriæ finis*. *Mæander*, seu *Mæandrus* Μαίανδρος apud Græcos nemini, nisi Orienti, acceptam referre videtur originem sui nominis sibi parti ab anfractibus, & flexibus. Hunce fluvium esse obliquum, sinuosum flexibus Bocart. Geogr. Sac. c. 85. pluribus arguit. Itaque ad etymon accedamus. Veriloquium omnino clamat esse a מעין *maian fons*, & הדור *adur*, *tortuosus*, *reflexus*, unde ex *maian adur* ἀμέσως emergit *Mæander*, seu *Mæandrus*. Sane הדורים *adurim* expon. *tortuosa*, *inæqualia*: hinc Jes. והדורים אישר *& tortuosa rectificabo*. Idque verissimum est duabus de causis: primum heic Jesaias opponit vocem הדור *adur* voci ישר. Ista autem lexis significat *rectificare*, *dirigere*, *æquare*, *complanare*, & ישר *iascar* nomen est *rectus*, *æquus* Hoc magis planum fiet ex Proverb. c. XXIX. v. 27. & c. XIV. 2. in quibus opponitur ישר voci לוז *luz*, seu נלוז, quod est idem, atque *adur*; capite enim XXIX. dicitur ישר דרך *rectus via*; capite vero XIV. vers. sec. הלך בישרו ירא יהוה ונלוז דרכיו scilicet *ambulans in rectitudine sua*, *timens Deum*, *& perversus in viis suis &c.* Ubi inter utrumque comparationem instituit. Secundum, id confirmatur ex eo quod Chaldæis, uti monet Buxtorfius, הדר *adar* est *redire*, *reverti*, unde הדור *tortuosum*, *reflexum*, & *varie rediens*. *Marea* palus vicina Alexandriæ hoc est Μάρεια λίμνη, uti ait Stephanus *de Urbibus*. Forte dicta ab מרוה *marve irrigans*. *Martha* Hetruriæ flumen, ideo phœnicium, & venit ab ipso מרות *irrigans*, tantum ה in ת conversa.

Mæon fluvius, de quo ita Stephanus: Μαιόνια, ἡ λύδια ἀπὸ Μαίονος ποταμοῦ; non aliunde derivatum, nisi a מעין *maian fons*. *Magæa* fons, de quo Plinius l. III. cap. VIII. dictus vel a מעין *magean fons*, vel a מקור *magor* idem, seu מגר *magar* ex נגר *nigar fluxit*. *Magoras*, cujus meminit Plinius l. IV. c. XX. factus ab eodem מקור *magor fons*, seu מגר. Amnis *Manaïn* l. VI. c. 23. meminit idem; *Manaïn* autem ἀμέσως descendit a מעין *maian fons*. *Mandrum*, de quo Plinius l. VI. cap. XVI. videtur dictum quasi מנתר *mantar* ex נתר Chaldaico *fluxit*, *decidit*. *Margis*, de quo Plinius l. III. c. 26. & *Margo*, de quo idem l. VI. c. 16. flumina ambo dicta vel a מקור *magor* idem, vel a מגר *magar* ex נגר *nagar fluxit*. *Mazeras*, cujus meminit Plinius l. VI. c. 16. dictus a מזל *mazal* ex נזל *nazal fluxit*. *Masca* fluvius dictus a Xenophonte l. I. *Anabas*, ab aliis *Saocoras* forte est ab משקה *masca* ex שקה *saca irrigavit*, licet Bochartus Geogr. Sac. c. 83. aliunde deducit. *Menoba*, cujus meminit Plinius l. III. c. 1. factum ex Hebraico מנבע *menoba* ex נבע *naba manavit*, *eructavit*, *fluxit*, unde מבוע *mabua scatebra*, *scaturigo*. *Menotharus* videtur conflatus ex מעין *maian fons* & נתר *netar fluxit*; unde cum emergat participium מתר, inde quoque *Metaurum* factum asserere possumus. *Messeis* fons, de quo Plinius l. IV. c. 8. dictus a מזל *masal* ex נזל *nasal fluxit*; unde & *Messanicus* dictus Padus. *Minius* non aliunde venit,

nit, nisi a מעין *maian fons*, unde & *Mœnus* item fluvius. *Morgus*, de quo Plinius l. III. c. 16. dictus vel a מקור *magor fons*, vel a מגר ex נגר *nagar fluxit*. *Morus*, de quo idem l. IV. c. 12. videtur factum, quantum conjicio a מהר ex נהר *naar fluxit*, *confluxit*; seu ex participio מרוה *marve irrigans*. *Mosa* ducitur a מזל ex נזל *nasal fluxit*; unde & *Mossinus*, de quo Plin. l.V. c. 29. & *Musis*, de quo idem l. VI. c. 9.

CAPUT IV.

NAbar, Nabrum, Narraga, Neæthus, Nestus, Nicia, Nigris, Nogrus, Niobe, Ochus, Oanus: *resistitur Bocharto*. Œscus, Ollius, Orga, Orge, Orontes, Oxus, Pactolus, Rira, Sabis, Sabrina, Sala, Salsos, Sapis, Savo, Sebinus, Selinus, Semirus, Silarus, Silis, Silys, Simois, Sirbo, Sonus, Subi, Subur, Sucro, Sybaris, Syverum, Tagus, Tanais, Tanarus, Targines, Tarne, Tarus, Tecum, Terias, Tyra, Truentum, Turium, Tiberis, Trebia, Tuberum, Temerinda, Vacca, Varus, Vinius, Via, Vien, Vior, Vistillus, Vitis, Vomanum, Visurgis, Umbro, Urium, Usar, Utus, Vulturnus, Zioberis, Zabatus *ab Oriente fluxerunt*.

N*Abar* & *Nabrum* flumina apud Plinium dicta a נבע *naba manavit*, *eructavit*, quod κυρίως fontium est. *Narraga* flumen, adi Plinium l.VI. c. 26. per metathesin factum a נגר *nigar fluxit*. *Nehætus* omnino fruticat a chaldaico נתר *netar fluxit*. *Nestus*, de hoc, atque aliis modo memoratis vide Plin., dictus a נזל *nozel flumen*. *Nicia*, de quo Plinius l. III. c.16. *Niger*, *Nigris*, de quo idem, *Nogrus*, ipse Plinius l. VI. c.4. omnes originem repetunt ab נגר *nigar fluxit*. *Niobe fons*, de quo Plin. l. IV. c. 5. dictus a נבע *naba emanavit*, *eructavit*, quod proprie de fontibus dicitur. *Ochus* descendit ab Hebræo הקיר *echir*, quod est fontium accommodum verbum; nam inde etiam est מקור *fons*. *Oanus* fluvius, de quo ita Bochart. Geogr. S. c. 549. *Camarinam ut ab Occasu Hipparis, ita Oanus ab Ortu alluit, de quo Pindarus:*

Ποταμόν τε Ὠανον ἐγχωρίαν τε λίμναν.

Flumenque Oanum, patriamque paludem.

Et Scholiastes Ποταμὸς ἐν Καμαρίνῃ Ὠανος, fluvius ad Camarinam Oanus. *Oanum Punice a Carectis puto appellari* אחונא Ahuana. *Talmudicis* ahuna *crescente voce id ipsum est*, *quod Hebræis* אחו ahu *nempe carectum*, *vulva*, *juncus*, βέτομος. Hactenus ille. At nihil moramur hocce etymon ab accidentibus, non vero ab ipsa re petitum; etenim ἀμέσως, ni fallor, factum ab עין *ain fons*. *Œscus*, cujus meminit Plinius l. III. cap. ultimo, ubi ait: *flumina clara*, *e Dardanis Margis*, *Pingus*, *Timachus*: *ex Rhodope Œscus*; descendit ab השקה *isca irrigavit*. *Ollius*, de quo Plinius pluribus in locis, dictus

ctus ab אור *or rivus*, *fluvius*, *R* in *L* versa. *Orga* flumen (videsis Plinium l. V. c. 29.) & *Orge* fons in Narbonensi provincia, de quo idem l. XVIII. c. 22. ambo per metathesin profecta ab הגיר *igir* ex נגר *nigar fluxit*. *Oroatis*, & *Orontes*, de quibus idem, videntur dicti ab הרות *eravet irriguus*, *irrigans* ex רוה *rava irrigavit*. *Oxus* venit ab השקה *isca irrigavit*, *S*, & *C* in *X* abeuntibus. *Pactolus* aurifer fluvius fingitur, idcirco dictum puto a פז *paz aurum*, & אור *or flumen*, quasi *auri fluentum*. *Rira fluvius* dictus ab ריר *rir fluxit*. *Sabis* fit ab Hebraico זב *zab*, seu *sab fluens* ex זוב *fluxit*; de quo flumine adeas Plinium. *Sabrina* Angliæ fluvius, cujus meminit Tacitus Ann. XII. c. 31. metatheseos beneficio oritur a זרב *sarab diffluere*, sicuti exponunt; vel a שבלת *fluentum*. *Sala fluvius*, & *Salsos* apud Plinium dicti a נזל *nasal fluxit*, & *flumen*, *N* de more deperdito; alternante vero littera *S* in voce *Salsos*. *Sapis* proficiscitur a צף *sap* ex צוף *effluxit*, *supernatavit*. *Savo*, *Saus* ambo flumina apud Plinium, quorum unum exstat l. III. c. V. ubi ait: *In ora Savo fluvius;* alterum l. III. c. 18. dicta a זב *sab fluens* ex *sub fluxit*. *Sebinus* lacus forte dictus a שבלת *fluentum*. *Selinus* est a נזל *nasal* seu נזל *nozel* idem per metathesin. Occurrit apud Plinium l. V. c. 30. *Semirus*, qui exstat apud eumdem l. III. cap. X. per metathesin descendit a זרם *serem inundatio*. *Silarus*, *Silis* apud Plinium l. III. c. 18. & *Silys*, de quo ita idem l. VI. c. 7. *Tanain ipsum Scythæ Silyn vocant*, omnes dicti a נזל *nasal fluxit*, & *flumen*, *N* evanescente de more hujuscemodi verborum. *Simois* venit a זוב *sub fluxit*, *B* in *M* versa. *Sirbonis* lacus dictus a זרב *diffluere*, *diffundi*. *Sonus*, de quo Plinius l. VI. c. 18. emersit a נזל *nosel flumen* per metathesin. *Subi* flumen apud Plinium l. III. c. 3. omnino venit a זוב *sub fluxit*. *Subur* apud eumdem l. V. c. 1. factum puto a סבלת *sibol*, seu *sibolet fluentum*. *Sucro fluvius* de quo idem Auctor l. III. c. 3. videtur fieri ab hebræo שקערורת *fossæ* ex שקע *demergi*, *submergi*. *Sybaris* fluvius M. Græciæ dictus a סבלת *sibolet fluentum*, *L* in *R* versa; inde quoque factum arbitror *Syverum*, de quo Plinius l. XXXVII. cap. 8. *Tagus* venit a תגר *tagar* ex נגר *nigar fluxit*. *Tanais* fluvii nomen profectum ex hebraico תנהר *tanaar* ex נהר *naar fluxit*, & *fluvius*; unde & ἀμέσως *Tanarus* item *fluvius* apud Plinium l. III. cap. 16. *Targines* apud eumdem l. 3. cap. X. exstat; videtur suam ducere originem ab תגר *tagar* ex נגר *nigar fluxit*. *Tarne fons*, de quo Plin. l. V. c. 29. *Tarne fluvius* apud eumdem l. IV. c. 19. ambo dicti a chaldaico נתר *netar fluxit*. *Tarus* fluvius apud eumdem l. 3. c. 16. *Tearus* l. IV. c. 11. descendunt utrique ab ipso נתר, de quo supra, quod significat *fluere*: *N* evanescente, uti mos est hujuscemodi verborum nationi. *Tecum* cujus meminit Plin. l. III. c. 4. videtur dictum a תקור ex קור *manavit*. *Terias*, de quo idem l. III. c. 8. venit a נתר *netar fluxit*, unde & *Tyra*, quod occurrit apud eumdem l. IV. c. 12. *Truentum*, *Turium*, & *Trinium* apud eumdem suos natales repetunt. *Tiberis*, *Trebia*, *Tuberum*, quod memorat Plinius l. VI. c. 23. facta sunt vel a סבלת *fluentum*, vel a זרב *zarab diffluere*. Sed age, quod jam prætererieram, explicemus. Plinius l. VI. c. 7. nos docet Scythas appellare Mæotin *Temerinda*, quod significat *matrem* *ma-*

maris. Itaque si fides præstanda Plinio, nimirum *Temerindam* valere *matrem maris*, ea vox conflata videtur ex אם *hem mater*, adscita ab initio litterâ *T*, quod persæpe fieri arguisse gestiunt Eruditi (quadere inter ceteros adi Vossium in de permutatione litterarum) & fortasse ירד *iarad descendere*, unde & מורד *mored descensus*, *locus declivis*, *declive*. Neque enim erit præter rem adjicere, Veteres in ea fuisse sententia, ut mare terra inferius, atque humilius esse opinarentur; hinc apud Græcos κάτω, quod significat *infra*, *deorsum*, *partem*, seu *locum inferiorem*, dicatum fuit mari. Quare κάτω exponi *ad mare*, seu *apud mare*, *in loco maritimo*, unde apud Thucididem l.I. οἱ κατω, *qui maritima incolunt*, *maritimi*; sicuti contra ἄνω, quod designat *partem superam*, *supra*, dicitur de *locis mediterraneis*. Sed opus est ut ad propositum redeamus. *Vacca* flumen, de quo Plinius mentionem facit l. IV. c. 21. dictum ab הקיר *vicir manavit*, *eructavit*, unde & מקור *fons*. *Varus*, & *Varetum* apud eumdem mihi videntur descendere ex נהר *navar*, & *naharat fluvius*, abscissa *N*, uti hisce verbis usuvenire sexcenties monuimus. *Vinius* prope Cassinum, & *Via* flumen Hispaniæ dicta ambo ab עין *vain fons*. Hinc fortasse venit fluvius *Vien*, qui a Danubio recipitur, a quo *Vien* fluvio dictam putent Urbem *Viennam*. *Vior*, de quo Plinius l. V. c. 1. dictum ab יאר *ior rivus*. *Vistillus*, seu *Vistula*, cujus Idem meminit l. IV. c. 14. *Vitis*, de quo l. III. c. 15. dicti ab הזיל *hitil*, seu *vitil fluxit*, prout effertur. *Vomanum*, quod occurrit apud Plinium l. III. c. 13. dictum reor ab המעין *vamain fons*. *Visurgis*, cujus Idem l. IV. c. 14. est ab הזיל *visil fluxit*, & הגיר *igir* idem per metathesin. *Umbro*, de quo Idem agit, factum ab עבר *veber vadum* ex עבר *transiit*, seu ex אובל *ubal fluvius*. *Urium*, de quo tibi vadem do eumdem Plinium, factum ab אור *or*, seu *ur rivus*. *Usar*, & *Utus*, de quibus eumdem adi, veniunt ab הזיל *visil*, seu *vitil fluxit*. *Vulturnus* compositus ex duabus vocibus Orientalibus nimirum ex אור *ur rivus*, & נתר *netar fluxit*, rejecta per metathesin *N* in ultimam syllabam. *Zioberis* dictus a זרב *zarab effluxit* per metathesin. *Zabatus* a זב *zab fluens*. Quoddam aliud huc mantissæ loco afferre haud nos pœniteat. *Siden vocari stagnum in Indis*, *in quo nihil innatet*, *omnia mergantur*, *Ctesias tradit*. Plin. l. XXXI. cap. 2. Ita vocatum reor a *sad* סד ex יסד *iasad fundavit*, & *iesod fundamentum*, ut *fundamentum terræ*, *montium*, eo quod omnia, quæ illuc immitterentur, omnia fundum peterent, seu ipsius fundamentum, nam in hac re idem est *fundamentum*, ac *fundus*; uti id ipsum patet ex voce *funditus*.

EXERCITATIO XVII.

CAPUT I.

BOs, Triones: *Grammaticorum deliria. Unde orta.* Bubulcus, βȣκόλος, βȣ́κος *a* בקר. O' *δαῦα notatur.* Netiron. *Conjecturæ Seldeni, & Gronovii de hujus genuina lectione. Occurritur tantis viris. Nostræ conjecturæ.* Bacis, *sicut &* Netiron *vox Ægyptiaca. Resistitur Gronovio. Ejus germana origo.* Hebo *quid. De ejus origine falsi Capacius, Goltzius, aliique. Affertur genuinum etymon. Hujus cultus, & religio ab Ægyptiis. Revera numen fuisse, non tantum symbolum fertilitatis evincitur.* Cæsar *num significet* elephantum. *Notatur Vossius, & Bochartus. Isthæc significatio ei vindicatur, & origo.* Bucerus, *βȣ́κερως falso derivantur apud Grammaticos: purum, putum est Hebræum. Quid βȣ́κερως ἄγαλμα apud Herodotum.* Isis *apud Græcos κεροφόρος, apud Latinos in* vaccam *versa, credita fuit.* Ceva, burus, biurus, *βέλλερα, unde* Bellerophon, *ab Oriente manarunt. Notantur Tusanus, & Robertus Constantinus.* Bela, *βήβην, βήκη,* dibalare *ejusdem radicis sunt.*

BOs Gr. *βοῦς*, unde dictum deblaterant Grammatici. Etenim sunt, qui ducunt a *βόω*, seu *βόσκω pasco*. Non desunt, qui profectum credunt a *βοᾶν clamare;* in quam sententiam descendere mihi visus est Vossius. At fabulæ omnia. Nam omnino factum ab אביר *abir*, unde & *Apis*, quod exponitur *taurus;* detruncata principe littera, *R* versa in *S*, cujus permutationis litterarum exempla suppeditat Vossius in de permut. litter. *Triones* quoque dicti *boves*. Hinc Varro l. VI. de l. l. ait: *Triones etiam nunc boves appellantur a bubulcis, maxime cum terram arant: e quibus valentiores dicti glebarii, quod facile glebas proscindant. Sic omnes qui terram arabant, a terra terriones. Unde triones ut dicerentur detritum.* Age videamus, quid de hac voce senserit Vossius. Is autem hæc habet: *Septemtrioni unde nomen sit, non convenit. Quidam volunt esse a* solo numero stellarum, *ut* triones *sit supplementum. Alii malunt* triones *esse* boves, *ut apud Nævium:* Trionum hic moderator rusticus. *Sane in Philoxeni Glossis legas:* Triones, *βόες ἀρχαίως. Eritque id nomen ab officio, quasi* teriones, *quia* solum terant: *vel quasi* terriones, *quia* terram arent, colantque: *vel quasi* striones *a* stria, *quam proscindendo terram faciunt. Vide Varronem l. VI. de l. l. Festum in* Septemtriones, *Gellium l. II. c. XXI. & Scaligerum, Conjectaneis in sextum Varr.* Hactenus ille. Verissimum est *triones* boves antiquitus vocatos, uti constat ex Philoxeni Glossis modo in medium productis, atque ex Varrone l. cit. ubi ait:

ait : *triones etiam nunc boves appellantur bubulcis ;* proindeque esse vocem *ἀρχαϊκὴν* scilicet Hetruscam, & per Lydios ab Oriente advectam ; ideoque Varronis tempestate unis bubulcis usitatam. Igitur rejectis Grammaticorum ineptiis, germanam illius originem præstare satagemus. Porro vox *triones* non aliunde fluxit, nisi a Chaldaico תורין *torin boves* a תור *tor bos*.

A bubus juxta Vossium in voce *bos* est *bubulcus ;* at a *bubus* emergeret *bubulus*, non *bubulcus*. Interea & *bubulcus*, & græcum *βουκόλος*, seu *βωκόλος* veniunt ab Hebræo בוקר *bocer armentarius*, *bubulcus*, tantum *R* in *L* versa ; sed geminata principe syllaba in voce *bubulcus*. Hoc etymon adeo verum, ut ex eodem fonte scilicet בוקר *bocer ἀμέσως* factum sit & græcum *βούκος*, seu *βώκος* item *bubulcus*. Et quoniam Hebræis etiam בקר *bacar* significat *bovem*, ideo inde quoque originem ducit *βοικὸς bubulus*, uti vulgo exponitur. Hinc intelligere licet, quam inepte *βουκόλος*, seu *βωκόλος* ducitur apud Grammaticos a *βοῦς* & *κόλον τροφὴ*, & a quodam nostrate recentiore Scriptore a בוא, & *κόλον*, apud quem unde ista postrema vox, altum silentium.

Netiron cognominatum taurum apud Heliopolitas docet Macrobius Satur. l. I. c. 21. cum inquit : *Taurum vero ad solem referri, multiplici ratione Ægyptius cultus ostendit, vel quia apud Heliopolim taurum Soli consecratum, quem Netiron cognominant, maxime colunt*. Sed hic consistendum, atque prius ejus vera lectio investiganda. Joannes Seldenus in Syntag. I. de Diis Syris agens de *Apide*, & *Mnevi* allegat varios Auctores, atque addit : *& Macrobii* Saturnaliorum I. cap. XXI. *ubi Taurus Heliopoli consecratus Netos, obliquo casu Neton, vocatur ; sed Librariorum ab incuria erratum est. Codex Macrobii MS. & vetustissimus in instructissimo Antiquitatis Thesauro viri tam studiis quam natalibus Clarissimi Roberti Cottoni, habet Neuton. Sed legendum* Μνεῦιν *quod in Neuton, scriptorum lapsu, facile mutabatur. Soli Mnevin, Lunae Apin sacrum scribunt &c.* Age porro audiamus alios auctores de hac lectione differentes, quos Gronovius in Macrobii notis brevi disputantes ita inducit : *V. C. Netiron Meurs. Hoc vocabulum Hispanica lingua Marti datum supra dixit Macrobius. Sed ex Stephani mutatione: nam MS. ibi cum editis omnibus* Necin, *quomodo & Ortelius allegat. Camerarius tantum & Stoeriana testantur in antiquo esse* Neton. *Hoc loco MS. cum editione anni* 1500. Neriton *Ascensius, Vesal. Camerar.* Netiron *& plerique ad marginem antiquos habere Neuton, quomodo Seldenus in MS. ut prædicat, vetustissimo invenit, cui placet* Mnevin, *quem sequitur Grotius ad Exodon, & hactenus acquiesco*. Hæc Gronovius. At cum fere ubique *Neton*, vel *Neriton*, vel *Netiron* in MSS. occurrat, numquam vero secus, nescio, qua fronte adeo depravatam esse lectionem obtrudant? At id natum ex inscitia originis. Jam vero tempus postulat, ut ad rem accedamus. Porro istud vocabulum mere orientale audit, sicuti cetera Ægyptia, de quibus partim heic agit Macrobius. Sive *Neton*, vel *Neuton*, sive *Netiron* leges, omnino defluxit ab orientali תור *tor*, seu התור *ator bos*, *taurus*. Ceterum suspicor Auctorem scriptum reliquisse *Ator* ex התור *bos*, *taurus*, unde corrupte librariorum inscitia, sive incuria *Neuton*, & *Netiron* emersit. Id innititur validissimis rationum momentis. Nam cum inter litteras maximas *A*,

& *N* discrimen parvum intercedat, quidam amanuenses vocem *Ator* haud integram esse existimantes dilatarunt in *Netiron*, alii vero ultimam litteram *r* rati esse *n* legerunt, atque transcripserunt *Neton*. Hinc in MSS. *Netiron*, & *Neton* occurrit. Nulli dubitandum, quin *Ator*, vel *Atyr* sit genuina lectio. Etenim *Netos*, seu *Netiron* Macrobianum erat vocabulum Heliopolitarum, scilicet Ægyptium. Peropportune Hesychius tradit apud Ægyptios *Bos* Ἀθὺρ dictum: ubi ait: Ἀθὺρ μὴν, καὶ Βοῦς παρ' Αἰγυπτίοις. Atque ita Gordius nodus solutus.

Bacchin, seu *Bacin* cognominari taurum apud incolas oppidi Hermunti auctor est idem Macrobius l. I. c. XXI. Satur. cum inquit: *Taurum vero ad solem referri multiplici ratione Ægyptius cultus ostendit, vel quia . . . vel quia in oppido Hermunti magnifico Apollinis templo, consecratum Soli colunt taurum Bacchin cognominantes.* Antequam ejus originem exspiscari aggrediamur, operæ pretium duco monere Gronovium in suo Macrobio habere *Pacin* pro *Bacin*: in indice tamen sub littera B *Bacis*, *vel Pacis*. Sed nullam rationem attulit, ob quam pro *Bacchin*, seu *Bacin*, quod utroque modo non alio ubique in omnibus Codicibus constantissime legitur, subrogare *Pacin* temere ausus fuerit. Id familiare quibusdam viris doctissimis, qui tractu temporis adeo sibi confidunt, ut libere de omnibus pronuncient, & pro lubidine nulla reddita ratione addere, & mutare in auctoribus ament. Atque hæc παρέργως. *Bacis* autem dubio procul cum pariter sit vocabulum Ægyptium, & cultus secundum Macrobium, experiamur an id verum sit. Profecto ita est, etenim id nomen fluxit ex orientali בקר *Bacar bos*.

Porro cum heic mentio injecta sit de tauro, quod nimirum ad solem referatur multiplici nomine ex Ægyptio cultu, uti paulo ante adstruxit Macrobius, de *Ebone* disserendi belle sese offert occasio. Quis autem hic Deus fuerit, videtur incertum. Alii Apollinem, seu Solem, alii Bacchum, seu Liberum esse statuunt. Adeas Summont. l. I. At Macrobio Satur. l. I. c. 18. est idem, atque Apollo, Sol, atque ipse Bacchus, qui omnes apud ipsum unus, idemque Deus, Sol nempe; hinc ait: *Sed licet illo prius asserto, eundem esse Apollinem, ac Solem, edoctoque postea ipsum esse Liberum patrem, qui Apollo est, nulla ex his dubitatio fit, Solem, ac Liberum patrem ejusdem numinis habendum, absolute tamen hoc argumentis liquidioribus astruetur. In sacris enim hæc religiosi arcani observatio tenetur; ut cum Sol in supero id est in diurno hemisphærio est, Apollo vocitetur; cum in infero id est nocturno, Dionysus, qui est Liber pater, habeatur. Item Liberi patris simulacra partim, puerili ætate, partim juvenis fingunt. Præterea barbata specie, senili quoque, uti Græci ejus, quem Bassarea, item quem Brisea appellant: & ut in Campania Neapolitani celebrant Ebona cognominantes. Hæ autem ætates ad Solem referuntur.* Hæc Macrobius. Joannes Petrus Bellorius in notis Numismatum tum Ephesiorum, tum aliarum urbium apibus insignitorum apud Gronov. tom. 7. edit. Ven. 1735. in numismate, quod præfert Νεοπολίτης ita habet: Νεοπολίτης. Neapolis. *Bos humano ore conspicuus. Hebo est Neapolitanae præcipuum, aliarumque Campaniæ, & Siciliæ urbium tutelare numen: de quo Macrobius Apollinem, Liberumque unum, eundemque Deum esse probans: item Liberi*

beri patris . . . . . . Hebona *cognominantes*. *Ejusdem numinis ratio*, *& figura promissa barba ad radiorum similitudinem*, *virtutem Solis in terrena demonstrat*. Ita Bellorius. Hoc numen fuisse tutelare non solum Neapoleos, verum etiam aliarum Campaniæ Urbium scribit quoque Reinesius var. lect. lib. III. c. 16. *Ebonem Neapolitanorum numen tutelare fuisse ex ista inscriptione* (quam paulo ante produxerat) *Macrob. l. 1. Saturn. cap. 18. & 1. 1. Pontani Urania cognoscimus : Cum barbatum humana facie*, *taurino corpore exhibent numi veteres : non igitur ἀπὸ τῆς ἥβης ita dictus fuerit*, *ut vult Capacius : verosimilius est*, *veteres Campaniæ incolas Oscos*, *Opicos*, *Auruncos vel Tuscos numen suæ regionis* (*fuit enim præterquam Neapolitanorum*, *etiam Nolanorum*, *Puteolitarum*, *Atellanorum*, *Messanorum*, *Capuanorum πατρῷον*, *& proprium*) *idem cum Sole*, *Apolline*, *Mithra*, *Serapi lingua populari sic adpellasse ; Cumanos autem advenas*, *& ex his Neapolitanos Numinis indigenæ cultum cum nomine antiquo*, *cujus originem etiam ignorarent*, *retinuisse*, *ut solemus vetusta admirari ; certe a Græcis Hebonem non acceperunt*. Sed ante Reinesium jam Capacius docuerat fuisse πατρῷον ποντεολίτων, Ἀτελλάνων, Νωλαίων, Καλεντίνων. Quem adeas l. I. c. 14. Hist. Neapol. Sed plurimi numi ex hujusmodi albo expungendi. Quadere adi summum Virum Nicolaum Ignarra in opere *de Palæstra Neapolitana* dissert. de *Buthysiæ agone Puteolano* præcipue in nota 18.

Praeterea Ebonem esse eundem, ac solem inde facile evincitur, quod sicut taurus armatur cornibus, Baccho cornua donantur, sic sol radiis. Ad rem heic audire praestat ipsum Macrobium Satur. l. I. c. 21. *Ideo & Ammonem*, *quem deum solem occidentem Lybies existimant*, *arietinis cornibus fingunt*, *quibus maxime id animal valet*, *sicut radiis Sol*. Demum id magis, magisque suadetur ab ipso Macrobio ibidem, qui ita pergit : *Taurum vero ad solem referri multiplici ratione Aegyptius cultus ostendit*, *vel quia apud Heliopolim taurum soli consecratum*, *quem Netiron* (*seu Neton*) *cognominant*, *maxime colunt : vel quia bos Apis in civitate Memphi solis instar excipitur : vel quia in oppido Hermunti magnifico Apollinis templo consecratum soli colunt taurum*. *Bacin cognominantes insignem miraculis convenientibus naturae Solis*. Hinc conficitur taurum Soli consecratum apud Aegyptios, Apin Solis instar excipi, atque hunc cultum in Ægypto viguisse. His brevi adspersis, facillimus aperitur aditus ad rei veritatem assequendam. Etenim sicut *Apis*, qui solis instar exceptus dictus ab אביר *abir bos*, seu *taurus* ; & *Serapis*, qui non alius, quam Sol ipse, uti docet Macrob. eodem Saturn. l. fortasse verius dicitur a שׁוֹר *scor bos*, & אביר *abir taurus*, seu *fortis*, vel ab אַפַּיִם *vultus*, hoc est *vultus bovis* : sic *Ebo* non aliunde venit, nisi ab ipso אביר *abir taurus*, ad Græcæ linguæ genium emollita, atque deflexa voce. Hinc falsus est Hubertus Goltzius in Sicilia, & M. Græcia ; putavit enim *Hebonem vocari*, *ut Hebe : id est a prima lanugine*, *& molli teneraque ætate*. Eundem errorem hausisse Capacium supra vidimus. Sed non esse græcæ originis contendit Reinesius, licet ejus originem non adposuit. Neque de origine nos fefellit opinio. Nam apud Ægyptios, atque Orientales bovis, seu vitulorum cultus viguit, percrebuitque : quadere Exodi, & Regum liber adeundus. Ab Orien-

Orientalibus autem, seu Ægyptiis, quorum religio Neapolim partim pervasit, hocce nomen profectum. Quamobrem ægre fero Cl. Martorellium in Theca Calamaria scripsisse dictum *Hebonem* quasi הבין *intelligentem, prudentem.*

Verum heic implexae quaestionis campus aperitur. Porro Eruditi, quod attinet ad Hebonem sub forma bovis, seu tauri varie rationem reddere conati sunt. Ad rem Capacius ait: *Quod vero ad taurinam, vel baccinam formam spectat, aut majorum stemma, Theseum scilicet Neapolitani illam referent, cujus animal illud erat insigne, atque Neapolitani eo uti poterant, ut Chalcidenses, Euboicique referebant Thesei bovem ad Minotaurum ab eo occisum, aut ad Taurum Marathonium ab eo superatum, vel ut inquit Plutarchus, ad agriculturam, quam suis civibus persuadere cupiebat, ideoque Pollux monetæ meminit, quæ bos dicebatur apud Athenienses, quoniam bovem sculptum habebat. Alii bovem populare animal &c.* Quem videas rogo, & Goltzium in Sicilia, & M. Græcia. Ceterum est qui numos M. Græciæ, & Siculos biformi monstro insignitos haud Ebonem denotare certat, & nihil aliud audire apud hosce populos, nisi symbolum agriculturæ, & felicitatis agrorum omnino contendit. Is est Nicolaus Ignarra vir apprime in litteris excultus, qui in eruditissimo commentario *de Palæstra Neap.* in dissertatione de *Buthysiæ agone Puteolano* demonstrare id adlaboravit, rejecta, & proscripta illorum sententia, qui *Minotaurum*, *vel Neptunum*, *vel Ebonem* significare tuerentur.

At heic subsistere oportet, & præclarissimum virum differentem audire. Porro ipse ut verba Macrobii Saturn. loco citato attulit nimirum, *item Liberi patris simulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt; præterea barbata specie, senili quoque, uti Græci ejus, quem Bassarea, item quem Brisea appellant; & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes*, in hunc modum disputat. *Qua in descriptione Bacchi, nemo non humanam speciem agnovisset; & tamen I. Cæsar Capacius* Histor. Neapol. *l.* 1. *c.* 14. *Matthæus Ægyptius in* De Sen. Consulto Bacchan. *p.* 30. *Cl. Scriptor* Thec. Calam. *p. 673. quique eum Italice pene ad verbum reddidit, ornatissimus* Coloniarum Phœniciarum in Regnum Neap. *deductor p. 226. seqq. cum de imponendo nomine illi monstro monetali satagerent, nec aliunde quod aliud promerent, habuissent, commenti sunt Liberum patrem barbata specie, quemadmodum a Macrobio describitur, universim sub eo monstro latere in nummis Acarnaniæ, Siciliæ, & Campaniæ; sic tamen, ut nummis aliis Græcanicis* Bassareus, *vel* Briseus, *in nummis vero Campaniæ* Hebon *cognominandus sit. Inde plura de Hebone differunt . . . . Equidem ut eorum studio hac in parte velificem, non diffiteor Hebonem in honore maximo habitum, nec Neapoli solum, sed & Calatiæ, & in universa Campania: sed hoc unum nego, Hebonem in taurum, humano vultu superstite transformatum usquam conspici, aut significari. Nam si de Macrobii verbis, quæ sola pro adstruendo tauriformi Hebone jactantur a nostris, agitur; nimis intuta res est; ille enim Liberum patrem nunc puerili ætate, nunc barbata, ac senili specie describens, nonnisi naturalem vel pueri, vel barbati senis imaginem excitat animo, ac veluti sistit ob oculos. Unde ergo tam repente cornua ei in fronte pullularint? Et cornua quidem*

dem Liberi patris facilius ferri possent ; quandoquidem hæc cum aliis diis communia ille haberet. Sed quis adeo contumeliose de Baccho sensit, ut & humanum ejus statum prodigialiter incurvaret, & prægrandes aures ad buceri pecoris similitudinem appingeret? Porro ubinam, quæso, Hebon sic transformatus aut describitur, aut pingitur? non alibi certe, nisi in nostrorum præstigiatorum acetabulis; & hi quidem Hebone, ut rentur, a se in nummis Campaniæ demonstrato, tanta jubilatione gestiunt, ut non vehementius olim Ægyptii Sacerdotes invento Api exultaverint. Ita memoratus Auctor.

Sed antequam ulterius progrediamur, non possum, quin παρέργως perstringam tantum virum criminantem dumtaxat triumviros Capacium, Ægyptium, & Martorellium. Ecqua enim caussa est, cur non quoque in Bellorium, Reinesium, & Philippum a Turre præter e nostratibus alios inveheretur? Causam alii investigent. Sane eandem opinionem auctores non sordidi tutati sunt. Sed ad rem accedamus.

Ut res implexa expediatur, & magis, magisque elucescat, altius repeti oportet. *Bovis*, seu *Tauri* religio in Ægypto natales habuit, atque ibi alta ad miraculum floruit, uti superius innuimus, inde deinceps ad alios populos pervasit. *Apis*, seu *Osiris*, eo quod agriculturam Ægyptios docuerit, aliaque ad agros pertinentia, iccirco sub imagine bovis, quod fertilitatis symbolum, propterea quod id animal laboris patiens, & agris colendis unice natum, tamquam numina culta. *Apis bovem* sonat ἀπὸ τȣ̃ אביר; *Osiris* item ab השור *asor bovem* designat, haud secus *Ebo taurum*, seu *bovem* ab ipso אביר *abir* exprimit. Quamobrem ea rationum momenta, quæ *Apin*, & *Osirin* vera numina exstitisse, licet culta sub forma bovis fertilitatis symbolo, eadem *Hebona* verum numen audiisse, atque inde jure nuncupatum, etiamsi fuerit fertilitatis symbolum, facile arguunt. Sane ei divinus honos tributus sub hac imagine; nam ipsius simulacra, & imagines, quas Neapoli, aut in Campania offendi certissimum est, id omnino evincunt. Porro apud Macrobium Deus prædicatur. Hic enim Satur. l. 1. c. 8. postquam patefecerit unum, eumdemque Apollinem, Solem, atque Liberum patrem, addit, *uti Greci quem Bassarea, item quem Brisea appellant: ut & in Campania Neapolitani celebrant Ebona cognominantes*. Quare uno tantum nomine distat ab Apolline, Sole, seu Libero patre, atque idem, ac Apollo, & Dionysus apud Græcos. In quo haud multum a nostra discrepat sententia.

Heic oportet rem propius, & penitius introspicere, ut tanti viri querelis summatim satisfaciamus. Porro cornibus Deos ornatos translatitium est. Imo Dii sæpe nomenclatura τȣ̃ ταῦρος apud Græcos potissimum (quod heic animadversione dignum, atque ad rem est) insigniti. Hinc apud Hesychium Neptunus ταῦρος dictus proditur, & in nummis Posidoniatarum, qui a Neptuno nomen habuere, non raro *Taurus* occurrit; uti ipse Vir Cl. non inficiatur. Demum, quod caput est, & familiam ducit, ipse Bacchus, qui idem, atque Hebo secundum Macrobium, ταῦρος ab Poëtis fuerit antiquitus dictus. Hinc Spanhem. in differt. VII. de usu, & præstantia num. t. II.

ha-

habet: *Bacchum vero quod attinet, & cujus juxta nonnullos, uti ea de re Plutarchus, illa* Βούκερως *Isis uxor fuerit, vel ex ejus residuis adhuc signis liquet, cur ille* ταῦρος, *&* ταυρόκερως *dictus fuerit, ut alicubi Athenæus observat, a Poetis antiquis.* Hæc Spanhemius: sed de hac re imprimis adeundus ejusdem Athenaei liber secundus.

Idem suadetur ex tabula Mithriaca, quam in Æde Burghesiana repertam exhibet Philippus a Turre in monumentis veteris Antii de Mithra cap. IV. pag. 193. seqq.. In illa enim adparet expressus *Taurus*, in cujus ventre exstat epigraphe, *Soli Deo Invicto Mithræ*, & Juvenis etiam visitur; sed alio quoque modo concepta occurrit scilicet, DEO SOLI INVICTO MITHRÆ. Videatur Thomas Reinesius in variarum lectionum l. III. c. XVI. qui ipsum simulacrum taurinum Mithræ repertum in crypta templi cujusdam Romæ idem, atque Hebonis esse putat, atque ita rem conficit: *Patet ad Neapolitanos, & eorum religionem id pertinere, tum etiam quia duplici idiomate concepta est epigraphe, quod consuevisse Neapolitanos* ὑπευθύνες *Romanis modo diximus.* Ad rem in suburbio extra portam Campanam ad Divi Antonii olim hujusmodi tabula marmorea exstabat. Hanc Philippus a Turre loco supra allato, & Summontius quoque meminerunt, atque ad Hebonem referunt.

Haud absimilis ab hisce, aliisque tabulis, quas Gruterus, Sponius, Reinesius, & Philippus a Turre producunt, alia pariter marmorea exstabat in prædio Ducis Mileti ad Pausilypon Mithram, seu Hebonem exprimens. Hanc multis ab hinc annis ipse vidit, oculis attente lustravit, mihique amicissime communicavit Vir Cl. *Antonius Chiarito* ὁ μακαρίτης.

Itaque quamquam numi Siciliæ, M. Græciæ, & Campaniæ non *Hebonem* præseferrent, sed symbolum fertilitatis, & ad Hebonem nullo pacto pertinerent, tamen nihil inde incommodi contra nostram originem crearetur. Etenim ex iis, quæ hactenus disputavimus, origo *Hebonis* ab אביר h.e. *bove* deducta adeo mihi videtur corroborata, ut nihil supra. Utrum vero eadem argumenta pro adstruendo Hebone præfatis numis suffragentur, atque velificentur, eruditi excutiant, expendantque.

Ceterum si pro hac quoque re certandum, adhuc tanti Viri difficultates diluendæ. Potissima ejus ratio eo spectat, atque in hoc sita est nimirum in iis numis, qui Hebonis esse feruntur, humanum vultum superstitem esse, sed haud *Hebonem in taurum, humano vultu superstite, transformatum usquam conspici, aut significari;* & pergit *contumeliosum esse Bacchi humanum statum prodigialiter incurvare, & prægrandes aures ad bucceri pecoris similitudinem appingere.* At huic argumento facturum satis spero. Quem enim latent Deorum metamorphoses? Nonne Isis Βούκερως? Nonne Astarte, teste Sanchoniatone apud Eusebium, Præpar. l. I. cap. ult., expressa erat capite bubulo, & cornibus? Hinc si nihil vetat, quin Diis cornua, & caput bubulum affingantur, & ταῦρος ipse Bacchus qui idem, atque Hebo, appelletur, nihil quoque intercedet, quominus Hebo pingatur Bos cornibus tantum ore humano, non vero aliis membris humanis conspicuus. Neque id temere factum. Nam Hebo audit So-

Solem juxta Macrobium. Sol autem ore humano radiis veluti cornibus instructus fingitur, uti pictum norunt omnes. En ergo cur in iis numis vultu hominis ornatus Hebo taurus adpareat. Piaculum vero esset omittere *boves*, & *tauros* Soli fuisse devotos, uti supra ex Macrobio probatum.

Non vero heic prætereundum, quod Jo: Bellorius de Hebonis numinis figura, & ratione differens tradidit, uti supra dictum: *ejusdem numinis ratio, & figura, promissa barba ad radiorum similitudinem, virtutem Solis in terrena demonstrat*. Sane id quoque non parvi momenti est: nam ex Sole non solum fertilitas, verum etiam alia quoque munera ex ejus virtute in terrena proficiscuntur. Hinc patet quamobrem uni Campaniæ, & quibusdam Siciliæ Urbibus feracibus id numen addictum; non vero universæ Siciliæ, & Neapolitano regno commune fuerit.

Sed ut verum fatear, id unum obstare videtur, quominus ii nummi præseferant Hebonem, id nempe quod Macrobius tantum in Campania ejus cultum floruisse asserat, cum contra ii numi etiam ad Siciliæ, aliasque urbes extendantur. At id multis de causis accidere potuit; & potissimum quia id eum latuerit.

Age modo gradum faciamus ad vocem *Cæsar*, & videamus num *Elephantem* notet; quod quidem ad miraculum crucem fixit Eruditis. Ecce tibi Servius qui l. I. Æneidos docet: *Cæsar vel quod cæso matris utero natus est vel quod avus ejus in Africa occidit Elephantum, qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua*. Spartianus in Ælio Vero idem adstruit: *Cæsarem, vel ab Elephanto (qui lingua Maurorum Cæsar dicitur) in prœlio cæso, eum qui primus appellatus est doctissimi, & eruditissimi viri putant dictum, vel quia &c.* Vossius relatis duobus aliis etymis, addit: *at tertium* nimirum quod *Cæsar* dictus sit ab *Elephanto* (qui lingua Maurorum *Cæsar* dicitur) *non indignum est, de quo cogitetur. Nam multa nomina punica in ar desiere: ut hoc quoque nomen aliquid punicum videatur redolere: & nisi* Cæsar *esset Elephas Pœnis, unde id Spartianus, & Servius hausissent? Fortasse & hanc sententiam confirmant Cæsaris nummi cum nota Elephanti: quos inter unicus est punicis litteris circa Elephantum inscriptus*. Hæc ille pro allato etymo. At postea vertit sententiam, atque ita ferme persequitur: nimirum, *hoc argumentum non esse adeo firmum: cum ejus imaginis aliam causam adferre possimus, quam quod Cæsar hoc pacto publicare voluerit originem familiæ suæ. Nam Carolus Sigonius libello de nominibus Romanis, ostendit, instrumenta in altera nummi facie non esse interimendi elephanti, sed pontificalia, quæ Divo Julio Cæsari consecrato tributa sint ab Augusto, qui in patris Pont. Max. honorem hunc nummum percusserit: eoque elephantem quoque, qui ab altera parte conspicitur, consecrationis symbolum videri. Adhæc Claudius aviæ Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem curaverat. Accedit, quod elephanto subjiciatur anguis heroibus sacer*. Post hæc ita conficit: *Nec video, quid adversus ista dicere possimus, nisi forte illud, eo elephantum pro symbolo Julii elegisse Augustum, quia inde Cæsarum familia nomen haberet. Mihi tamen potius Latinum hoc nomen, quam Punicum videtur: ut nempe cæsaries causa sit appellationis*.

Verum, ut lis inter Eruditos componatur, fatemur ingenue non esse certum *Cæsar* Juliorum cognomen esse desumtum a punica voce *Cæsar*, quod *elephantem* denotet, sed jure contendimus *Cæsar* esse vocem punicam, quæ *elephantem* significet; etenim ut ipse Vossius non diffitetur, nisi *Cæsar elephas* apud Pœnos, seu Mauros esset, unde Servius, & Spartianus id hausissent? Denique origo, quam mox afferemus, id invicte præstat. Interea commiserari potius, quam confutare oportet Bochartum, qui tom. 1. l. 2. cap. 23. postquam in medium produxit Servium, & Spartianum docentes *Cæsar* Maurorum, seu punica lingua *elephantem* notare, addit: *Quin Cæsar apud priscos Romanos τὸν κυριῶντα id est* cæsarie insignem *significavit. Inde igitur Cæsar dictus est primus Cæsarum. Et a Cæsaribus nomen habuit Mauritania* Cæsariensis, *a qua rursus Cæsares elephantes in ea nati*. At Bocharto evincendum esset antequam Mauritania dicta sit *Cæsariensis*, *Cæsar* non significare *Elephantem* apud Mauros. Denique cui bono Elephantes *Cæsares* a *Cæsare* id est Julio dicti? Potissimum cum id sit contra atque Servius & Spartianus narrant. Demum Bochartus adstruit *Cæsarem* apud Romanos veteres, significare τὸν κυριῶντα id est *cæsarie insignem*. At τὸν κυριῶντα significare *insignem cæsarie* minime novi.

At idem Auctor tom. 11. nempe Geog. S. c. 735. alia pauca adjiciens haud multo secius eamdem telam orditur: ubi ait: *Nihilo verius, quod asserit idem Servius in primum Æneidos, Julium Cæsarem ideo dictum, quod avus ejus in Africa manu propria occidit elephantem, qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua. Neque ab avo Julii Cæsaris nomen incœpit. Jam ante Samniticum bellum floruisse Claudium Cæsarem docti observant. Quo ævo inter Romanos, & Pœnos nullum intercessit commercium. Itaque Cæsar Latinum nomen est, quo quid significetur, abunde docet Romana vox cæsaries inde deducta. Cæsar denique pro Elephanto Punicum verbum non est, sed ex Maurorum lingua, ut in Ælio Vero Spartianus diserte asserit. Tamen Servio assentitur Constantinus Manasses, cujus verba sunt pag.* 21. Καίσαρες γὰρ ἐλέφαντες τοῖς φοινιξὶ καλοῦνται. Hæc ille, qui heic nobiscum amice conjurat.

Sed age rem propius spectemus, atque ad etymon properemus. Porro rem ita expediri posse reor. *Elephas* Latinis dictus ab אלף *eleph bos*, atque etiam *elephantes* nuncupati *Lucæ boves* eo quod Romani, cum elephantes primum conspexerint in Lucania Pyrri bello, *boves* nominavere, quia maximos quadrupedes, quos ipsi haberent, *boves* appellarent. Adde quod *barrus* hoc est elephas venit a בער *brutum*, *jumentum*, *pecus*. Apposite Isidorus Orig. l. XII. cap. 2. ait *Apud Indos voce barro vocatur, unde & vox ejus barritus dicitur*. Igitur apud Indos etiam, nisi nobis Isidorum imposuisse velis, *Elephas* vocatur voce, quæ *jumentum*, *pecus*, atque *omne animal brutum*, iccirco etiam *bovem* notat. His fortasse de causis Pœni, seu Mauri illum vocitarunt כשור *cesor*, seu *cesar* voce composita ex כ *ce sicut*, quæ cum sit præfixum ita adhæret vocabulo proxime insequenti, ut in unam vocem coalescat, & שור *sor bos*, seu ab unica voce *scior* aliquantula metathesi adhibita. Hoc apud doctos justos rerum æstimatores omne punctum omnino laturum confido. Noli-

mi.

mirari, Pœnos, seu Mauros ita *elephantem* quasi ferruminata & coagmentata non vero unica voce coactos nuncupare. Admiratio enim magis, magisque evanescet, si iis, quæ modo aspersimus, alia addemus. Porro autem ut rei causam investigemus, operæ pretium monere, apud Hebræos, Phœnicios, aliosque Orientales non occurrere peculiarem vocem, qua designatur *Elephas*, nisi fortasse hæc significatio contenta sub generali nomine veluti בער h.e. *bruti*, unde apud Indos *barrus* elephas nuncupatus. Id videtur manifeste colligi ex Chaldæis, qui, cum alia vox non suppeteret, qua *Elephantum* vocitarent, ex Hebræo אלף *elep*, qui *bovem* denotat, per metathesin פיל *pil* sibi pro *elephanto* subrogarunt. En quo omnia Grammaticorum somnia recidunt.

Bucerus gr. Βȣ́κερως *a* Βȣ̃ς, *& κέρας ut proprie sit* bubulis præditus cornibus. *Nisi* Βȣ̃ *hic auget, ut sit* ingentia habens cornua. *Sed prius magis placet, ut boves significet.* Hæc de origine hujus vocis habet Vossius, quas quisquilias ex veteribus Grammaticis Græcis collegit. At isthæc sunt ἀσύςατα. Porro germanum etymon est Hebraicum בקר *bacer bos, boves, armentum*. Hinc patet, cur Festus ait, *bucerum pecus de bubus dici*, & Lucretius l. V. v. 863. *bucera secla*, & Ovidius lib. I. Metam. *armenta bucera*. Inde quoque Græcis fluxit Βούκερως, quod vulgo redditur *bubulis præditus cornibus*. Apud Herodotum l. II. 41. Βούκερων ἄγαλμα occurrit, atque explicatur ἁπλῶς *bubulis cornibus donatum simulacrum*, uti quoque contendit Ezechiel Spanhemius T. II. de usu, & Præstantia Numis. in dissertatione, quam erudite de more adornavit de voce apud Græcos κέρατι, & apud Latinos *cornu*. Verum potius reddendum *simulacrum bubulum*, *referens bovem*, aut certe *caput*, & *cornua bovis*. Sed Herodoti verba loco supra citato sunt pensitanda; quæ ita se habent: τὸ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον, Βȣ́κερων ἐςι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφȣσι: Nimirum *Isidis simulacrum muliebre bubulis præditum est cornibus, quemadmodum Io Græci pingunt*. Porro monendum vocem Βȣ́κερων reddi *bubulis præditum cornibus*, sed utrum *bubula cornua* ἁπλῶς, an *caput bubulum* intelligatur, non omnino liquet. Sed Philostratus in vita Apollonii Tyanensis l. I. c. 19. litem dirimere voluisse videtur, ubi ait: Καὶ ἀφικνεῖται ἐς τὴν ἀρχαίαν Νῖνον ἐν ᾗ ἄγαλμα ἵδρυται τρόπον βάρβαρον ἐςι δὲ ἄρα Ἰὼ ἡ Ἰνάχȣ, καὶ κέρατα τῶν κροταφων ἐκκρȣ́ει μικρὰ καὶ οἷον μέλλοντα. ἐνταῦθα διατρίβοντι, καὶ πλεία ξυνιέντι περὶ τȣ̃ ἀγάλματος ἢ οἱ ἱερεῖς καὶ προφῆται, προσεφοίτησε Δάμις ὁ Νίνιος &c. Quod ita Interpres: *Venit itaque antiquam Ninum, ubi statua posita est habitu barbaro. Est autem Ius Inachi filiæ, cujus ab utroque tempore parva, & quasi modo venientia prominent cornua. Hic commoranti pluraque de statua, quam Sacerdotes, aut Prophetæ comperta habenti occurrit Damis Ninius &c.* Nimirum statuit circa tempora Isidis prodire cornua, cujus statua omnino hominis integra ei fuisse videtur. Suidas in eamdem sententiam descendit: ait enim, Isin Ægyptum petivisse, ibi ab Ægyptiis cultam, atque in capite ejus simulacri cornua afficta, ut ab Jove olim in vaccam versam indicarent.

Verum heic audire præstat Gottfridum Olearium in notis Apollonii ad verba Ἰὼ ἡ Ἰνάχȣ, ubi ita adnotat: *Vel ut Apollodorus habet l. 2. Argi, & Isme-*

Ismenes Asopi filiæ. De qua a Junone Zelotypa in candidam vaccam mutatu passim Mythographi. Quæ causa, quod paulo post in statua ejus parva cornua observentur mutationis illius indicium, quod Ius statuæ apud Græcos præseferebant, ut auctor est Herodotus l. I. p. 66. Hæc Gottfridus. Hinc ex Latinis Poëtæ *Io* in vaccam fuisse versam finxerunt, atque Mythologi de integra *Io* metamorphosi in vaccam intelligere non renuerunt. Plane *Io* una eademque vox totidemque litteris apud Græcos, ac Latinos constat. Porro Astartem expressam fuisse capite bubulo, & cornibus docet Sanchoniathon apud Eusebium Præparat. l. I. c. ult. Atque una eademque erat Astarte apud Syros, & Isis apud Græcos. Ceterum, quidquid sit de hac re, Græcis videtur Io tantum κεροφόρος, quemadmodum pinxisse Græcos narrat Philostratus, Latinis vero audire *vacca*, nempe in vaccam fuisse versa. Itaque cum Astarte apud Syros capite bubulo, & cornibus expressa fuerit, tantum κεροφόρος apud Græcos, apud Latinos vero audierit in integram vaccam versa, nihil inde labefactatur origo, quam præstitimus. Etenim Græcum Βύκερων, Latinum *Bucerum* natales accepit ab orientali בקר *bos*, *armentum*, ideoque primitus hac notione donata fuerit necesse est æque apud Græcos, ac Latinos. Neque contra nostram originem ex Grammaticis, aut aliis Græcis scriptoribus aliquid eruitur. Nam forte ex allusione vocis ad Βῦς, & κέρας, uti superius monitum, ipsi posteriores hanc significantiam voci Βύκερων tribuerint, cum veram originem, & notionem principem, qua ab initio suorum natalium ornata fuit, haud tenerent. Adhæc sæpe una, eademque vox secus apud Græcos, atque apud Latinos accipitur, quamvis eandem originem præseferant.

Ceva apud Columellam l. VI. c. 24. dicitur esse *vacca humilis staturæ lactis abundans:* videtur dicta ab Hebræa חיה *caja vivens*, *animal*, *bestia fera*, & Chaldaice חיות *ceva* idem, quod certissimum reor. *Burus*, seu *urus* procul dubio factum ab Hebræo בער *baar* seu *vaar brutum*, *jumentum*, *pecus*. Ab eodem בער geminata principe littera, & *R* in *L* versa oritur *bubulus*. *Biurus animal* secundum Plinium l. 30. c. xv. *erodens vites*, *&* *dictus quasi diurus id est duplicem habens caudam*, ait Facciolatus. Sed vera ejus origo derivata ab eodem בער *baar* seu בעיר *beir brutum* ex בער, quod inter alia significat *pavit*, *depavit*. Hic quoque differere ne pœniteat de voce *Bellerophontis*. Vulgo creditur dictus a *Bellero*, quem interfecit, si quidem antea Hipponous audiebat. Adisis Wolfangium Lazium Græciæ Antiquæ l. II. c. 3. apud Gronov. thesaurum Græc. antiquit. VI. volum. edit. Venet. ann. 1735. Id ante jam docuerat Scholiastes Homeri. A quibusdam lexicographis, uti Tusano, Roberto Constantino exponitur *interfector malorum*, a Βέλλερα *mala*, sed rectius τὰ μῆλα. Etenim opportune Βέλλερα dicta sunt a בעיר *beir* (geminata *R*, quarum prior in *LL* duplicem versa) *brutum*, *pecus*, *jumentum*. Sane Iliad. *Z* v. 156. & seq. Bellerophon dicitur interfecisse Chimæram, quæ quidem a parte anteriori constabat Leone, a posteriore Dracone, media vero Capra, & virginibus Amazonibus. Atque hæc est origo nominis genuina, atque facili negotio expeditus omnis nodus fabulæ.

Be-

Bela oves *antiqui dicebant*, *teste Varrone l. II. c. 5.*, *ut Græci* μῆλαι *venit a* יובל iobel aries *abjecta principe syllaba* י io, ait Vossius. Verum *Bela* ἀμέσως dicta ab eodem בעיר *beir brutum*, *jumentum*, *pecus*, tantum *R in L* versa. Βήβην *ovis*, uti ait Hesychius, fluxit ab ipso בעיר *beir*, geminata principe syllaba, & quoniam ע mutatur sæpe in *G*, & *C*, inde dicta & Βήκη *capra*, & Βῆκα τά πρόβατα. Haud pigeat brevi differere de voce *dibalare*: *Dibalo*, ait Facciolatus, *ab animalium voce ductum videtur*. Varro *l. VI. d. LL Dibalare rem hoc est*, *ut Scaliger interpretatur*, καταφαγεῖν τὴν ὀσίαν *bona consumere*. Verum *dibalare*, seu *balare* hoc sensu recta descendit ab Hebræo בלע *bala absorpsit*, *devoravit*, *perdidit*, *deglutivit*.

CAPUT II.

CHimæra. *Ex ejus origine orientali enodatur fabula*. Βωσάρη, βασσάρα *a* בשר, collybus, cerberus *ab Oriente profecta: unde fabulæ solutio*. Eale, vervex, bellua, bebrus, fiber, belbus, cervus, verres, βρένδον, βέρεξ, attagus, fircus *ab Hebræis fluxere*. Hippos ἵππος, hippicare, badare, jumentum, burichus, βρίκος, alborak, σπάλακες, veredus *hebrææ originis sunt*. Ramnes *vocabulum tuscum*. *Mazochio resistitur*. *Germana origo affertur*. Rhenones, ῥινὸς, ῥῆνες, vellus, μαλλὸς, hirtus, solox, benna, ὄχος, ἀπηνη, plaustrum, pilentum, petorritum, arcuma, basterna, rheda, covinus, eda, antarius, anchialus, *de quo nostra conjectura proponitur*, *ab Hebræo fonte ducta*. Agelada, ovis, opilio, adasia, avilla, arna, ἄρς, ambegnus *eadem penu petita sunt*.

CUm superiori capite in *Chimæræ* mentionem inciderimus, præstat ejus quoque originem, atque fabulam enodare. *Chimæra* igitur mostrum esse prædicatur, quod flammas evomit, capite, & pectore leonis donatum, ventre vero capræ, & cauda draconis. Et re quidem vera nihil aliud est, nisi mons Lyciæ, qui flammas summo vertice emittit, inferna parte leones nutrit, atque alit, media capras, ad ejus pedes ingentem serpentum copiam habet. Ad rem *Chimæra* dicta est ab Orientali חומר, seu חמור *cæmentum*, *acervus*, quod facit cum significatione τῦ *montis*, atque etiam significat *asinum*, & יחמור *est cervi aut capræ species*, seu *bubalus*, & כמר *camar incalescere*, *flagrare*, *atrari*: hinc vides, unde orta fabula. Βωσάρη *elephas*, si ita legendum, & Βασσάρα *vulpes*, & *ejus pellis* dicta ab Hebræo בשר *basar caro*, & *animantia*. *Collybus* κόλλυβος Polluci est *argentei nummi permutatio*, Hesychio species numismatis, sive aereus nummulus, cui bovis imago erat insculpta. Unde Callimachus de iis, qui apud Inferos sunt, ait, βῦν κόλλυβον πιπράσκουσι. Idque certo certius, atque isthæc fuit princeps vocis significatio, ex qua postea *permutationem* denotare cœpit. Sane κόλλυβος citra dubium defluxit ab Orien-

Orientali כרוב *cerub*, quod *bovem* notat. Unde Ezech. I. v. 10. uni quatuor animalium, quæ in hominis, leonis, bovis, & aquilæ ſpecie ipſi Ezechieli apparuere, pro facie *bovis*, tribuitur facies *cherub* Ezech. 10. v. 14. ita ut facies *cherub* eadem ſit, ac facies *bovis*. Nec deſunt, qui *cherubos* arcam obumbrantes *boum* habuiſſe ſpeciem cenſent. Bochartus in Hierozoico p. 412. putat, *Cherubos varias animalium formas ita exhibuiſſe, ut ad bovis ſpeciem propius accederent. Hoc ſaltem certum vitulorum pedes illis tribui* Ezech. I. v. 7. *Et verbum* כרוב cherab *unde* כרוב cherub arandi *notionem apud Syros obtinere, quod bovis maxime proprium*. Hæc laudatus Auctor.

Cerberus fingitur fuiſſe canis donatus triplici capite januæ infernalis cuſtos, ſeu canis Plutonis, ſeu Orci Regis Epiri, vel Albaniæ, vel ſerpens in Tænaro Laconiæ promontorio, unde ad Inferos eſſe aditus fabulabantur. Haud immerito ſuſpicari licet hoc nomen ortum ex כרוב per ἑτέρωσιν τȣ *R*, *cherub*, *cherubim*, unde & nomen *Cerberi*, & fabula derivata. *Cherub*, ſeu *Cherubim* nihil aliud ſunt, niſi animalia forma boves, ſeu animalia, ut credit Grotius, & Bochartus, quæ varias animalium formas ita exprimebant, ut propius ad bovis formam accederent. Hæc autem *Cherubim*, & *flammeum ignem*, ſicuti exſtat Geneſ. III. 24., Deus collocavit ante Paradiſum voluptatis ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Quod ſane, ſi ſedulo comparatur ad fabulam *Cerberi*, parum inter ſe differre, indeque fabulam manaſſe jurabis. *Eale* quæ *fera* eſt in Æthiopia magnitudine equi fluvialis, cauda elephantis ſecundum Plinium l. VIII. c. 21. videtur deſcendere ab איל *ail aries* & איל *ail*, ſeu *aiala cervus*, *cerva*. *Vervex*, & medio ævo *berbex* dictum a בער *baar*, ſeu *beir brutum*, *pecus*.

Bellua ſanius videtur dicta apud Voſſium a *bello*, quia bellum gerunt inter ſe, & pleræque etiam cum hominibus. Verum *bellua* ἀμέσως exſtat a בעיר *beir* (*R* tantum in *L* verſa) *brutum*, *pecus*. *Bebrus* idem, ac *fiber* Vet. Scholiaſt. Juvenalis ad Satyr. II. v. 32. Atque *bebrum*, & *fibrum* eamdem originem agnoſcere jamjam demonſtratum ibimus. Nam ex Hebræo בעיר *beir*, unde Italis *bevero*, quod denotat *jumentum*, *pecus*, & quævis bruta, fit *bebrus* geminata prima ſyllaba, & *fiber B* principe in *F* verſa. Hinc fit & *belbus*, quod occurrit apud Capitolinum, atque eſt idem, atque *hyæna*, aut parum abſimile. *Cervus* dictus ab כר *car agnus*, *aries*, & ברר ſeu כרכר *circer ſubſiliit*, unde כרכרות, quos exponunt *veredarios*, ſeu *camelos*. *Cervus* vero quatenus ſignificat *furcas*, *palos* eſt a קורה *core trabs*. *Verres* dictum a בעיר *veir brutum* omne. Βρένδον *cervus* Meſſapiis oritur a בער *baar*, ſeu בעיר *beir brutum* omne, *pecus*, unde & βέριξ. *Attagus hircus*, *caper* Phrygum lingua, ſi fides habenda Arnobio l. I. p. 159. Profecto cum ſit vox orientalis, fit ab Hebræo עתוד *attud* idem dumtaxat, *D* in *G* abeunte, quam mutationem haud raro uſitatam diſcere poteris ex Voſſio in de permut. litt. *Fircus* venit a צפיר *zafir* idem.

Hippos unde *hippicare* deducunt, quo fonte derivata, nemo hactenus aperire conatus eſt. Ἵππος autem citra dubium factum ab Hebraico אביר *abbir equus* mu-

mutata *B* in *P* affinem. *Hippacare* vero secundum Festum est *celeriter animam ducere ab equi halitu, qui est supra modum acutus;* nimirum uti Vossius adjecit de suo, est ab ἵππος *equus* secundum mentem Festi. In Glossis Isidori occurrit *hippicare*, atque exponitur *oscitare*, *badare*. Ubi, uti animadvertit Vossius, *badare* est *morari*, *tardare* vox Italica, affinisque Germanico *Beiden*. Itaque *hippacare animam ducere*, seu *oscitare* omnino erit factum vel ab hebræo הפיח *epiac flavit*, *spiravit*, vel potius ab יפח *iapac spirare*, *anhelare*, quod fortasse magis accedit Festo. *Badare* vero a בשש *tardavit* ש in *T*, seu *D* versa. Nisi forte τὸ *badare* ibi, cum adjunctum sit verbo *oscitare*, erit idem, atque Italis *sbadigliare*. *Jumentum* alludit ad hebræum בהמת *veemet* idem.

Buricus, vel *Burichus* exponitur vulgo *mannus*, *minor equus*. Hinc dictum puto a פרש *parasc equus P* in *B* versa, uti ex פרד *pered Burdo*. Attamen vetus Horatii interpres ad Epod. IV. v. 14. videtur confundere *burdones* scilicet *mulos* cum *Burichis*; ait enim: *Manni equi sunt, quos vulgo burdones, vel burichos nominamus*. Ex eodem פרש, vel בער *Bacar*, seu בעיר *jumentum*, *pecus*, factum βρίκος *asinus*, de quo ita Hesychius: βρίκον, ὄνον Κυρηναῖοι; βάρβαρον, scilicet ὄνομα, nimirum *exotica vox*. Inde quoque, & ex arabico articulo *al* natum *Alborak*, de quo adi Bochartum Geogr. S. l. IV. c. 274. Σπάλακες sunt *genus equorum*, si fides Hesychio. Dicti autem videntur a פרש *parasc equus S* addito ab initio, uti fieri familiare esse alibi ostensum, qua de re inter ceteros adi Vossium in de permutat. litt., & *R* in *L* conversa.

Veredus equus publici cursus frustra ductum hactenus a *veho* Latino, & gallico *reda*. Etenim factum ab Hebræo פרד *pered mulus*, vel פרש *paresc equus*. Atque hinc est, cur Latini illud *P* in *V*, Græci in *B* verterint, ipsi Latini sequiori ætate pro *Paraveredos Parafredos* dixerint.

Ramnes pro equitibus Romanis *usurpat. Persius: eos sic vocat ab illis equitibus, quos cum Luceribus, & Tatiensibus instituit* Romulus. *A* Romulo *id nomen esse volunt Varro, Asconius, Plutarchus*. Hactenus Vossius de *Ramnes*. At Varro ipse de L. L. lib. IV. postquam *Ramnenses* a *Romulo* dictos voluit, extemplo adjecit: *Sed omnia hæc vocabula* (mentionem fecerat etiam *Tatiensium*, & *Lucerum*) *Tusca, ut Volumnius, qui Tragœdias Tuscas scripsit, dicebat*. Itaque si vocabulum *tuscum*, frustra a *Romulo* ejus origo arcessitur. Audire præstat Mazochium apud Vossium in voce *Damnus* sic disserentem de *Ramnensibus*, seu *Ramnibus*: *Damnus est* Equus, *eademque vox Tyrrhenorum peculiaris, si credimus Hesychio scribenti:* Δάμνος, ἵππος Τυρρηνοί. *Fortasse* ἵππος *heic ponitur pro* equitatu, *aut* equili. *Certe hebr.* דמן (domen) stercus, & fimum *significat, quod in equitatu, aut stabulis plurimum est. At ne dubita, quin Hesychius Rho cum Delta commutatum repererit pro consuetudine Tuscorum unum cum altero confundentium, ut sit Damnus pro* Rhamnus. *Vide mox in* Dea *pro* Rhea. Rhamnus *autem ad equites* Rhamnenses *pertinet; ac venit id nomen a* רם ram *id est* celsus: *unde Horatius* κυρίως *dixit*: Celsi (*nimirum de significatione* Rhamnensium *edoctus*) præter-

tereunt austera poëmata Rhamnes, *id est equites*. Hæc Cl. Auctor. Verum non possum quin ipsum falsitatis accusem etymon *Damni*, quod ducitur a דמן *stercus*, & *Rhamni* a רם *ram celsus*; amplius falsum esse reor, quod ἵππος *equitatum*, aut *equile* significat apud Hesychium in allato loco. Porro *Ramnes equites*, & *damnus* Hesychii, eo quod mutua commutatio τῦ *D*, & *R* vigebat apud Tyrrhenos, ut abunde ostensum ab ipso Mazochio, omnino descendunt ab Orientali unico fonte, nempe רמך *ramac equa*, sicuti ab אתון *aton asina* fit *asinus*, *C* in *N* conversa, quadere adisis Vossium. Ceterum, si locus conjecturæ, scriberem vocem hebræam רמן *raman*, non vero *ramac*, eo quod facillima esse potest mutatio τῦ ן finalis, atque ך, cum sint simillimæ. Id vero velut meram conjecturam statuo.

Postquam igitur de hujuscemodi vocibus verba fecerimus, in rem cadit, ut & alias huc aliquo pacto pertinentes enucleemus, atque mantissæ loco adjiciamus. *Rhenones pelliceæ vestes*, si fides Vossio, dictæ a ῥινὸς *pellis*, vel a ῥῆνες *agni*. Ῥῆνες *agni*, unde ῥηνίκες *ovium*, seu *agnorum pelles* apud Hippocratem dicti vel a נער *naar agnus*, vel potius a רחל *rael ovis*, *L* in *N* versa, id quod domesticum est; vel ab עור *ur pellis*. *Vellus lana ex ove demta*, *atque ipsa pellis simul cum lana ex ove detracta* procul dubio venit ab hebræo עור *vor pellis*, *cutis*, unde & gr. ῥινὸς *pellis*. Μαλλὸς *lana* a Chaldaico עמר *amar lana*, *R* in *L* versa. *Hirtus*, *hirsutus* omnino facta ab שעיר *sair* idem, dumtaxat metathesi adhibita. *Solox*, ait Festus, *lana crassa*, *& pecus*, *quod passim pascitur non tectum*. *Titinnius in Barathro: Ego ab lana solоci ad purpuram data*. Et Lucillius: *Pascali pecore*, *ac montano hirto*, *atque soloce*. In Glossis vett. exponitur solox ἔριον παχύ, uti viri docti emendant. Adi Vossium. Sane *solox* dictum videtur ab שעיר *sair hirsutus*, *pilosus*, *hircus*, & שעירה *saira capra*.

Benna est *genus vehiculi*: Hinc Festus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur; unde vocantur combennones in eadem benna sedentes*. Sane ortum ab Orientali בנה *bana fabricavit*, *ædificavit*, *exstruxit*, unde מבנה *structura*, atque אבנים *abenaim sellæ parturientium*, unde dictum quoque ἀπήνη. Ὄχος *currus* fluxit ab עגלה *agala plaustrum*, unde *agelada*. Atque ipsa vox *plaustrum* venit a פרש *paras* (atque addito *T* uti fieri assolet) *parast*, unde alternante *R* fit *praustrum*, & *plaustrum eques*, & *equus*. Ab eodem *paras*, & Chaldaico more *parat*, adhibita metathesi τῦ *T* oritur *petorritum*. Insuper ab eodem *parat* פרש, seu פרת tantummodo *R* in *L* abeunte natum vocabulum *pilentum*. *Basterna* forte ab ipso פרש *parasc equus* ortum cum nihil aliud sit, nisi *vehiculi genus*, mutatione litterarum adhibita. Sane isthoc *vehiculum* ab animalibus nempe vel a *mulis*, vel ab *mannis*, seu *equis* trahebatur. *Arcuma*, seu *arcirma*, uti alii legere malunt, est *genus modici plaustri*, *quo homo gestari possit*, sicuti scribit Festus. Porro veriloquium clamat esse ab hebraico הרכוב *arcub vehiculum*, tantum *B* in *M* versa ab הרכיב *vexit*, unde alternante *R*, erit *arcirma*, si ita legendum. *Rheda* facile derivari potest ab חרוץ *arutz*, quod exponitur *tribula*, *genus*

trabe. *Covinus genus vehiculi falcati*, & *rostrati*, quo Galli, & Britanni in præliis utebantur, dictus videtur a כיון *ciun basis* ex כון *aptavit*, *disposuit*. Hinc *Eda* etiam vehiculi genus dictum ab אדן *eden basis*.

Ancarius, seu *ancharius* fertur significare *asinus*. Lucilius apud Nonium in voce *quiritare* ita habet:

Hæc inquam rudet e rostris, *atque ejulitabit*
Concursans velut Ancharius, *clareque quiritans*.

Porro verosimilius credo venire ab hebræo העיר *acar*, sive *achair*, vel *anchir asinus*, ה in *C* versa, nam sæpe sæpius in *G* transit, uti docti monuere, quod in *C* dein mutatum. Ab ipso עיר *cair*, seu *cir asinus* defluxit *cillus*, & κιλλὸς apud Dores, versa *R* in *L*. Necnon ab eodem *air*, *R* in *N* mutato, quod translatitium est, natales acceptos referre videtur etiam ὄνος. Quod vero spectat ad *Anchialum* post ceteras, nostram quoque conjecturam in medium producimus. Sunt qui compositum credant *anchialum* ex *chai*, & *alah* scilicet *per deum viventem*, quod creditur esse nomen divinum apud Judæos, ut in epig. Mart. 94. l. II. ubi ait:

Ecce negas, *jurasque mihi per templa Tonantis*.
Non credo, *jura*, *verpe per Anchialum*.

Sed isthæc opinio multis non arrisit. Primo, quia hæc vox apud Martialem contemtum sonat, secundo linguæ hebraicæ Martialis imperitissimus fuit. Hinc Isaacus Vossius ad Mel. l. I. c. 8. pro *Anchialum* legit *Ancharium* id est *asinum*. Male enim audiebant Hebræi teste Petronio in fragmentis, quod *porcinum numen adorarent*, & *cilli auriculas advocarent*: potissimum quia in Codice pervetusto *Anchalium* legitur, ideo unius litterulæ mutatione vir haud ignobilis legit *ancharium*. Verum licet ejus conjectura ingeniosa, attamen videtur esse violenta lectio. Nam constantissime scriptum occurrit *anchialus*, neque id a nobis impetrabit Vossius, quod in uno Codice *anchalius* legitur; quandoquidem aliquo casu tertia vocalis excidere potuit, vel fortasse potius, sicuti haud raro usuvenit, *i* transpositus fuerit. Atque rem ita componi posse credo. *Anchialus* descendit ex עגל *egel*, seu *agal vitulus*, inserto *N*, quod oriri solet ex *Daghes forte*, quod Chaldaice infigi solet. Hinc in S. Litteris cum habeamus Judæos sibi *vitulum aureum* conflasse Exod. cap. 32. & sub Jeroboamo iterum II. Reg. cap. XII. suspicor Ethnicos, eo quod fama, seu rumor res multo secus efferre solet, ideo *porcinum numen*, & *cilli* pro *vitulo* ratos fuisse, cujus nomine revera insignitus. Atque hæc de *anchialo* adspersisse sat est, quæ omnia quin pro conjectura habeantur, uti superius dictum, haud moramur.

Agelada vox est inter barbaras relata ab Lexicographis, atque exponitur *juvenca*. Haud absurde duci potest ab orientali עגלת *egelat*, mutata *T* in *D*, *vitula*. *Ovis* ducitur ab ὄϊς idem, *ovis* scilicet. At ὄϊς fortasse ortum ab חיה *aia bestia*, *animal*. *Opilio quasi* ovipilio a pellendis *hoc est* agendis ovibus, *ut ad Ecl. X. scripsit Camerarius*. *Aliis*, opilio *quasi* ovilio. *Scaligero*, *cui subscribo*, *placet esse vocem magnæ Græciæ* ὀϊπόλος, ὀϊπολίων, *sicut* αἰπόλος, caprarius. Hæc Vossius de origine. Verum haud Magnæ

Græciæ peculium esse reor istam vocem, sed Tyrrhenorum, ad quos per Lydios transvecta. Porro per metathesin venit ab Phœnicio, seu Orientali potius אלוף *alop dux*, *ductor*. *Sus* derivatur ab græco ὗς, quod idem est. Atque utrumque fluxit ab Hebræo חזיר *asir sus*, *porcus*, sed decurtatum. *Adasia*, si fides præstanda Festo, est *ovis recentis partus*, sed *major natu*. Non aliunde vox ista advecta, nisi ab Oriente, potissimum cum sit vox antiquissima. Sane haud vanus haruspex essem, si derivarem ex hebraico חדש *adas novus*, *recens*, quod adstruitur ex iis, quæ Festus asserit.

Avilla secundum Festum est *agna recens nata*. Hujus autem origo manifeste se prodit ab Orientali voce עול *ul*, seu ipso *avel*. Sane idem עול, si ipsi subjiciantur vocales, plane erit *avel*, seu *avil*. Ad rem exstat עול *avel*, seu עול *iniquus*, & *parvulus*. Ut ad rem revertamur, venit ab *avil*, quod exponitur *fœtus*, *infantulus*, *lactens*, & עלות *alot lactantes*, *fœtæ*, quæ *parvulos*, vel *fœtum lactant*. Hinc planum fit quam apte deducantur ex Oriente unico, atque archetypo fonte hæ potissimum voces, quæ Tuscæ videntur audire. Heic vero advertendum non deesse, qui scripserint *avillam* dictam quasi *ovillam*: nimirum mutato *O* in *A*. Dacerius in notis ad Festum ad ejus verba: *Avillas agnas recentis partus*; ita habet: *Avillas Ovis*, *ovilla*, *&* O *mutato in* A *avilla*, *ovis vetula recentis partus*. *Vide adasia*, *nam inde patebit falli Meursium*, *qui avillas dici putavit*, *quæ nondum velli possunt*. Hæc Dacerius. *Arna*, quæ *agna*, seu *mater* agnæ exponitur, atque græca vox ἄρς, & ἄρνιον ab eodem fonte proficiscuntur. Porro ejus natales repetendi sunt ex נער *puer*, *infans*, & *agnellus*, *pecus tenellum*.

Ambegnus, seu *ambignus*, vel *ambiegnus* quid, & unde originem duxerit, brevi explanare in animo est; sed prius hac de re loquentes veteres apud Vossium oportet auscultare. Is enim in voce *Agnus* ita habet: *Ab* am, *&* agnus *est* ambiegnus, *sive* ambegnus, ambignus. *Varie enim hæc vox scribitur*, *B cur inseratur*, *dicimus in* Am. *Varro l. VI. de L. L.* Ambiegna bos apud Augures, quam circum aliæ hostiæ constituuntur. *Festus*: Ambegni, bos & vervex, appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur. *Fulgentius de prisco sermone*: Bæbius Macer, qui fastalia dierum scripsit (*sic locus is in Basilæensi Hervagii*, *ac Codd. MSS. legitur*) ait, Junoni eas, quæ geminas parerent oves, sacrificare, cum duobus agnis altrinsecus alligatis; quas oves, ambignas (*in Hervagiana male est* ambiguas) vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes. Hæc ille. Sed, quia *bos* nihil ad *agnum*, ideo falsa origo, quæ deducitur ab *agnus*. Porro eo quod *ambegnus* in speciem videtur accedere voci *agnus*, iccirco hanc etymologiam Grammatici excudere. Ceterum ista vox Etruscam esse se prodit eo potissimum, quia auspiciis, & sacris destinata fuerit. Etenim hæ artes ab hisce populis ad Romanos profectæ. Quare Varro, qui rem auguralem, & sacrorum optime omnium calluit, scripsit *Ambegnam bovem* significare *apud Augures*. Sed quia adjecit; *quam circum aliæ hostiæ constituuntur*, ea de causa ansam præbuit Festo, ceterisque, ut alia comminiscerentur; & quoniam *ambegnus* videtur alludere ad *am* (quod fortasse respiciens quoque ipse Var-

ro

ro loco citato ait *quam circum*) & *agnus*, ideo inde derivarunt; neque alio forte ſpectant verba Feſti *ad eorum utraque latera agni*, & Bæbii Macri h. e. *ex utraque parte agnos habentes*. Verum, quæcumque ſit hac de re horum auctorum mens, certe Voſſius ita ratus ex *am circum*, & *agnus* duxit. Ad originem feſtinemus. Profecto iſtud vocabulum manavit ex Orientali הבקר *abbagar bos*, dumtaxat priore *B* in *M* affinem, & *R* in *N* verſa. Hinc patefit, Bæbium Macrum perperam ſcripſiſſe apud Fulgentium l. c. *ambignas* (ſi Voſſii lectioni inhærendum) *oves vocari quæ &c.* Etenim principe ſui notione *bovem* ſignificavit, quemadmodum Varro, & Feſtus ſupra docuerunt.

EXERCITATIO XVIII.

CAPUT I.

ὍΣ, ὅσος, ὅτε, ὅτι, ἄσσα, σὰ, ὥς, unde derivata, & quæ hiſce vocibus ſubjecta ſignificatio. Apud Græcos ὃς ſæpe ὅπως, vel utpote *haud ſecus ac Latinis* qui, *& Hebræis* אשר *deſignare ſuadebitur. Alterum ex epigrammate Anthologiæ, primum ex Homeri variis locis conſtabit. Τὶς unde profectum. Utrum τὶ aliquando vacet. Ἰὼ pro ἐγὼ affertur ex Ariſtophane. Ejus origo proponitur. Inde Italicum* io. Modum Optativum *eadem vi aliquoties pollere, atque* Subjunctivum *contra Zuingerum, H. Stephanum ſexcentis locis evincemus. Secundam perſonam pluralem neutrius generis regere ſecundam perſonam ſingularem verborum nunc primum invitis Grammaticis, & Eruditis, arguetur. Hac de cauſa Cl. Scriptor illius epigrammatis interpres in ſcopulos impegit.*

ὍΣ, *ὅσος*, unde deſcendunt, in præſenti primum dabimus; poſtea quid vocabulum *ὃς* præter vulgarem notionem deſignat, in medium afferemus. Porro *ὅσος*, & *ὃς* veniunt ab hebraico אשר *aſcer*, ſeu *aſer*, unde contractum ש *ſce*, quod vulgo *qui*, *quæ*, *quod* redditur. Sane *ὅσος*, & *ὅσοι* non ſolum *quantus*, *quanti* ſignificare videntur, verum etiam *quicumque*, *quot*, *quotquot*, & *qui*, ut apud Gregorium exponitur. V. Lexicographos. Ex alia parte vocem אשר non modo *qui*, *quæ*, *quod* notare, ſed etiam *quotquot*, *quicumque* mihi belle, atque haud abs re blandior. Hinc LXX ſæpe *τὸ* אשר *ὅσοι*, *ὅσα* verterunt. Quare Reg. III. c. 4. v. 34. ubi Hebræus habet: אשר שמעו מאת כל-מלכי הארץ: LXX reddiderunt: *Παρὰ πάντων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, ὅσοι ἤκουον τῆς σοφίας αὐτοῦ*. Idque emphaſeωs gratia, ſecus ſi אשר *qui* vertitur, videtur frigida laus Salomonis. Ceterum, ſi *τὸ ὅσοι* Lxxvirale ſignificat *qui*, prout Vulgata vertere maluit, confirmatur magis illud

illud, quod supra proposuimus, scilicet, quod ὅσος, & ὅσοι apud LXX *qui* notet. Ab eodem אשר, quatenus notat *cum*, *quando* venit ὅτε, & qua significat *quod* derivatur ὅτι, tantum *S* in *T* versa. Hinc fluit & ἅσσα, & ἅττα *quæ*, *quæcumque*, & *quædam*, τινά, quod etymon insane arridet. Huc quoque facile pertinet illa vocula σά; quæ, cum teste Herodiano lingua Megarensium valeat æque ac τινά, scilicet *quædam*, recta fit vel ab אשר, vel a ש *se qui*, *quæ*, *quod*; & sane a LXX prior vox redditur quoque ὅσοι, ut in loco paulo ante allato. Amplius ab eodem ש *sce*, seu *ascer* ortum & vocabulum *sic*; nam idem quoque notat hebræa vox .. Ab ipso fonte manavit græcum ὡς *sicut*, *ita*, *ut*, *nam*, cum eadem fere præstet vocabulum hebræum. Etenim exempla sunt obvia, & passim prostant.

Jamvero ad alteram vocem nimirum ὅς enucleandam propere pergamus. Porro ὅς sæpe valet idem, ac *ut*, ὅπως, atque *utpote*, haud secus ac Latinis *qui*, *quæ*, *quod*, & Hebræis אשר. Hinc Tursellinus in voce *qui* asserit poni pro *utpote*, cui rei illustrandæ accommodat illud Ciceronis Famil. 16. ep. 1. *peccasse mihi videor*, *qui a te discesserim*. Et Nep. in vita Att. *Qui Civitatem conservatam cuperet*, *pecuniam numeravit de suo*. Licet ibi & pro *quod* accipi posset. Facciolatus affert illud Tull. Attic. l. V. etiam pro *utpote*: *Actio maluimus iter facere pedibus*, *qui incommodissime navigavissemus*. Attamen videtur quoque positum ἁπλῶς pro *ut*. Liv. l. XXIV. cap. 24. *Misit ad me statim*, *qui salutem nunciaret*. Cicero ad Att. l. IV. ep. 10. ait: *Misit Legatos*, *qui facerent amicitiam*. Idque patet ex eo quod *mitto* sæpe post se habeat *ut*, seu *gratia*, vel *causa* cum gerundio. Hinc Justinus l. XVII. c. 3. ait: *Athenas erudiendi gratia missus*, scilicet *ut erudiretur*. Cæsar 1. B. G. 21. eodem pacto, ac Livius in loco, quem supra attulimus, usus est, ubi inquit: *qualis esset natura montis*, *qui cognoscerent*, *misit*. Hoc adeo verum est, ut Nepos 1. c. 4. adhibuerit *ut* post verbum *mitto* eodem pacto, ac Livius, & Cæsar *qui*: ait enim Nepos: *cursores miserunt*, *ut nuntiarent*. Idem colligere licet ex aliis Auctorum locis, qui nunc ad manus non sunt.

Quod vero attinet ad hebraicum אשר, cum exempla in promtu sint ψαμμακόσια, qua *ut* designant, iccirco selectiora afferre juvat. Hinc Gen. C. XI. v. 7. אשר לא ישמעו איש: Vulg. *ut non audiat unusquisque*: LXX ἵνα μὴ ἀκούσωσιν. Cap. XXIV. v. 3. Vulg. *adjurem* . . . . *ut non accipias*; LXX ἵνα μὴ: heb. אשר לא. Nehem. c. II. v. 5. Vulg. *ut mittas me*: LXX ὥστε πέμψαι: & eodem cap. v. 7. *det mihi epistolas* . . . . *ut traducant me*, juxta Vulgatam: LXX: ὥστε: Esth. c. II. v. 10. Vulg. *præceperat* . . . . *ut de hac re omnino reticeret*: LXX: ἐνετείλατο αὐτῇ, μὴ ἐπαγγεῖλαι. Nehem. c. XIII. v. 19. *præcepi*, *ut non aperirent eas*: Vulg. LXX εἶπα, ὥστε μὴ. Ibidem c. VIII. v. 14. *præcepisse* . . . . *ut habitent*, habet Vulgata; LXX: ὅπως κατοικήσωσιν: Hebr. אשר ישבו: Et c. II. v. 8, *ut det mihi*. Et II. Reg. 9. 37. juxta vim hebraicam, *ut non dicant hæc Jezabel*. LXX ὥστε μὴ. Vulg. *ita ut dicant*. Ruth. III. 1. Vulg. *quæram tibi requiem*, *ut bene sit tibi*: LXX ἵνα. Josh. III. 4. Vulg. *ut procul videre* pos-

possitis, *&* *nosse* : LXX : ἵνα . Deuter. XX. 18. Vulg. *ne forte doceant* : LXX : ἵνα μὴ . Et XXVIII. 35. eodem modo accipi potest ; dum LXX reddunt ὥστε μὴ . Genes. XXX. 38. Vulg. *ut cum venissent greges* : LXX : ἵνα ὡς ἂν ἔλθωσι .

Cum ex locis, quos huc usque protulimus, firmo tibicine statuatur vocem hebraicam denotare idem, atque ὅπως, ἵνα, *ut*, age ad græcanicum ὅς accedamus. Porro in eumdem modum usi videntur aliquando & Græci. Hinc in Anthologiæ epigrammate Τυλλίου Γεμίνου εἰς κιθάραν accipi debet pro *utpote*, ubi ita se habet :

Σμίνθος ὁ παντοίης δαιτὸς λίχνος οὐδὲ μυάγρης
 Δειλὸς ὁ καὶ θανάτου κέρδεα ληϊζόμενος .
Νευρολάλον φοίβου χορδὴν θρίσεν ἠδ' ἐπὶ πῆχυν
 Ἑλκομένη θηρὸς λαιμὸν ἀπεβρόχισεν .
Τόξων εὐστοχίην θαυμάζομεν , ὃς δὲ κατ' ἐχθρῶν
 Ἤδη καὶ κιθάρην εὔστοχον ὅπλον ἔχοι .

Hoc Epigramma ita redditur a Cl. Martorellio :

Mus omnium epularum helluo nec muscipulam
 Timens , qui etiam ex morte lucra prædaretur .
Nerviloquam Phœbi chordam incidit : quæ ad verticillos citharæ
 Retracta muris guttur strangulavit
Sagittandi peritiam miramur : ut quam contra hostes
 Jam quoque citharam jaculandi peritum telum habeat .

Heic autem ecquis non videt vocabulum ὅς esse αἰτιολογικόν ? etenim cum Auctor ait antea θαυμάζομεν *miramur*, postea reddens rationem, cur *miraremur*, adhibuit ὅς nempe *utpote*, seu *utpote qui* .

Videtur aliquando potius *ut* designare, sicuti illud Iliad. A. 64.

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν , ἢ ἱερῆα,
Ἢ καὶ ὀνειρόπολον . . . . .
Ὅς κ' εἴποι.

Quare age aliquem vatem consulamus vel Sacerdotem,
Vel & conjectorem,
Ut dicat .

Scilicet significat causam ob quam aliquid fit, sicuti ὅπως, ἵνα, ὄφρα ? Sane Homerus in loco citato debet exponi pro *ut*, eo quod adhibuerit verbum imperativi modi ἄγε, & sit adhortatorium . Id impendio magis planum fiet ex collatione alterius loci Homeri, ubi cum antecedente verbo Imperativi Modi ὅπως posuit eodem ferme pacto, ac ὅς supra allatum . Porro Od. III. v. 19.

Ἀλλ' ἄγε νῦν ἰθὺς κίε Νέστορος . . . . . .
Εἴδομεν ἥν τινα μῆτιν ἐνὶ στήθεσσι κέκευθε.
Λίσσεσθαι δέ μιν αὐτὸν , ὅπως νημερτέα εἴπῃ .

Quare age nunc recta vade ad Nestorem .
Videamus an aliquod consilium in præcordiis absconditum habeat ;
Orare (id est κίε , vade) *autem ipsum* ; *ut vera dicat* .

Huc

Huc quoque commode referri posset & illud Od. IX. v. 126.

Οὐδ' ἄνδρες νηῶν ἔνι τέκτονες, οἵ κε κάμοιεν
Νῆας ἐυσσέλμους, αἵ κεν τελέοιεν ἕκαστα.

Sed advertendum in uno versu positum videri pro *ut*, in altero pro *utpote*.

T*is* unde profectum, & quid notionis singulare ei subjectum sit, in præsenti dabimus. Porro τὶς emollitum videtur ab Orientali ש *se*, quod idem est, ac אשר *qui*, *quis*, & fortasse *aliquis*. Id adeo certum est, ut inde Chaldaicum די fruticasse videatur, unde fortasse verius, & ἀμέσως ortum gr. τὶς commutata ד in *T*. Vulgo decernunt τὶ sæpe vacare, & redundare uti apud Homerum, atque alios. Verum alia nobis sedet opinio; quin imo mirificum sensum & usum habere ostenderimus. Hinc ubi Od. X. v. 412. ait: οὐδέ τι σηκοὶ ἴσχουσι, magis rem auget; atque admodum elegans est, perinde ac Italicum adverbium *punto*, quod sibi adamussim respondet. Quæ locutio passim apud Homerum præsertim occurrit, ut ead. Od. v. 497. οὐδέ τι θυμὸς Ἤθελ' ἔτι. Et v. 505. μή τι. Et v. 552. Et Od. ε. v. 173. Et Od. λ. 462. Il. X. v. 383. μήδέ τι. Apud Latinos non raro eodem modo usurpatur *aliquid*. Heic quoque haud gravabimur investigare originem græcæ vocis ἰὼ & ἰῶγα scilicet ἐγώ. Scholiastes Aristophanis in Acharnenses act. IV. sc. I. seu v. 898. Ἰώγα ταῦτα πάντα; ita habet: Ἰῶγα. Ἀντὶ τοῦ ἐγώ. Et v. 899. Κεῖσ' ἄξεις ἰών. Γράφεται καὶ ἰώ; ἀντὶ τοῦ ἐγώ, καὶ δύο στιγμαὶ ἐν τῷ ἄξεις. εἶτα τὸ ἰώ. Porro etsi ille hanc significantiam illi vocabulo assignasset, tamen commentitiam existimabam. Verum detecta ejus origine ex hebræo fonte, sententiam vertere coactus sum. Nam ἰὼ ἀμέσως fluxit ab hebraico pronomine י *i*, quod *affixum* nuncupatur, quodque idem, atque *ego*, licet non adhibetur in casu recto, sed in genitivo; quare *meus*, *mea*, *meum* Grammatici exponunt. Inde ad Italos *io* quoque manavit. Hinc liquido patet ab uno Oriente omnem nodum expediri posse, & veritatem affulgere.

Verum heic juvat propius videre, utrum Modus Optativus aliquoties easdem vices gerat, ac Subjunctivus. Jacobus Zuingerus ad calcem Scapulæ in de dialectis asseverat Optativum usurpari etiam pro Subjunctivo, teste Joanne Grammatico, ut ἐὰν ἔλθοις pro ἐὰν ἔλθῃς; atque addit idem Auctor collationis dialectorum Stephanum exempla desiderare probati Auctoris. Idemque sentire videntur alii Auctores. Verum adeo allucinantur, ut nihil supra. Etenim in allatis exemplis scilicet Il. A. 64. ubi ait ὁ ποιητὴς, *consulamus conjectorem*, ὅς εἴποι, nimirum *ut dicat* pro εἴπῃ; quod magis palam fiet ex comparatione alterius loci Od. III. v. 19. Quidquod evidentiora argumenta præsto sunt? Sæpe enim numero occurrunt ὄφρα, ἵνα, ὅπως posita ἀδιακρίτως cum Optativo, & Subjunctivo; hinc Od. K. ait: Ὄφρα ἔπος τ' εἴποιμι, ubi est Optativus modus; & paulo post: ὄφρα τι εἴπῃ; & alibi: ὄφρα ἴδῃς; heic optativum. Neque tamen quis nisi perfrictæ frontis inficias ire audebit eamdem vim, easdemque vices gerere utrumque Modum. In eumdem modum ἵνα usurpatur. Cum Subjunctivo Demost. Olynt. I. ἵνα γνῶτε, & ἵνα μὴ λέγω; *ut cognoscatis; ne dicam*. Cum Optat. apud Platonem:

ἵνα

ἵνα εἴη, *ut esset*, ἵνα φαίνοι, ἵνα μὴ λέγοι. Igitur invicem, & mutuo alterum pro altero adhiberi fateamur ingenue oportet.

Neutra pluralia plerumque regunt Verbum singulare: uti ταῦτα ἐπαινεῖται, *hæc laudatur*, pro *laudantur*, ζῶα τρέχει, *animalia currit* pro *currunt*. Ita omnis Grammaticorum numerus; ita omnes τῶν dialectῶν consarcinatores; idque ex illorum statis legibus tantum neutris tertiæ personæ usuvenit; dum ne unum quidem exemplum, unde aliis quoque personis idem contingere posse constaret, suppeditant. Hoc sane in causa fuit, cur Cl. Martorellius immane σφάλμα commiserit. Verum illis invitis id accidit etiam neutris pluralibus secundæ personæ. Hinc in Anthologia occurrit Epigramma Philippi in Leonidem, quod ita exstat:

Πουλὺ Λεωνίδεω κατιδὼν δέμας αὐτοδάϊκτον
  Ξέρξης ἐχλαίνου φάρεϊ πορφυρέῳ.
Χἀκ νεκύων δ' ἤχησεν ὁ τᾶς Σπάρτας μέγας ἥρως·
  Οὐ δέχομαι προδόταις μισθὸν ὀφειλόμενον.
Ἀσπὶς μοι τύμβου κόσμος μέγας ἔρρε τὰ Περσῶν
  Ἥξω κεἰς ἀίδην ὡς Λακεδαιμόνιος.

Quod ita reddit Mart. noster:

Magnum Leonidæ videns corpus honeste exstinctum
  Xerxes tegebat pallio purpureo,
Et ex mortuis sonitum edidit Spartæ magnus heros
  Non accipio proditoribus præmium debitum:
Clypeus mihi sepulcri ornamentum magnum, pereant Persæ:
  Ibo autem etiam ad Inferos, ut Lacedæmonius.

In quo quidem allucinatum Interpretem inde colligere licet, quod dum *Xerxes tegebat pallio Leonidæ corpus*, clamavit Spartanus Leonidas inquiens Xerxi *non accipio . . . . . . Clypeus mihi sepulcrum, valeatis, pereatis Persæ: Ibo autem &c.* Scilicet responsa invicem reddebantur, quæ intercedebant inter primam, & secundam personam. Id autem magis, magisque patefiet. Etenim si vera esset allata versio, prout ipse transtulit, Græcus Auctor adhibuisse oportebat ἐῤῥέτω, quæ est tertia persona singularis, non ἔῤῥε, quæ cum sit secunda persona verbi singularis, τὰ περσῶν debet esse secunda persona pluralis; secus alius Canon a Grammaticis esset condendus, quo statueretur, *neutra nomina pluralia discrepare aliquando a Verbo & numero, & persona.* Quod sane vir cordatus ne somniare quidem audebit. Atque hæc hactenus. Nam diu, multumque Grammaticum egisse videor.

CA-

CAPUT II.

Quid denotet in epigrammate abaci Herculanensis vox pruphpher . *Notatur Passerius . Laudatur Mazochius . Apud Plautum in Pœnulo in punicis versibus unde ducit* ficorat *Bochartus . Notatur ipse & laudatur . Petitus, & Seldenus quid senserit . Genuina lectio assignatur.*

CL. Mazochius in additionibus apud Vossium in voce *Tuticus* in ima ora exhibet quandam inscriptionem , quam ipse Tuscanicam , & Oscam nuncupat , in abaco Herculanensi ex fossionibus eruta. *Hance epigraphen multis abhinc annis* , ait Mazochius , *Cl. Venutus ediderat , ac postea Cl. Passerius in suis symbolis litterariis Florentiæ an.* 1748. *editis vol.* 1. *p.* 207. Nos autem haud animati sumus omnia , quæ tanti viri de ea inscriptione differentes vulgarunt , in medium producere , atque ad trutinam exigere . Missis itaque aliis, quæ heic Mazochius more suo erudite adspergit, dumtaxat quod ad rem faciunt , referemus . *Venio ad epigramma ipsum , quod verbis Tyrrhenicis , litteris autem latinis exhibebimus . In umbilico tabulæ ita a dextra in lævum legitur :* Hedentateis sum : *quod in fine explanabimus . Nec aliud in abaci horizontali plano legitur . At in extremo ipso mensæ labro , sive in tabulæ ora verticali , quæ ex adverso lectoris est , unicus versiculus legitur , sinistrorsum (pro more Orientis , unde domo Tyrrheni erant) his verbis conceptus :* L. SLABII. LAVKIL. MERRIS (*R blæsum pro D blæso alternabat , & S duplex pro X , quo carebant : unde Latinis dictus est Meddix*) Tustiks (*tertia in marmore littera est* ב *: Beth autem Hebraicum apud Tyrrhenos modo est V consonum , ut in Tuscis Capuæ nummis , modo est Digamma , ita ut hic Tuftiks pronunciandum putem : sequitur*) Hedentateis . . . . . Rucinai (*ubi puncta signata vides , scalptura vetustate corrupta est*) Pruphpher . *Hactenus adversæ marmoris oræ scriptura procedit . Nunc licebit Oscam hanc sive Tuscam scripturam ita uno spiritu legere :* L. (*hoc est Lucius*) SLABII. LAVKIL. MERRIX. TUFTIKS. HEDENTATEIS. RUKINAI. PRUPHPHER.

Vera marmoris lectione expeditus , jam ad interpretationem progredior . Ergo adversa labri ora sic monet : Lucius (*prænomen est Oscis cum Latio commune*) Slabius . Laukil . Meddix . Tuticus . Mensam . Rukinæ (*Latinis, uti dicam , ea est* Runcina dea , *cujus meminit Augustinus de Civ. IV.* 8.) posuit . *In lemmate vero legitur :* Hedentateis sum *hoc est* mensæ dedicatio.

Quod si rationem interpretationis hujus quæras ; in prioribus quidem propriis nominibus liquent omnia . Atque paucis interjectis explanat vocem *Hedentateis* , quam ducit ab ארן *eden basis* , atque de dea *Runcina* verba facit. Iterum ita pergit . *In fine legitur :* ΠRVΦΦER. *Ultimo hoc loco verbum aliquod exspe-*

exſpectatur, *quod regat ſententiam*, *veluti* poſuit, dedicavit, *aut tale aliquod*. *Iſtud vero* Pruphpher *hoc ipſum apud Oſcos ſignaſſe*, *quis præſtare queat? Multo minus cum Paſſerio affirmare auſim iſtud* Pruffer *venire a Latino* Profero, *quaſi ſcilicet ſit* Profert *pro* Offert. *Non dubito equidem quin Oſcum hoc verbum* Conſtruendi, *ſive* ponendi *aut* dedicandi *notione præditum fuerit: ſed nihil de proprio ſignificatu docere certo poſſumus*. Ita vir doctiſſimus.

Porro quæ Mazochius adſperſit, ſunt veriſſima, nempe quod hocce *pruphpher* ſignificare debeat *ponere*, ſeu *dedicare*. Itaque ni fallor, ſicuti binæ illæ voces *Hedentateis ſum* hebræi fontis, & peculii ſunt, uti oſtendit idem vir ſummus, ita & *pruffer*. Commodum *pruffer*, ſeu *pruphpher* eſt ipſum hebraicum פאר פאר *peer peer* geminato, quod vulgo exponitur *ornavit*, *decoravit*, hac tamen lege, quod alterum פ in *ph*, ſeu *f* verſum ſit. Imo פאר apud Hebræos non modo induit ſignificationem *ornandi*, *decorandi*, ſed etiam *conſtituendi*, *ordinandi*. Hinc Exodi VIII. 9. *Dixitque Moſes ad Pharaonem* התפאר עלי Vulgatus habet: *Conſtitue mihi*; & Lxxviri τάξαι πρός με. Equidem τάσσω deſignat *ordinare*, *collocare*, *conſtituere*. Queis adde, quod *orno* exponitur quoque *paro*, *apto*, *inſtruo*, & fortaſſe pollebit eadem vi, atque apud Italos in univerſum vox *fare*, & *facere* apud Latinos. Sane ipſa inclinatio τȣ̃ *pruphpher*, quod eſſe debet loco τȣ̃ *dedicavit*, *poſuit*, uti advertit Mazochius ὁ πάνυ, atque indoles, & ingenium vocis orientalem eſſe ſe prodit, & clamat. Adde quod eſt geminata vox, quod magis e re noſtra; nam id Hebræis translatitium eſt. Quadere conſule Grammaticos.

Explanata voce Oſca nimirum ΠRVΦΦER, ad vocem Phœniciam, nempe *chorat* illuſtrandam progrediamur. Apud Plautum in Pœnulo Act. V. Scenæ I. exſtant quidam verſus punici, in quibus interpretandis, emendandiſque ſedulam operam navarunt Eruditi. Ut autem fidem ſolvamus, noſtrum erit dumtaxat priorem verſum expendere, imo potiſſimum vocem *chorat*, in hypotheſi quemadmodum in nos recepimus. Hinc aliorum prius interpretationes, atque emendationes, poſtea noſtram conjecturam proponemus. Itaque magis facilis, atque ex ſententia res erit.

Ante alios præſto eſt Joannes Philippus Pareus, qui ad hunc modum characteribus hebraicis exaravit:

ות על יונין ועלו נות סיז קראתי שמח קומשירת

Sed minime interpretationem hujuſcemodi lectionis offendi, neque ipſe Jacobus Operarius, qui in notis ad Plautum hanc Parei emendationem affert, de ſuo adjecit.

Joannes Seldenus in prolegomenis de lingua Hebræa, & Phœnicia ad ſyntagmata de Diis Syris cap. II. ita hebraice exhibet, duobuſque verſibus diſtinguit.

נא את עליונים ועליונות שקרא אתם מקום הזאות

Obſecro ſuperos ſuperaſque.
Quibus contigit locus iſte.

Hunc quoque ita legentem refert idem Operarius loco citato, poſt quem in ſcenam ipſe producit Samuelem Petitum, atque Bochartum.

 Prior

Prior l. II. Miſcellaneorum illos verſus hebraicis characteribus reſtituit; quorum primus ita conceptus:

נט עליונים ועליונות זכור את-אישי מקום זאות

Antequam emendationi manus admoveret, cap. I. quædam præfatus eſt, atque ſic ſuam orationem claudit: *eam nos orationem e Camerarii litterarum iſtarum principis editione repræſentamus, additis ſi quæ ſunt, ad oram variantibus lectionibus*. Poſtea exhibet illos verſus prout corrupte leguntur, atque ad oram primi verſus ita adlevit: *al. Ythalonim: al. Nyethalonim: comzit: al: comſyth*. Demum ita dicere aggreditur: *Corruptiſſima iſta ſunt .... Quamquam in his corrigendis multum nobis non permiſimus, ſed editæ lectionis veſtigia preſſimus ..... Nimium autem quantum erraruut imperiti librarii in appingendis vocalibus, ut & Hebræa, ſive Phœnicia omnia, Librarii vero vocales pro ingenii, & eruditionis ſuæ modulo ſubſtituerunt, falſo ſæpius quam factum vellem. Sunt autem reſcribenda Latinis litteris, & diſtinguenda ad hunc modum:*

Neth alonim, valonoth, ſecor eth iſi macom ſoth
Chyni lachchu &c.

Latine ita reddas licet:

Inclinate, & advortite o Dii, Deæque, quorum ſub numine viri hujus civitatis ſunt.

Deprecationem &c.

Hactenus Petitus. Hunc ſequitur in notis ad Plautum Gronovius, qui poſtquam lectionem, & interpretationem modo allatam propoſuit, ſic rem conficit. *Ita Petitus l. II. Miſcellaneorum c. 2. quem interpretationis hujus ſuæ rationem reddentem vide*.

Sane operæ pretium eſt, ut rationes, quibus cauſam ſuæ interpretationis ſuſtinuit, & fulſit, exigamus. Porro ita aggreditur: *Sed jam ſingulorum rationes ſunt aperiendæ, & expendendæ. I. Vir Cl. & eruditiſſimus Joh. Seldenus JC. in ſuis libellis de Dis Syris ita legebat* נא את *id eſt obſecro &c. Verum longe nimis recedit a veſtigiis editæ lectionis. Reſcripſimus itaque, ut hic habes, quæ plane reſpondent iſtis Hannonis verbis Latinis:*

Deos, Deaſque veneror, qui hanc urbem colunt.

נט *vel etiam* נט (nit) *quod non eſt ſine exemplo, a* נטה *excidit* ה, *ut in futuro ejuſdem conjugationis .....* נטה inclinare *ſignificat, & in Sacris paſſim, ut in Libro Pſalmorum, Deus hac voce compellatur. Eleganter autem verbum iſtud ſingulare cum nominibus pluralis numeri* עליונים ועליונות *conſtruitur (cujus conſtructionis exempla, ὅσῃ κόνις, in Bibliis leguntur) atque ita diſtributio, ſive partitio, ut obſervant Grammaticorum filii, notatur, & generatim omnes, atque ſpeciatim ſinguli Dii Deæque hoc loquendi modo invocantur. Sequitur de Diis Calydoniorum tutelaribus, quod venuſtiſſimum eſt* זכור את-אישי מקום זאת *vos veneror, inquit, qui memoria καὶ ἐπονομασίᾳ Calydoniorum eſtis. Ubi Deus invocatur, & colitur, poſuiſſe memoriam nominis ſui dicitur*. Exod. XX. 24.

מזבח אדמה תעשה לי וזבחת עליו את עלתיך ואת שלמיך בכל המקום אשר אזכיר את שמי Seniores LXX vertunt, ubi ἐπονομάσω. *Ita hoc sensu Calydoniorum Dii dicuntur* זכור *illorum, quia illic* הזכירו את שמם. *Dixit autem* זכור *ἀντὶ τοῦ* זכר. *Infinitivus pro nomine, ut factum sæpe in Sacra pagina* זכור את אישי *eadem constructione, qua apud Esaiam VIII. 6.* ומשוש את-רצין *dicitur, & sexcenta hujusmodi. II. Deos orat, ut deprecationem suam acceptam habeant &c.* Ita Petitus, qui alios versus interpretari pergit. Quem, si tibi tanta lubido, vel opus est, consulere poteris.

Hæc sane rarum ingenium, & eruditionem spirant. Sed pace sua dixerim, magis veritate mihi fulta videtur Seldeni emendatio, & interpretatio in illis primis vocibus נא את עליונים. Neque locum habere potest isthæc ratio, quod ille *longe nimis recedit a vestigiis editæ lectionis*, & quod sua *plane respondeant istis Hannonis verbis Latinis*, hoc est *Deos Deasque veneror*. Nam primo illa ratione nihil insulsius effingi potest, eo quod edita lectio non sit genuina, & integra. Adde quod inter variantes lectiones ab ipso Petito affertur illa τοῦ *Nyethalonim*, quæ oppido quam accedit lectioni a Seldeno excogitatæ. Secundo utrum sua magis, an Seldeniana interpretatio respondeat Hannonis verbis Latinis, omnino dubito.

Quod vero attinet ad alias voces nimirum *si corathisma consith*, hoc opus, hic labor est; nam majores ambages obversantur. Seldenus, quemadmodum in editione Lipsiæ exaratum exstat, ita emendat

שקרא אתם מקום הזאות

Et sic vertit:

Quibus contigit locus iste.

Ita quoque Jacobus Operarius, atque ipse Samuel Petitus. Ceterum ea lectio non admodum mihi videretur improbanda, si esset a קרא *invocare, vocare*. Idque familiare Sacris Litteris, sicut & profanis Scriptoribus. Hinc Jer. X. 25. בשמך לא קראו, hoc est *Nomen tuum non invocant*. Hinc meo judicio in hunc modum restituenda, & distinguenda facile putarem.

נא את עליונים ועליונות.
שקרא את איש המקום זות

Nimirum:

Oro Deos Deasque,
Quos invocat quilibet hujus (loci) *Urbis.*

Vel potius את אישי hoc est *viri, singuli invocant*. Nam *aliquando hæc particula* את *invenitur vel cum Nominativo, quo Verbum regitur Activum, aut Neutrum. II. Sæpe nomina pluralia cum verbo singulari occurrunt*. Quadere in Grammaticis. Demum duo postrema verba etiam familiaria sunt Sacris Litteris. Ad rem in Ps. 140. exstat מקום זה. Atque hæc pro allata expositione. Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Porro τῷ זכור ἁπλῶς adhibitum durum est exponere *quorum sub numine;* nam longe abest; quandoquidem זכור nihil aliud denotat, nisi *memoriam*.

Verum saniorem credo illam expositionem adornatam a V. Cl., quam

 mox

mox allaturi. Is est Samuel Bochartus, qui Geogr. Sacra col. 722. differens de hisce punicis vocibus, quæ apud Plautum occurrunt, ita habet: *Punici versus decem prout corrupte scribuntur in Plauti editionibus in Pœnulo Act. V. Scenæ I.*

Ny thalonim valon uth si corathisima consith
Chym lach &c.

Iidem versus scripti distinctius, & mendis aliquot crassioribus repurgati.

N' yth alonim valonuth sicorath jismacon sith
Chy-malachai &c.

Iidem quantum licuit ad Hebræam, aut Syram formam expressi.

נא את עליונים ועליונות שכורת. יסמכון זות
כי מלכי נתמו

Qui Latinis litteris scripti sic sonant:

Na eth elionim veelionoth sechorath jismecun zoth
Chi melachai nitthemu; &c.

Horum versuum interpretatio latina liberior qualis in Plauto exstat:

Deos Deasque veneror qui hanc urbem colunt.
Ut quod de mea re huc rite venerim &c.

Eorumdem versio fere ad verbum:

Rogo Deos & Deas qui hanc regionem tuentur,
Ut consilia mea compleantur, &c.

Notum est fabulæ argumentum. Jachon Carthaginensis, septenni filio qui illi erat unicus a prædone surrepto, in gravem morbum conjectus ex animi ægritudine, diem supremum obiit. Hanno Jachonis frater & bonorum ex asse heres, cum ipse etiam simili casu duas filias amisisset in ætate infantili, & multas peragrasset terras, tam filias, quam fratris filium ubique gentium quæsiturus, tandem appulsus Calydonem Deos locorum præsides ita compellat:

Nyth alonim valonuth sicorath jismachon sith
Rogo Deos Deasque qui hanc regionem tuentur.

Quæ Plautus ita reddit.

Deos Deasque veneror qui hanc urbem colunt.

Nyth] compositum ex נא את *na eth*. *Na* particula rogantis, *eth* nota sequentis accusativi. Cur *alonim valonuth* explicemus *Deos*, & *Deas* doceant hæc Scaligeri in append. ad emend. Ε'λιοῦν Phœnicibus *Deus vocabatur*, *ut docet Philo Byblienſis. Omnino quemvis suorum cœlitum ita vocabant, ut in Pœnulo Yth alonim valonuth*, *hoc est*, את עליונים ועליונות *superos*, *superasque*. Ibidem כורת *corath* vel *chorat* pro כורא χώρα regio. Constructum pro absoluto, quæ enallage Pœnis quam sit familiaris, disce ex Punicis herbarum nominibus, quæ habentur in Auctario Dioscoridis. Ibidem *jismachon* יסמכון ad verbum *fulciunt*, id est tuentur. Ita Bochartus, apud quem aliorum decem versuum interpretationem nancisceris.

Verum pro *chorath* nullus dubito, quin legendum sit *chereth* hoc est קרת *urbs*, *civitas*. Neque id mirum. Nam cum hæ voces more horum populo-

rum

rum ſine vocalibus tum exaratæ eſſent, inde nata diverſa tranſcribendi, legendi, & interpretandi ratio & libertas. Heic autem advertas velim, primo hanc lectionem reſpondere Plautinæ interpretationi, ſecundo hos decem præſertim verſus puros putos eſſe punicos; nam nulla alia vox græca ibi occurrit, neque oportere confugere ad enallagen. Denique id confirmatur ex Hannone, qui *Calydonem Urbem*, non *regionem* appulſus Deos Deaſque illius Civitatis compellat. Atque hæc ſatis.

INDEX

Vocabulorum Latinorum, quorum etymon novum, vel explicatio, vel utrumque ſimul in hoc opere præſtatur. Adjecta ſunt alia quoque, quæ huc rectius cogi debuerunt, cum in ſcribundo mente exciderant.

Alius

B

Ba-

D

E

Emar-

Ma-

Œdi-

Ro-

Si-

T

V

Z

IN-

INDEX
VOCUM GRÆCARUM.

Γα-

Ζάψ

Κάσσα

Λ

M

Ὀλ-

Τύπτω

Heic σφάλματα dumtaxat notabiliora adnotabimus. Nam quæ ad accentus, *&* ſpiritus *Græcarum vocum ſpectant, miſſa fecimus. Quin imo cum propter ſimilitudinem quorumdam elementorum Hebraicorum præſertim* τοῦ ס ſamech, *&* ם Mem *finalis*, ח chet *atque* ה, י *Jod*, *&* ו *Vau*, *non raro peccatum ſit ab Typographo, ideo horum σφαλμάτων ſeriem haud omnino religioſam nectemus*.

ERRATA		CORRIGE
pag. 5.	ἐζω	ἔξω
6.	עלפ	עלם
8.	הוש	חוש
9.	קוא	קום
Ibid.	הציח	הציע
Ibid.	*temuna*,	*amun*.
11. & 12.	חום	קום
13.	λωφίω	λωφάω
15.	γογγύρω	γογγύρα
16.	γρυλλίξω	γρυλλίζω
27.	*ſubeat*	*ſuberat*
Ibid.	*verbum ſacrum*	*verbum ſacrorum*
29.	כום	כוס
32.	ſuperet	ſupereſt
33.	*Meotin*	*Mæotin*
34.	בורה	בירה
35.	ועבוח	ועבוה
37.	*umbiculum*	*umbilicum*
40.	מברחים	מברחים
41.	צבול	זבול
44.	ἤνατὴρ	εἰνάτηρ
46.	*Aſſoratum*	Aſſaratum
49.	Α'μεναῖον	Α'μιναῖον
50.	Ε'υοχία	Εὐωχία
Ibid.	*Apulo*	*Epulo*
Ibid.	*Irux*	*Iſicia*
52.	כ	Δ
Ibid.	ἔεται	οἴεται
55.	חרוז	חרוץ

ERRATA		CORRIGE.
p. 56.	תפעים	תפיגים
Ibid.	חרוז	חרוץ
Ibid.	*Merſe*	*Meroe*
60.	אשול	אשכול
Ibid.	השול	אשכול
Ibid.	השכול	אשכול
67.	מזלזת	מזלות
70.	Ex futuro	futuro ex
	להש	להט
Ibid.	μαρμαίρα	μαρμαίρω
72.	ἰάδο	ἰάδω
82.	*Juna*	*Juno*
Ibid.	hib.	lib.
84.	*tzoluh*	*tzoleah*
85.	velavit	volavit
Ibid.	חרה	כרה
Ibid.	*amolet*	*amolet*
86.	*abſis*	*baſes*
Ibid.	נצח	נצה
87.	olava	clava
Ibid.	ſicca	ſica
Ibid.	מעזר	מעצר
88.	Spritu	ſpiritu
Ibid.	Κορπύλη	Κορδύλη
89.	*Delabra*	*Dolabra*
90.	Sabulantur	Fabulantur
Ibid.	μῶμυ	κῶμυ
93.	*doleo*	*dolor*
Ibid.	*Jonuo*	*Jonico*
100.	*Eritho*	*Erichtho*

	ERRATA	CORRIGE
105.	*hand.*	*haud.*
115.	הוררה	הורה
116.	PEHTE	REHTE
121.	יריך	יריו
114.	*ant*	*aut*
121.	*ωὐτῆς*	*αὐτῆς*
122.	Calinus	Catinus
Ibid.	Ko'ς	Koïξ
125.	*lw*	*lac*
Ibid.	*ae*	*ac*
128.	זרע	זרח
129.	*ſoetum*	*fœtum*
134.	*armum*	*armus*
135.	*via*	*caja*
149.	Huc	Heic
Ibid.	*In* V	*In* Y
Ibid.	princpes	princeps
152.	rectar	rector
Ibid.	græci	græco
154.	*ὄιμην*	*ὄιμη*
155.	*παλλάκην*	*παλλακὴ*
157.	ub	ab
Ibid.	מלאנח	מלאכה
Ibid.	*ἀσγάνδη*	*ἀσγάνδην*
158.	*Φαίρω*	*Ψαίρω*
Ibid.	*Κῆρπων*	*Κρῆπων*
166.	avillum	ovillum

	ERRATA	CORRIGE
167.	*ſilix*	*ſi* lix
177.	Cynenæ	Cyrenæ
178.	verſ. 15. deeſt vox *Arabicæ*.	
180.	ſtuvius	fluvius
181.	חונ	חוג
Ibid.	fodir	fodit
184.	v. 26. poſt *Hebræis* hæc deſiderantur: , *ſed exſtat*	
185.	adnotantur	adnotentur
186.	Æthiopus	Æthiopas
187.	*Granias*	*Granius*
Ibid.	*Hytamis*	*Hytanis*
Ibid.	*pertumatio*	*permutatio*
190.	Mazeras	Mazerus
193.	*exponi-*	*exponitur*
204.	mutatu	mutata
205.	*μῆλαι*	*μῆλα*
Ibid.	*moſtrum*	*monſtrum*
211.	*V.*	*Vide*
219.	v. 2. quatuor voces hebraice in quibusdam exemplaribus inverſæ ſunt.	
224.	הרור	הדור
Ibid.	Aſtapaſus	Aſtapus
228.	E in L	D in L
240.	[illegible]09	109
Ibid.	[illegible]30	130

S. R. M.

SIGNORE

Vincenzo Orsino Stampatore in questa Città di Napoli supplicando espone a V. M. come desidera dare alle Stampe una Opera intitolata *Exercitationes Miscellaneæ*, di cui n'è l'autore D. Andrea Cozzolino Sacerdote Napolitano; onde prega V. M. a commetterne la revisione a chi meglio le parrà, e l'averà a grazia ut Deus &c.

Adm. Rev. U. J. D. D. Januarius Giordano in hac Regia Studiorum Universitate Professor, revideat & in scriptis referat. Datum Neapoli die 19. *Mensis Maii* 1770.

NICOLAUS EPISC. PUT.

S. R. M.

HO considerato il libro, al quale dà il titolo di *Exercitationes Miscellaneæ* il di lui Autore D. Andrea Cozzolino Sacerdote Napolitano; ed ho conosciuto in lui buon ingegno, molta fatica, ed industria, e valor molto nelle scienze delle lingue antiche; e poter esser utile il libro a chi 'l legge. Però a me pare, se V. M. vorrà, esser degno di pubblicarsi colla stampa.

Di V. M.

Napoli a' 23. Luglio 1771.

Ubbidientissimo, ed Ossequiosissimo servo
Gennaro Giordano Reg. Prof. de' Can.

Die 16 Mensis Novemb. 1771. *Neap.*

Viso Rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 31. *elapsi Mensis Augusti currentis anni, ac relatione Reverendi U. J. D. D. Januarii Giordano de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis.*

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragmatica: hoc suum.

GAETA VARGAS MACCIUCCA SALOMONE.

Vidit Fiscus R. C.

Ill. Marchio Citus Præses S. R. C. tempore subscriptionis impeditus.

Reg. fol.

Carulli. Athanasius.

Adm. Rev Dominus D. Salvator Rogerius O. Th. P. 1. *& in Aula Archiep. Lector revideat & in scriptis referat Dat um die* 2. *Augusti* 1771.

F. X. EP. VENAFR. VIC. GEN.
J. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS

EXercitationes Miscellaneæ, in quibus sane quam plurimarum Græci Latinique peculii vocum veriloquia ex Oriente nativo linguarum fonte petita aperit enodatque præstantissimus Vir Andreas Cozzolinius, nihil omnino præseferunt, quod ad Catholicæ veritatis normam non exigatur. Eas igitur, ut Originum disciplinæ studiosis usui sint atque emolumento, typis committi posse censeo, siquidem per te licuerit. Neapoli VI Non: Sextiles 1771.

E. T.

Addictiss. atque obsequentiss.
Salvator Rogerius.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum die 24. *Decembris* 1771.

F. X. EP. VENAFR. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.